



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

### Idea Theologiæ Sacramentalis

Petrus <a Sancto Josepho>


Coloniæ, 1648


urn:nbn:de:hbz:466:1-42272





Th. 2396,

G. 1. 38.









IDEA  
THEOLOGICÆ  
SACRAMENTALIS.  
*Authore*  
D. PETRO A. S. IOSEPH  
*Fuls. nst.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ  
*Apud Constantinum Munich 1648.*  
*Cum Speciali Privilegio S. C. M.*



741<sup>2</sup>

IDEA  
THEOLOGICÆ  
SACRAMENTALIS.

PAUCIS MULTA COM-  
plectens de Sacramentis in ge-  
nere, & in specie.

*Nunc primum in Germania edita, & à  
mendis accuratè expurgata.*

AUTHORE

D. PETRO à S.<sup>to</sup> JOSEPH,  
Fulienfi.

*Sum ex libris Joannis Nicij JVD.*



*Collegij Soc. Jesu  
Paderbornæ 1661.*

COLONIÆ,

Apud CONSTANTINUM MUNICH,  
ANNO M. DC. XLVIII.

*Cum speciali Privilegio S. C. M. ad decennias.*

THEOLOGIA

IN

UNIVERSITATE

WURTEMBERGENSI

LIBRARIIS

WURTEMBERGENSIS

UNIVERSITATIS

WURTEMBERGENSIS

LIBRARIIS

WURTEMBERGENSIS

UNIVERSITATIS

WURTEMBERGENSIS

LIBRARIIS

WURTEMBERGENSIS

UNIVERSITATIS

WURTEMBERGENSIS

LIBRARIIS



REVER.<sup>mo</sup> DOMINO  
D. HENRICO **Quicker**  
Dei gratia Electo & Confirma-  
to Abbati. Et Sacri Romani  
Imperii Liberiorum & Exem-  
ptorum Monasteriorum in  
**Werden & Helmstatt**  
Patrono meo Colendissimo.

**V**irtuti, tuæ & publicæ fa-  
mæ, Amplissime Præsul  
debes, quod ignotus nec  
tibi visus hactenus accedam cum  
donario debito observantiæ meæ  
testimonio. Iam totus propemo-  
dum sum in excudendo Chroni-  
co illustrissimi Ordinis vestri S.  
Benedicti, nisi quod subcisivis  
horis aliis quibusdā in lucē pro-  
ferendis incumbam, eoque adeo

\* 3 fert

## EPISTOLA

fert animus, nihil ut pæne nisi ordinē Benedictinum spirē. Cum enim priores duas Theolo-partes, quas concinnavit melioris notæ Theologus D. Petrus à S. Ioseph, priorem Speculativæ, posteriorem Moralis, duobus inscripsissem Vnionis vestræ Bursfeldensis Prælatis, restabat tertia pars Sacramentalis similiter uni alicui vestræ Congregationis offerēda, ut ita funiculus triplex maneat indissolubilis, & me meaque legitimo sub præsidio tueri valeam. Occurrit vero Reverendissima D. V. cui hoc quidquid est curæ & operis dedicarem, quod, ut dixi, jam publica fama ad nos tulerit, non posse me alibi tutius munusculū aliquod litterarium deponere, quam apud Prælatum virtutis & eruditionis amantissimū, quique in Imperio auctoritate

non

## DEDICATORIA.

non vulgari polleat. Qua in re si cui aliquid potuisse peccare videar, singulari benevolentia tua, & eximio virtutum tuarum præconio adscribendum est, quibus plectus aleam jeci, optimeque de benevolentia tua sperare ausus sum. Adeo enim morum integritate, prudentia, rerum agendarum dexteritate, pietate in Deum, fide in Romanum Imperium, benignitate in subditos emines, ut omnium votis, & optimi cujusque ad gratulatione ad nobilissimam mitram evectus censearis, illam jam diu virtutibus tuis promeritus, priusquam adires, ut etiamnum inter virtutes tuas minima censenda sit, quod illam spartam adornare pergas. Experiuntur Werdenenses nequaquam se spe sua excidisse, sed Te votis parem aut forte superiorem.

periores

## EPISTOLA

periolem. Vnde quamvis tardius, & Reverendissimæ D. T. & tuis ex animo gratulatum venio, atque ad aras tuas exiguum munusculum affigo. Quod licet à me forte parvum decus, ab Auctore immensum obtinet, quodque invidiam ferre queat. Admitte Dignissime Præsul affectum in te meum, & hoc observantiæ & sinceri cultus pignus lætus suscipe. Quod si forte gravareris, apud animum tuum reputa, utrumnum non potius virtuti tuæ & optimæ famæ, quam temeritati meæ imputandum sit si ignotus in lucem per illustres vestri Monasterii prodire sustinuerim. Sed melius mihi augurat animus, qui vel optime de benevolentia tua sperare jubet. In quo voto finio, Reverendissimæ-  
que

DEDICATORIA.  
que suæ Dominationi apprecor  
omnia quam felicissima. Coloniae  
19. Maii 1648.

Reverendis. Dom. Tuæ

*Humillimus Cliens*

CONSTANTINUS MUNICH  
Civis & Bibliopola Coloniensis.

\* 5 AD





## AD LECTOREM.

**P**ostquam actum est de Theologia  
speculativa, ratio postulat ut de  
practica tractationem instituamus.  
Verum quia Theologia practica latissi-  
me patet, cum contineat tum quæ in se-  
cunda parte S. Thomæ de virtutibus, &  
vitiis, aliisque eò spectantibus; tum quæ  
in tertia, de sacramentis fusissime tracta-  
ri solent; Hinc non immerito ea à nobis  
subdividitur in duas partes, quarum altera  
moralis, altera sacramentalis, ratione  
subjectæ materiæ dici potest. Licet au-  
tem animus sit in utramque partem, ut  
pote omnibus Theologiæ studiosis val-  
de necessariam, iis maxime qui ad peri-  
culosissimum regimen animarum vo-  
cantur, Deo favente in lucem edere:  
quia tamen tractatio de sacramentis  
magis scholastica est, majoremque eo ti-  
tulo videtur habere connexionem cum  
Theo-

## AD LECTOREM.

Theologia Speculativa, visum est editionē Theologiæ practicæ ab ea incipere, adeoque fusiores disputationes antedecennium de eodem argumento paratas, & ex parte editas, accurateque de novo recognitas, in brevem summam contrahere. Eò vel maximè quia cùm sacramenta sint causæ instrumentales gratiæ, ratio doctrinæ postulare videretur, ut tractatio de Sacramentis sedem suam obtineat statim post disputationes de gratia. Hæc igitur nostra Theologiæ Sacramentalis Idea esto; in qua eandem methodum servavimus, quam in Idea Theologiæ Speculativæ sequuti sumus; ut scilicet, *Quoniam in rebus mysticis ac profundis (verba sunt Damiani opusc. i. cap. 9.) rudes audientium animos styli prolixitas hebetat, & saepe dum illuminare mentem conatur obscurat,* tota materia sacramentorum breviter pertractetur, eaque tractatio quatuor libris distincta, in varia capita dividatur, quibus primum agatur de Sacramentis in genere, deinde vero de Baptismo, Confirmatione, Euchari-

stia,

## AD LECTOREM.

stia, Pœnitentia, Vnctione Extrema, Ordine, & Matrimonio, in specie: singula porro capita paucas resolutiones complectantur, & hæc aliquando una tantum aliàs duabus, aut pluribus rationibus, juxta rei quæ tractatur gravitatem stabiliantur, præcipuarumque objectionum, vel expressa, vel tacita solutione confirmantur.

Quare non est quod quis queratur de nimia Idæ nostræ brevitate, sive in sententia quam amplectimur, propugnanda, sive in opposita refellenda; quia præterquam quod fieri nequit, ut omnia quæ de singulis difficultatibus propositis dici, aut fingi possunt, in brevi summula, qualem concinnare instituimus, quæ scilicet facile ad manum haberi, & exiguo ære comparari valeat, comprehendantur; sanè existimo id quod de authoritatibus Doctorum dici solet, æquè in rationibus quæ pro aliqua opinione afferuntur, locum habere, eas nempe potius ponderandas esse quàm numerandas: ita ut ea assertio ut probabilior

## AD LECTOREM.

bilior amplectenda sit, non quæ pluribus rationibus, sed quæ efficacioribus confirmata fuerit. Maximè quia sæpe evenit, in magna rationum congerie, vix unam aut alteram reperiri, quæ intentum probet, & plures verbis tantum diversas in idem coincidere adeoq; frustra multiplicari. Quod spectat ad fundamenta opinionum assertionibus nostris adversantium, ea à nobis satis latè tractantur, quando agitur de re gravioris momenti, aut quæ non vulgarem difficultatem continet: Interdum tamen in quæstionibus facilioribus, sub quibusdam notabilibus brevitatis causa concluduntur, ita ut objectiones, & solutiones ex iis facili negotio, etiam à tardioribus ingeniis erui possint.

Addo, etsi disputationes quæ veritatis indagandæ causa serio, & modestè instituuntur, non exiguam utilitatem afferant, [periculum] esse, ne nimia objectionum multiplicatione, rixarum valde inutitium, ne dicam noxiarum fomes subministretur, cum plerosque videamus

mus

## AD LECTOREM.

mus qui toti sunt in cōtentionibus, qui-  
 que rationibus apperrissimis, nō cedūt,  
 quādiu habent quod opponant. Qui eo  
 sunt ingenio, quomodo sperant se veri-  
 tatē aliquando consequuturos, cum eā  
 quoties sive in scholis, sive in vicis, aut  
 plateis, sive domi ipsis se visendā exhibet  
 non modo verbis, & clamoribus, sed et-  
 iam convitiis, ac interdum pugnis inse-  
 ctentur? An forte timent, se veritatis  
 amplexibus nunquam potituros, si ad il-  
 lius amores alii admittantur falluntur,  
 & frustra timent, quia veritas ut ait Au-  
 gust. lib. 2. de libero arb. cap. 14. *Omnes  
 amatores suos nullo modo sibi invidos recipit,  
 & omnibus communis est, & singulis casta  
 est. Nemo alicui dicit, recede, ut etiam ego ac-  
 cedam: remove manus, ut etiam ego ample-  
 ctar. Omnes inhaerent, ipsam omnes tangunt,  
 sibus ejus nulla ex parte discerpitur, nihil de  
 ipsa bibis, quod ego non possim. Non enim ab  
 ejus communione in privatum tuum mutas  
 aliquid; sed quod tu de illa capis, & mihi ma-  
 net integrum. Quod te inspirat, non expecto  
 ut reddatur abs te, & sic ego inspirer ex eo:*  
non

## AD LECTOREM.

non enim aliquid ejus aliquando fit cujusquam unius, aut quorundam proprium, sed simul omnibus tota est communis. An vero putant, aliter quàm unguibus, & vellitionibus, ut fit inter feles, societatem cum veritate iniri non posse. Quin potius quod 3. Reg. 19. de Deo dicitur, id ipsum de veritate affirmari potest: eam nempe non esse in spiritu forti, vel in commotione, aut in igne, sed in spiritu auræ tenuis, id est, cum iis tantum delectari, qui animo ad modestiam, docilitate, piamque rerum, quæ discendæ traduntur meditationem comparato, ad eam accedunt. Quod non obscure insinuat Aug. loco cit. cap. 13. cum ait, nostris mentibus, sine ullo strepitu, canorum & facundum quoddam silentium veritatis illabi. Vnde sapienter Hieron. c. 3. epist. ad Tit. ad illud, *stultas autem questiones, &c.* reprehendit Dialecticos: quod totos dies & noctes terant, ut vel interrogent, vel respondeant, vel dent propositionem, vel accipiant, assumant, confirmant, atque concludant, & addit,

S̄


## AD LECTOREM.

*Si igitur illi hoc faciunt ( quorum proprie ars contentio est ) quid debet facere Christianus , nisi fugere omnino contentionem? Rationem statim affert , quia eiusmodi rixæ sunt inutiles & vanæ , quæ tantum speciem sententiæ habent: cæterum nec dicentibus , nec audientibus profunt. Et postea, Frequenter, inquit, accidit, ut habeamus pugnas legis, non ob desiderium veritatis, sed ob jactantiam gloriæ, dum apud eos qui audiunt docti volumus estimari, aut certè ex hoc rumusculo turpia sectamur lucra. Quid enim prodest spumantibus labiis & latratu garrire canum: cum simplex & moderata responsio, aut possit te placare si vera est, aut si falsa, leniter à te, & placabiliter emendari? Quibus verbis, etsi speciatim contra Iudæos intortis, omnes generatim suffiguntur qui contentionibus modum non ponunt, quique solent Dialecticorum more, argumentationum retia tendere, & vagam Rhetoricæ libertatem in syllogismorum spineta concludere, ut loquitur idem Hiero. loco cit.*

Verum

## AD LECTOREM.

Verum hæc præfationis loco dicta sufficiant : superest tantum ut hic testemur nos , non modo sanctæ Ecclesiæ Romanæ, sed etiam sapientum iudicio, & censuræ, hoc aliaque opuscula nostra humillime subji-  
cere.



*Facul-*



---

*Facultas admodum Reverendi Patris  
Generalis.*

**E**go infra scriptus Abbas, actorius Congregationis Beatæ Mariæ Fulienſis Ordinis Cisterciensis Superior Generalis, Facultatem concedo dilectiſſimo nobis in Christo R. Domino : Petro à Sancto Joſephe juſdem Congregationis Sacerdoti, in lucem edendi Secundam Partem operis ſui Theologici, cui præfigitur titulus *Idea Theologiæ Sacramentalis*, dummodo prævia Doctorum cenſura fuerit probata. Datum Pariſiis die ſexta Februarii, anno Domini milleſimo ſexcentefimo quadrageſimo octavo.

**F. CAROLUS A. S. PAULO.**

**AP.**

A P P R O B A T I O  
Doctorem.

**N**os infra scripti sacra Facultatis Theologi-  
ca Parisiensis Doctores, Ideam Theolo-  
giæ Sacramentalis, studio & labore  
D. Petri à sancto Ioseph Fubienſis expressam;  
ratione & animo lustravimus, & attentè inspe-  
ximus: nihilque in ea deprehendimus quod vel  
doctrina, quam sancta seu Romana Ecclesia pro-  
fiteretur, puritatem, vel morum probitatem offen-  
dat. Et quia licet singulari arte elaborata, vivifi-  
que coloribus in commoda brevitate efformata,  
tamen lumen desiderabat ut splenderet, & ab  
omnibus videretur, dignam esse qua in lucem  
prodeat aestimavimus eò libentiùs, quo excellen-  
tius & utilius opus iudicavimus; neque ingra-  
tum fore Theologia vel Magistris specierum re-  
fricatione, vel tyronibus compendio brevi, non  
obscurò tamen sacra doctrina summam exhiben-  
do. Datum Parisiis decimo septimo Kalendas Fe-  
bruarii 1648.

I. HOBIER.

M. BOVLLE.

AP.

## APPROBATIO.

**V**Ti corrupta natura nostra, post lapsum primi parentis, nihil infirmius aut miserius; ita SS. Sacramentis nihil validius salubriusque à Salvatore nostro, secundo Adam, institutum est: utpote à quorum recto usu salus nostra æterna dependet. Et hinc liquet quam necessaria illa Sacramentalis Theologia sit cognitio, quamque sedulo omnes SS. Theologiae studiosi illi vacare debeant, siue in propriam, siue in sibi creditarum ovium salutem. Et quia hanc brevi & perspicua methodo tradit *R. D. Petrus à S. Joseph Fulienfis*, ita ut tutò legi possit & decurri pede inoffenso quoad receptam in Scolis doctrinam: Jure quodam suo & hæc tertia pars lucem novam postulat, atque ab omnibus conspici. Coloniae 28. Aprilis 1648. Ex commissione Adm. Reverendi & Eximii Domini ac Magistri nostri Henrici Francken Sierstorffii Canonici Presbyteri Capitularis ædis Metropolitanæ &c. Censoris ordinarii.


F. JOANNES MANTELIUS  
SS. Theologiae Doctor, Prior  
Augustini.

## CENSURA.

**T**ertia pars, Sacramentalis nimirum Theologia,  
Authore R. D. Petro à S. Joseph Fulienfi, in lucem  
deditur potest. 28. April. 1648.

HENRICUS FRANCKEN Sierstorffius  
Regens Laurent. Librorum  
Censor.

IDEA



I D E A

THEOLOGIAE  
SACRAMENTALIS.

PAUCIS MULTA COMPLECTENS,  
de Sacramentis in genere, & in specie.

---

LIBER I.

DE SACRAMENTIS  
IN GENERE,

Et speciatim de Baptismo, & Confirmatione.

CAPUT I.

*De natura Sacramenti in genere.*

**R**ESOLUTIO I. *Sacramentum in genere est signum  
sensibile, divinitus institutum, longo tempore durans,  
sanctitatem aliquam saltem externam conferens, & ve-  
ram significans.]* In primis dicitur, *signum*; hic enim  
sumitur Sacramentum ex usu communi, non pro re  
aliqua secreta & occulta; sed pro quadam cæremo-  
nia sacra & religiosa, ad ejusmodi rem significandam  
instituta.

Secundò dicitur, *sensibile*, siquidem Sacramen-  
tum cum sit institutum pro hominibus, debet esse  
signum illis accommodatum, quale non esset, nisi  
in re.

in realiqua sensibili confisteret; quia cū nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, nequit homo naturaliter venire in cognitionem spiritualium, nisi per res externas & sensibiles.]

Unde, quamvis posset Deus actibus internis dare vim conferendi, & significandi gratiam, tale signum non esset hominibus accommodatum; adeoque nec posset dici Sacramentum, ut de eo hic loquimur. Licet etiam ad Sacramentum concurrat aliquid ex se non sensibile: per illud tamen non constituitur Sacramentum, nisi quatenus junctum est cum re sensibili, ut patet in contritione, quæ non sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ, nisi per confessionem aliquo modo manifestetur,

Tertiò dicitur, *divinitus institutum*, quia res sensibilis, qualis est Sacramentum, non potest ex natura sua, vel ex hominum instituto, significare gratiam habitualement, sicut nec producere: quare cū Sacramentum ejusmodi gratiam significet, oportet ut ea significatio illi competat, ex voluntate & institutione Dei, qui solus virtute propria gratiam conferre potest.

Neque dicas verba illa, Ego te absolvo à peccatis tuis, significare remissionem peccatorum, ex sola impositione hominum: hoc enim ut summum verum esse potest de quadam remissione humana, qua homines sibi invicem peccata condonare solent: non autem de remissione per gratiam sanctificantem, qualis in Sacramento Pœnitentiæ ex opere operato confertur.

Quartò dicitur, *longo tempore durans*, quia cū Sacramenta sint præcipuæ religionis cæremoniæ, & veluti fundamenta Ecclesiæ, sicut Religio & Ecclesia habent statum quendam fixum & permanentem, ita Sacramenta debent esse fixa & permanentia. Unde hujus conditionis defectu, excluduntur à ratione Sacramenti verba illa Christi. *Joan. 20.* Accipite Spiritum sanctum, &c. nam etsi ibi reperiatursignum  
sensibile

## DE SACRAMENTIS CAP. I

fenfibile gratiæ collatæ Apoftolis, illud fuit tantum  
semel ufurpatum, ut quadam actio tranfiens: non  
autem ftabili aliqua lege inftitutum ad fanctifican-  
dos homines.

Hoc autem intellige de verbis prædictis aut fo-  
lis, aut cum adjuncta Chrifti infufflatione sum-  
ptis: fi enim eadem verba fpectentur, quatenus  
conjuncta funt cum Impositione manuum, fic ea  
funf inftituta ad gratiam ftabiliter conferendam  
in ordinatione Sacerdotali, quæ verum eft Sacra-  
mentum novæ legis, ut ex infra dicendis consta-  
bit.

Quintò dicitur, *fanctitatem aliquam faltem exter-  
nam conferens*: nam quamvis eadem res materialiter  
poffit effe Sacramentum, & Sacrificium, ut patet in  
Agnò Pafchali, & Euchariftia; tamen formaliter lo-  
quendo, in eo Sacramentum diftinguitur à Sacrifi-  
cio, quòd hoc immediatè inftituitur ad colendum  
Deum, illud verò effe quadam caremonia fakra or-  
dinata ad fanctificandos aliqua ratione ipfos cultor-  
es Dei, ut nimirum meliùs difponantur ad cultum  
Deo ritè exhibendum. Unde nullum hæftenus infti-  
tutum fuit Sacramentum, quod fanctitatem aliquam  
non contulerit: Sacramentum enim legis naturæ  
peccatum originale expellebat. Sacramenta legis  
Mofaicæ fanctitatem legalem conferebant; & Sacra-  
menta novæ legis interiùs hominem fanctificant per  
gratiam habitualement, quam in eo producant.

Sextò dicitur, *& veram fignificans*: Sacramen-  
tum enim ex ufu communi fumitur pro figno fen-  
fibili, & externo myfterii alicujus latentis & arca-  
ni: quare etfi non fit necesse, ut Sacramentum fuo  
ufu conferat fanctitatem internam, quæ in gratia  
confiftat; requiritur tamen ut ejufmodi gratiam  
fignificet, five eam per fe tribuat, five non. Idem  
etiam patet inductione: nam Sacramentum legis  
naturæ conferebat gratiam fanctificantem, & con-  
fequenter eam fignificabat. Sacramenta antiqua

etsi gratiam sanctificantem non tribuerent, eam tamen ut aliàs per Christum dandam significabant, ut patet ex Concil. Florent. in literis Unionis: at verò Sacramenta novæ legis, nemine reclamante, eandem gratiam eorum usu conferendam significant.

Hinc autem à ratione Sacramenti excluduntur Sacramentalia, quia etsi sint quædam cæremoniæ sacræ, & aliquam sanctitatem, seu consecrationem conferant, gratiam sanctificantem significare nequeunt; cùm à Deo instituta non sint, sed ab Ecclesia, quæ ejusmodi gratiam per se conferre non potest.

**RESOLUTIO II.** *Quamvis non sit de ratione Sacramenti, ut constet rebus & verbis, de facto tamen omnia legis novæ Sacramenta ex eis componuntur, tanquam ex materia & forma* ] **PRIMA PARS PROBATUR** tum ratione, quia Sacramentum potest esse signum sensibile gratiæ sanctificantis, etsi ex verbis non componatur. Tum exemplo Sacramentorum antiquæ legis, qualia erant Circumcisio, Agnus Paschalis, &c. ea enim sine verbis perficiebantur. Et quamvis in sacrificio pro peccatis, certa verba præscribantur *Levit. 4.* ea non erant essentialia, sed tantum cæremonialia.

*Secunda pars ostenditur, tum autoritate Concilii Florent. in decreto fidei, ubi sic legitur* Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri: *tum inductione sumpta ex Scriptura, aut constanti traditione Ecclesiæ, quæ ita intelligenda est, ut per res indicetur, aut substantia aliqua sensibilis, qualis est aqua naturalis in Baptismo, aut actio aliqua externa verbis formæ supposita, ut est confessio peccatoris in Sacramento Pœnitentiæ: per verba verò intelligantur verba propriè dicta in sex primis Sacramentis, in Sacramento autem Matrimonii verba sumantur aut propriè, aut æquivalenter, pro signis qui-*

DE SACRAMENTIS CAP. I. 5

quibuscunque consensum exprimentibus ; tum denique ea ratione , quia cum per Sacramenta novæ legis applicentur nobis merita Christi: congruum fuit, ut iis repræsentaretur mysterium Incarnationis, quod in unione Verbi cum carne sensibili consistit.

*Tertia pars suadetur* , tum ex Concilio citato , tum ea ratione ; quia sicut in rebus physicis materia est ex se indifferens ad hoc vel illud compositum , determinatur autem per formam ad compositum talis speciei : ita in Sacramentis , quæ sunt entia quædam moralia , res sensibilis , cum ex se sit indeterminata ad hoc vel illud significandum , se habet per modum materiæ ; verba verò quibus determinatur ad talem significationem , per modum formæ.

Hoc autem verum est, non modo de reliquis novæ legis Sacramentis ; sed etiam de Pœnitentia , & Matrimonio. Nam in illa , accusatio qua iudicium inchoatur, se habet per modum materiæ, & absolutio quæ est instar sententiæ iudicis, qua iudicium perficitur, per modum formæ. In isto verò mutua corporum traditio, imitatur materiam, mutua verò acceptio formam, cum per illam contractus traditione inchoatus absolvatur.

*Ubi observandum 1.* Quòd sicut materia & forma sunt partes essentielles , quibus compositum physicum constituitur ; ita res , & verba ad compositionem Sacramenti , tanquam partes illius essentielles concurrunt. Neque refert quòd non semper simul existant physicè : cum enim Sacramentum non sit compositum aliquod physicum , sed morale , sufficit simultas moralis inter partes ex quibus coalescit , tanquam ex materia & forma : præsertim cum hæc denominatio illis non competat propriè ; sed tantum secundum quandam analogiam.

*Observandum 2.* Non eandem conjunctionem re-



quiri in omnibus Sacramentis, quoad eorum materiam, & formam; sed in aliis majorem, in aliis minorem, juxta varias conditiones rerum, aut verborum quibus quodlibet Sacramentum perficitur. Unde quia forma Baptismi significat ablutionem fieri à ministro, inter illa requiritur tanta similitudo, quanta necessaria est ut ex usu communi verba proferens, censeatur actionem illam efficere. Quia verò per formam Eucharistiæ demonstratur materia in quam verba cadunt, necesse est ut illa actu sit præsens, quando forma profertur. At pœnitentia, quia se habet per modum judicii, stare potest, etsi qui hodie peccata sua confitetur alicui Sacerdoti, cras ab eodem absolvatur.

**RESOLUTIO III.** *Sacramentum non valet quando materia, aut forma substantialiter mutantur, secus, si tantùm mutantur accidentaliter.* ] **DECLARATUR.** tunc materia dicitur mutari substantialiter, vel quando mutatur secundum speciem, ut si ad baptizandum aqua rosacea sumatur pro elementari: vel quando non potest assumi ad usum ad quem ab Ecclesia usurpari solet; ut si quis glaciem, vel nivem ad baptizandum assumeret: vel in massa farinæ nondum coacta Eucharistiæ conficeret. In his autem & similibus casibus non subsistit Sacramentum, defectu materiæ, quæ est pars essentialis illius ex antedictis: Baptismi enim materia est aqua elementaris, prout proximè apta est ad corpus abluendum: Eucharistiæ verò, panis triticeus qui proximè in cibum hominibus cedere possit.

Contrà verò materia dicitur mutari accidentaliter, quando remanet secundum speciem physicam, & quantum ad usum prædictum, mutatur tamen quoad aliqua accidentaria: ut si ad Baptismum assumatur aqua non benedicta, vel Eucharistiæ conficiatur à Latino in pane fermentato. Et in his casibus valet Sacramentum, si cætera quæ ad illius valorem requiruntur, adsint.

Eodem

DE SACRAMENTIS CAP. I. 7

Eodem modo, forma Sacramentalis mutatur substantialiter, quando ita mutatur, ut sensus illius substantialis non maneat: accidentaliter verò quando non mutatur sensus, sed verba duntaxat. Cæterùm quando forma mutatur priori modo, Sacramentum non valet, eò quòd non modò materia, sed etiam forma est determinata ex institutione divina, pertinetque ad essentiam Sacramenti, quod proinde sine illa subsistere nequit. Quòd si mutatio fiat tantum posteriori modo, id non sufficit ut irritetur Sacramentum.

*Ex quibus collige primò, Sacramentum non valere in his casibus, 1. Si quis relictis verbis formæ consuetis, aliis utatur sive ejusdem, sive diversi idiomatis idem non significantibus, aut non expressè, ut si baptizans dicat; Ego te baptizo in nomine Trinitatis, nomen enim, Trinitas, non significat nisi confusè tres personas, quæ tamen distinctè exprimendæ sunt. 2. Si aliquid addatur formæ varians sensum, ut si quis baptizer cum Arrianis in nomine Patris majoris, & Filii minoris. 3. Si aliquid de forma subtrahatur sensum immutans, ut si baptizans omitteret particulam, baptizo, aut nomen alicujus personæ Trinitatis. 4. Si verba ita interrumpantur, ut priora verba non censeantur ex usu communi, conficere unam orationem cum posterioribus, ut si quis post verba illa, Ego te baptizo, recitaret psalmum aliquem, tum verò adderet, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. 5. Si transpositio verborum tanta sit, ut sensus tollatur, ut si quis diceret, ego te, & Filii, & Spiritus sancti baptizo in nomine Patris, videretur enim baptizare tantum in nomine Filii, & Spiritus sancti, aut solius Patris. 6. Si verba ita corrumpantur, ut sensus non maneat, ut si quis baptizaret in nomine Matris, & Filii, &c.*

*Collige secundo Sacramentum valere, 1. quando verba consuetæ mutantur in alia æquivalentia, ut si quis*

quis pro, ego te baptizo, dicat, ego te abluo, quia cum sensus sit veluti anima verborum, eo manente, eadem verba censentur remanere. 2. Quando aliquod verbum additur non varians sensum, ut si quis baptizet in nomine Patris omnipotentis, & Filii eius unigeniti, &c. 3. Quando subtrahitur aliquid, sine quo sensus perfectus esse potest, ut si quis baptizando omittat, in verbis formæ particulam, in, vel, &c. 4. Quando accidit exigua verborum interruptio, ut si ea proferens sternutaret. 5. Quando transpositio sensum non invertit, ut si dicatur, ego te baptizo in nomine Filii, & Patris, & sancti Spiritus. 6. Quando ex ignorantia, aut defectu linguæ contingit levis formæ corruptio, sensum ex usu communi non tollens, ut si baptizans dicat, ego te baptizo in nomine Patri, & Fili, & Spiritu sancti.

*Hic nota*, eum peccare mortaliter, qui de industria mutat substantialem materiam, aut formam Sacramentorum; quia scilicet hoc cedit in magnum contemptum Sacramenti: & eum qui sine necessitate assumit in Sacramentis materiam, aut formam dubiam; quia temerè exponit se periculo non conficiendi Sacramentum, quæ magna est irreverentia. Item eum qui scienter mutationem aliquam notabilem, etsi accidentalem inducit, ut si quis baptizet in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta, quia transgreditur præceptum in re gravi, & Sacramentum irridere censetur.

## CAPUT II.

*De institutione Sacramentorum in variis statibus.*

**R**ESOLUTIO I. *Non fuerunt de facto instituta quædam Sacramenta pro statu innocentia.* ] PROBATUR, tum quia nullibi fit mentio talis institutionis: tum quia status innocentia brevissimo tempore duravit; Sacramentum autem est signum solemni aliqua & stabili lege institutum, ut patet ex supra-

DE SACRAMENTIS CAP. II. 9

supradictis: tum quia Sacramenta instituuntur ut homines eandem fidem exterius profiteantur, unamque Ecclesiam constituent: at primi parentes, cum essent soli, Ecclesiam constituent: at primi parentes, cum essent soli, Ecclesiam propriè constituere non poterant. *Neque refert* quod eorum Matrimonium vocetur magnum Sacramentum à Paulo *Ephes. 5.* Ita enim dicitur, quia repræsentabat futuram Verbi unionem cum humanitate, non quod esset signum gratiæ ut sanctificantis homines, prout ad Sacramentum strictè sumptum requiri, suprà observavimus.

*Querunt hic aliqui*, an si status innocentia longo tempore durasset, Sacramenta in eo instituenda forent *Respondeo 1.* Non deesse rationes, ob quas congruè Sacramenta in eo statu potuissent institui: tunc enim homines per sensibilia in cognitionem spiritalium devenirent, & per bona opera, etiam externa, possent promereri augmentum gratiæ. Quidni ergo possent congruè institui signa quædam sensibilia, quorum ope homines, non modo cognitionem gratiæ, sed etiam gratiam ipsam consequerentur? *Quid, quòd ex August. lib. 19. contra Faustum cap. 12.* in nullum nomen Religionis possunt homines coadunari, nisi aliquo visibilium Sacramentorum consortio colligentur.

*Respondeo 2.* Incertum esse, an si status ille perdurasset, de facto Deus instituturus esset aliqua Sacramenta, hoc enim penderet à voluntate illius, de qua non satis constat, & pro utraque parte varia convenientia afferri possunt. Neque verba ex August. proximè allata concludunt necessitatem Sacramenti; sed tantum alicujus cultus externi, vel per solas actiones corporeas, vel per oblationem rerum externarum; quod sine Sacramentis propriè dictis fieri posset. Quamvis autem demus aliqua Sacramenta tunc fore instituenda, non tamen ea quæ de facto fuerunt instituta, quia hæc supponunt Christum venturum, cum in illius meritis fundentur: at

si status innocentiae perdurasset, Christus non fuisset venturus, ut in idea Theologiae Speculativae, l. 2. c. 14. diximus. Imò etsi venturus esset, non esset locus tali institutioni, quia Christus non veniret in carne passibili, Sacramenta autem instituta sunt ob meritum passionis Christi, & ut essent signum rememorativum illius.

RESOLUTIO II. *In lege natura fuit institutum aliquod remedium pro salute parvulorum.* ] PROBATUR, quia incredibile est quod Deus summè pius & misericors, quique sincerè vult omnes homines salvos fieri, infantes omnes per multa saecula sine ullo salutis remedio reliquerit: at reliquisset, nisi illis providisset de sufficienti remedio, ad tollendum peccatum originale in quo nascuntur.

*Deinde*, in veteri lege circumcisio erat Sacramentum institutum pro masculis; non potest autem dici quod Deus omnes tunc foeminas sine remedio reliquerit; quare dicendum est eas eo tempore fuisse purgatas à peccato originali, eodem modo ac in statu naturae, & consequenter idem remedium pro illis in utroque statu viguisse. Imò illud ante circumcisionem fuisse commune omnibus infantibus, sive essent masculi, sive foeminae.

*Quaeritur hic primò*, an remedium illud esset aliquid sensibile. *Respondeo affirmativè*, tum quia cum Christus sit caput sensibile respectu hominum, a quò erat ut infantes ei unirentur medio aliquo sensibili; tum quia per illud remedium infantes fiebant membra Ecclesiae, quae est visibilis: tum quia aliàs, si remedium illud fuisset merè spirituale, potuisset applicari infantibus ad quamcunque distantiam, imò existentibus in utero materno; sicque potuissent omnes sanctificari ante nativitatem, quod valde absurdum videtur.

Hinc autem collige, remedium illud fuisse verum Sacramentum, cum fuerit aliquid sensibile ad gratiam conferendam ordinatum.

*Quaerit.*

## DE SACRAMENTIS CAP. II. II

*Quaritur secundo, an ex ordinatione divina, fuerit determinata in specie cæremonia illa sensibilis, qua infantes in lege naturæ mundabantur à peccato originali. Respondeo affirmativè, tum quia cum in Sacramento antiquæ, & novæ legis, materia fuerit à Deo determinata, quidni idem dicemus de Sacramento legis naturæ? Tum maximè quia Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 9. ait, Scripturam aliqua necessaria de causa voluisse nos latere, quidnam illud Sacramentum fuerit: at non ignoramus fuisse in genere cæremoniam quandam sensibilem; sed an esset in specie oratio, vel oblatio, aut aliquid simile; ergo erat aliquid determinatum.*

Neque nobis repugnat S. Thom. 3. p. 9. 61. art. 3. ad 2. ibi enim non negat signum illud legis naturæ fuisse determinatum; sed tantum negat fuisse determinatum, sicut in antiqua lege; quia nempe in veteri lege determinatum erat per ordinationem publicam, quibus cæremoniis ad cultum Dei homines uterentur: in lege autem naturæ ea determinatio facta est interiùs per modum naturæ, & instinctus, ut loquitur S. Doctor *quest. 60. art. 5. ad 3.* Quædam alia contra responsionem allatam objici solent, quorum solutio videri potest in fusiori tractatu de Sacramento in genere *disp. 3. sect. 2.*

RESOLUTIO III. *Varia fuerunt Sacramenta in veteri lege.* ] IN primis Circuncisio verum erat Sacramentum: nam cum Judæi per illam peculiari-ter divino cultui dicarentur, Deoque conjungerentur, ut constat *ex Genes. 17.* ea erat cæremonia quædam sacra, ad aliquam ejus populi sanctificationem instituta. Ac præterea Circuncisio ex divina institutione, erat signum Baptismi & circuncisionis spiri-tualis, atque adeo gratiæ dandæ per Christum, ut colligitur ex Paulo *ad Coloss. 3.* Ita autem ad veram rationem Sacramenti sufficere *ex cap. 5.* manifestum est.

*Ubi nota Circuncisionem vocari veteris legis*

Sacramentum, quia licet multis annis ante legem instituta fuerit, per eam specialis Dei populus cœpit congregari, & ad legem suscipiendam disponi: lege autem promulgata, fuit veluti character, quo populus Judaicus à cæteris distinguebatur, & professio per quam homines se legi Mosaicæ subiciebant.

Erant etiam in veteri lege alia multa cæremonia instituta ad legalem sanctificationem Judæorum, ut patet ex libris Exodi, & Levitici, quæque, ut explicat S. Thom. 1. 2. *quest. 102. art. 5.* gratiam per Christum dandam significabant, unde nihil illis deerat ad rationem Sacramenti. Possunt autem omnia illa Sacramenta ad tria capita revocari. Nonnulla enim homines constituebant in statu colendi Deum, vel generatim, ut Circumcisio; vel speciatim, quoad officium Sacerdotum, ut consecratio. Alia spectabant ad usum eorum, quæ Deo offerebantur, vel pro toto populo, ut esus Agni Paschalis; vel pro Sacerdotibus, ut esus panum propositionis. Alia denique ad removenda impedimenta divini cultus, vel pro populo, ut purificationes quædam ab exterioribus immunditiis, vel pro Sacerdotibus, ut ablutio manuum ac pedum, & rasio pilorum.

Præterea quædam ex Sacramentis antiquæ legis erant figuræ nostrorum: Circumcisio, Baptismi, qui est Sacramentum fidei: Agnus Paschalis, Eucharistiæ: Purificationes, Pœnitentiæ, & Consecrationes Ordinationis sacerdotalis. Nulla tamen tunc fuit figuræ Confirmationis, quia lex neminem ad perfectum adducebat; neque Unctionis extremæ, eo quòd tunc non patebat hominibus aditus in cœlum; neque Matrimonii, quia etsi ante peccatum, matrimonium esset institutum in officium naturæ; & post peccatum, in remedium concupiscentiæ: non tamen ad rationem Sacramenti elevatum est, nisi post Incarnationem Verbi divini.

DE SACRAMENTIS CAP. II. 13

RESOLUTIO IV. *Congruum fuit in lege nova institui quædam Sacramenta, eaque à veteribus distincta.*

PRIMA PARS PROBATUR. 1. rationibus generalibus sumptis tum ab unitate religionis, & Ecclesiæ, quæ sine quibusdam Sacramentis subsistere commodè non potest; tum ex pronitate naturæ humanæ ad peccatum, quæ remediis quibusdam proportionatis, adeoque sensibilibus ad peccata eluenda, aut cavenda indiget, &c. 2. Ea ratione speciali, quia sicut in veteri lege homines per signa externa protestabantur suam fidem in Christum venturum: ita æquum erat ut in nova, signo aliquo sensibili suam fidem in Christum jam natum, & passum testarentur.

*Neque dicas, adveniente veritate, figuras debere cessare, hinc enim tantum sequitur, veniente Christo, debuisse cessare ea Sacramenta quæ illum ut venturum repræsentabant: non quòd post illius adventum alia commodè institui non potuerint. Hinc autem*

*Secunda pars suaderi potest, quia sicut alia verba significant rem futuram, alia præteritam; ita congruè fuit ut in lege nova instituerentur quædam Sacramenta, ad repræsentandum adventum Christi præteritum, distincta ab antiquis quæ illum repræsentabant ut futurum. Accedit quòd antiqui erant in statu servorum, nos filiorum: congruum autem videtur ut alia Sacramenta instituantur pro servis, alia pro liberis.*

*Neque hoc magis inducit mutationem in Deo, quàm in patrefamilias, quòd diversa præcepta tradat familiæ suæ, pro personarum, & temporum varietate: imò hinc potius summa illius sapientia, suaviter disponens omnia, eximiè commendatur.*

*Nota 1. Sacramenta novæ legis esse numero septè, ut certum est ex fide. nimirum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; cujus numeri*



*ratio* petenda est ex voluntate Christi, qui tot Sacramenta voluit instituire: Congruentia verò, ex similitudine quæ inter vitam spiritualem & corporalem intercedit. Nam sicut homo accipit vitam per generationem, crescit & roboratur in dies, nutritur ut vitam conservet, in morbum lapsus sanitatem recuperat, viresque perfectè reficit: ita renascitur spiritualiter in Christo per Baptismum, roboratur per Confirmationem, nutritur per Eucharistiam, sanatur per Pœnitentiam, pleneque reficitur per Unctionem extremam. Rursus quemadmodum homo ut est membrum civilis reipublicæ, accipit potestatem ad regendos alios politicè; & procreandæ soboli, ad conservationem generis humani, incumbit: ita, ut est membrum reipublicæ Christianæ, per Ordinationem accipit potestatem Sacramenta administrandi, aliaque officia exercendi, ad spiritualem fidelium utilitatem; & per Sacramentum Matrimonii accipit gratiam, ad prolem ex eo susceptam sanctè instituendam.

*Nota 2.* Septem illa Sacramenta juxta ordinem naturæ, modo prædicto numeranda esse: nam in primis cum bonum partis sit prius natura sua bono totius, reliqua Sacramenta præcedunt Ordinem, & Matrimonium. Deinde Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quia ordinantur per se ad vitam spiritualement, naturæ Ordine præcedunt Pœnitentiam, & Unctionem extremam, quæ non nisi per accidens, ad eam ordinantur, nempe supposito peccato. Prætereà inter tria priora Sacramenta primus locus tribuitur Baptismo, secundus Confirmationi, tertius Eucharistiæ, quia per Baptismum homo accipit vitam in qua roboratur, per Confirmationem, ut ad Eucharistiam accedat, quæ est cibus perfectorum. Inter duo autem sequentia Pœnitentia præferatur Extremæ-unctioni, quia prius est quod peccata tollantur, quàm peccatorum reliquiæ. Tandem Matrimonium postponitur Ordini, quia per Ordinem  
fili

DE SACRAMENTIS. CAP. III. 15  
filii spirituales, per Matrimonium verò corporales  
generantur

*Nota 3.* Spectato ordine dignitatis, Eucharistiam  
præstare reliquis omnibus Sacramentis: tum quia  
est eorum finis & consummatio, tum quia simul est  
Sacramentum, & Sacrificium, ut suo loco dicitur:  
tum quia ex Trident. *sess. 13. cap. 3.* alia Sacramenta  
tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis il-  
lis utitur: at in Eucharistia, ipse sanctitatis auctor an-  
te usum est.

### C A P U T III.

*De causa principali Sacramentorum.*

**R**ESOLUTIO I. *Sacramenta antiqua fuerunt im-*  
*mediatè instituta à Deo, & nova à Christo.* ] PRIOR  
PARS PROBATUR 1. ex Scriptura, quæ *Genes. 17.*  
Circumcisionis, *Exodi 22.* Agni Paschalis; & *Levit. 8.*  
Sacerdotalis consecrationis institutionem in Deum  
refert. 2. *ratione*, nam Sacramenta antiqua erant signa  
futura gratiæ; quare non potuerunt institui nisi à  
Deo, cum ille solus possit conferre gratiam. Nec re-  
refert illud *Joan. 1.* Lex per Moysen data est: non e-  
nim significat Moysen fuisse legis, & cæremoniarum  
ad eam spectantium institutorem; sed promulgato-  
rem duntaxat.

*Posterior pars* sumitur ex Concil. Trident. *sess. 7.*  
*can. 1.* licet enim ibi non statuatur verbis expressis,  
Sacramenta novæ legis fuisse immediatè à Christo  
instituta, sed tantum ab eo fuisse instituta, quòd ta-  
men ea definitio intelligenda sit de institutione im-  
mediata, ostenditur; tum quia nullus unquam dubi-  
tavit, quin Sacramenta illa à Christo, saltem mediatè  
instituta fuerint: tum quia Christus non solet dici  
eorum institutor, quæ Ecclesia instituit, ut patet  
in sacramentalibus: tum denique quia prædictum  
Concil. *sess. 14. cap. 1.* disertè statuit Extremam-  
unctionem fuisse à Christo institutam, & à Jacobo  
Aposto-

Apostolo promulgatam. Idem autem dicendum est de reliquis Sacramentis novæ legis.

*Neque dicas, non omnes formas Sacramentorum haberi in Scriptura: licet enim ex ea non sumantur, nisi formæ Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, sufficit quod alias, & quicquid spectat ad essentiam Sacramentorum, habeamus ex Apostolorum traditione. Quo sensu dixit Aug. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9. agens de Sacramentis, Ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina.*

**RESOLUTIO II.** *Nulla creatura potest instituire Sacramenta, gratiam conferentia, potestate quam vocant authoritatis.] Quia ad potestatem authoritatis requiritur, ut qui ea præditus est, agat independenter ab alio, qui modus agendi creaturæ competere non potest. Accedit, quòd nullus potest eo modo Sacramenta instituire, nisi ut causa principalis possit gratiam sanctificantem conferre; quod etiam omnem vim creatam superat, ex dictis ubi de Gratia.*

*Major difficultas esse videtur, an possit Deus dare puro homini, potestatem ministerialem instituendi Sacramenta. Qua in re duo sunt certa, & tertium de quo aliqua est controversia. Certum est 1. posse hominem ex commissione Dei determinare rem aliquam, vel actionem sensibilem, ut sit signum gratiæ. Certum est 2. non esse in potestate hominis, tali signo adungere virtutem, qua certò & infallibiliter gratia conferatur, nisi dependenter à præcedenti decreto, quo Deus statuerit conferre gratiam in usu illius. Jam verò dubium est, an propter primum, quod certum esse diximus, affirmandum sit, potestatem Sacramenta instituendi posse homini delegari, an potius id negandum sit propter secundum. Verum, quia hoc magis spectat ad modum loquendi, quàm ad rem ipsam, & aliunde quòd homo nequeat dare signo sensibili vim producendi gratiam, nisi supposita promissione Dei, id non tollit ab homine rationem causæ ministerialis, sed principalis duntaxat, congruen-*

DE SACRAMENTIS. CAP. III. 17

congruentius videtur cum iis sentire, qui fatentur, posse hominem Sacramenta instituire ex commissione Dei.

RESOLUTIO III. *Purus homo non potest habere potestatem excellentiæ circa Sacramenta, tam perfectè ac Christus; potest tamen aliquo modo inferiori.* ] PRIOR PARS PROBATUR, nam potestas excellentiæ Christo concessa in eo consistit, ut possit Sacramenta instituire, & effectum Sacramenti sine Sacramento conferre; dare hominibus potestatem Sacramenta conficiendi, & administrandi; ac mereri de condigno gratiam nobis in Sacramentis collatam: at purus homo non potest de condigno mereri alteri homini gratiam, ut ex *lib. 2. Ideæ Speculativæ* supponimus, ergo, &c.

*Secunda pars ostenditur:* nam potest Deus tantam homini conferre gratiam, ut mereatur ex congruitate aliqua gratiam aliis communicandam, quoties, verbi causa, nonnullis signis externis, quæ ipse designaverit, usi fuerint. Hoc autem est conferre tali homini potestatem excellentiæ, aliquo inferiori modo quam Christus eam obtinuerit. Sicut etiam si illi daretur facultas Sacramenta administrandi, proprio nomine, & ita de aliis.

*Nota 1.* Potestatem excellentiæ jam dictam nulli puro homini unquam fuisse concessam: potestas enim datur propter usum; at nullus reperitur qui potestate illa usus fuerit, vel extra Sacramentum peccata remittendo, vel materiam & formam Sacramentorum designando, vel Sacramentum proprio nomine administrando; vel aliis merendo gratiam in Sacramentis collatam. Et quamvis per indulgentias, satisfactiones Sanctorum nobis applicentur, in remissionem pœnæ temporalis, peccatis jam remissis debita, sola tamen merita Christi nobis applicantur in sacramento, ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ peccato mortali debita.

*Nota 2.* Potestatem simplicis ministerii ad conficienda,

cienda.

cienda, & administranda sacramenta, Ecclesiae à Christo concessam fuisse, ut patet ex illo *1. Cor. 4.* Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et sanè cùm sacramenta sint entia quædam moralia variis partibus constantia, & signa efficacia gratiæ, necesse erat ut Christus potestatem ea suo nomine conficiendi, & administrandi nonnullis concederet.

## CAPUT IV.

*De causa ministeriali Sacramentorum.*

**R**ESOLUTIO I. *Minister ordinarius sacramentorum est homo solus, non quidem omnis, sed viator, quique ad hoc sit specialiter deputatus.* ] PRIMA PARS colligitur ex facto Christi: ille enim *Matth. 28.* Hominibus dedit potestatem baptizandi, & *Luc. 22.* conficiendi Eucharistiam, & *Joan. 20.* Remittendi peccata: neque ex scriptura, vel aliunde constat, quod talem potestatem Angelis concesserit.

*Congruentia sunt,* tùm quia sicut Christus ut homo sacramenta instituit, ita illius minister in sacramentorum collatione, debebat esse solus homo; tùm quia sacramenta sunt media instituta ad salutem solius hominis, quare æquum erat ut tantum ab homine administrarentur; tum quia cùm in sacramentis sit aliquid spirituale, & aliquid sensibile, congruum fuit, ut illorum minister esset aliqua creatura polles sensu & intellectu; qualis est solus homo.

Nec refert, quòd si bonus Angelus sacramentum conficeret, illud ratum habendum esset: hoc enim fieret extraordinariè ex voluntate Dei, cujus potentia rebus sensibilibus non est alligata; non autem quod bonus Angelus sit ordinarius minister sacramenti. Si tamen Angelus malus tentaret sacramentum conficere, illud pro rato habendum non esset; quia minimè credendum esset demonem id agere ex voluntate, & commissione Dei.

*Secunda*

DE SACRAMENTIS. CAP. IV. 19

*Secunda pars ostenditur ex dictis:* tum quia potestas conficiendi sacramenta, à Christo collata fuit solis hominibus viatoribus: tum quia sicut ipse viator erat, quando sacramenta instituit, voluitque ea suscipi tantum à viatoribus, ita congruum fuit, ut facultatem ea administrandi concederet solis viatoribus, quorum opera facile uti possemus, quando necessitas postularet.

Unde beatus, si in hoc statu ageret, cum gloria animæ & corporis, non esset minister ordinarius sacramentorum: si tamen aliquod sacramentum conferret, censeretur validè illud contulisse, ex speciali commissione Dei. Lazarus tamen, postquam suscitatus fuit ad vitam mortalem, poterat esse ordinarius minister sacramentorum, eò quòd adhuc erat in statu viatoris.

*Tertia pars constat ex Concil. Trident. sess. 7. can. 10. de sacramentis,* ubi damnatur qui dixerit, Christianos omnes in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem. Hæc autem definitio consentanea est, tum Apostolo sæpè dicenti, non omnes esse Apostolos, non omnes Prophetas, aut Doctores: hoc enim dictum est, quia diversa sunt officia in Ecclesia, quæ non omnia eundem actum habent. Tum communi sensui Doctorum, & praxi Ecclesiæ, qua docemur, etsi quilibet homo sit sufficiens minister Baptismi, propter summam ejus necessitatem, & Matrimonii, ipsi contrahentes; ordinarium tamen Confirmationis, & Ordinis ministrum, esse solum Episcopum, ministrum verò Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Unctionis extremæ solum esse sacerdotem.

Neque refert 1. quod Christiani omnes interdum dicantur sacerdotes, ita enim vocantur, quia offerunt Deo laudes & preces, aliaque bona opera, quæ sunt sacrificia spiritualia; non autem quòd quilibet possit validè sacrificium corporis, & sanguinis Christi offerre in altari.

Neque

Neque refert 2. quòd omnes Christiani sint fratres Christi, qui est sacerdos; non enim magis inde colligitur, quòd sint sacerdotes, quàm quòd sint nati de Virgine: siquidem, ut perspicuum est, non omnia fratribus ex æquo conveniunt, præsertim quando non agitur de fraternitate naturali; sed de adoptiva, qualis est inter fideles, & Christum.

RESOLUTIO II. *Ad valorem sacramenti, fides Ministri non est necessaria, sicut neque illius probitas.*

PRIMA PARS statuitur in variis Conciliis, Nicæno 1. Carthag. 1. aliisque sequentibus, ac tandem in Trident. sess. 7. de baptismo can. 4. ubi damnantur qui dicunt, baptismum datum ab hæreticis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum. Idem tradunt plerique summi Pontifices, & Ecclesiæ Doctores, ac scholastici communiter contra Agrippinum Carthaginensem Episcopum, & Cyprianum ejus successorem, aliosque ejusdem sæculi viros pios, & Catholicos

*Accedit duplex ratio, altera à priori, altera à posteriori. Prior est, quia minister sacramentorum non agit, nisi ut instrumentum Dei: ut autem sic operetur, sufficit, quod humano quodam & deliberato actu usurpet materiam, & formam à Christo præscriptas, cum debita intentione faciendi quod facit Ecclesia; neque ad hoc fides illius necessaria est.*

*Posterior est, quia character non amittitur propter hæresim; quare si sacerdos in eam incidat, retinet characterem Ordinis, & consequenter potestatem conficiendi sacramenta. Poterit ergo verum perficere sacramentum, si materiam & formam à Christo præscriptas, cum debita intentione usurpet, esto fide infusa careat. Imò qui bona fide sacramentum aliquod ab hæretico reciperet, non minorem consequeretur gratiam, quàm si illud ipsi à fidei ministrato fuisset: non enim est melior baptismus, qui per meliorem datur, ut ait August. lib. 3. contra Crescon.*

DE SACRAMENTIS CAP. IV. 21

*Crescon. cap. 6.* eo quòd sacramenta habent efficaciam ex opere operato, & ex meritis Christi, non autem ex dignitate ministri.

*Nota* tamē interdum ex Patribus, baptismum perfidorum non mundare, sed polluere; nimirum quando suscipiens baptismum ab hæretico, peccat mortaliter. Et Eucharistiam ab Arrianis confectam, esse consecrationem sacrilegā, quia in tali consecratione sacrilegium committitur, quod tamen illius valorē non destruit. Nonnunquam verò ordinaros ab hæreticis fuisse iterum ordinaros, ex præscripto Romanorum Pontificum, quia scilicet hæretici illi ritu Ecclesiæ ordinati non fuerant.

*Secunda pars* probari etiam potest ex variis Conciliis. Verum sufficiet illud ex Concil. Trident. *sess. 7. de sacramentis in genere, can. 2.* Si quis dixerit ministrū in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum, anathema sit.

Hinc autem, & ex antedictis colligitur *ratio*, quia sacramentum valet modo apponantur essentialia: at hæc possunt apponi, etsi minister malus sit; quemadmodum medicus aliàs malus, potest applicare remedia quæ ad morbum depellendum sunt necessaria. Porro cum res de qua agitur, pendeat ex institutione divina, præcipua illius ratio sumenda est ex voluntate Christi, qui poterat exigere probitatem ministri illiusque fidem, tanquam conditionem ad valorem sacramenti necessariam. Congruum autem fuit ut non exigeret, tum propter rationem allatam, tum ne servus spem suam in servo collocaret, putans se ob illius probitatem, recipere sacramenti effectum.

*Neque objicias* 1. illud *Eccli 34.* ab immundo quis mundabitur? Siquidem minister malus, cum non conferat sacramentum virtute propria, sed virtute Christi, non operatur ut peccator, aut immundus, sed



sed ut minister ad id muneris à Christo deputatus; qua ratione opus illius sanctum est, & suscipientem sanctificat.

*Neque objicias 2.* Peccatorem esse indignum potestate administrandi sacramentum, illumque non posse aliis conferre gratiam, cum ea careat: prius enim verum est, non tamen ex eo sequitur, peccatorem privari potestate illa; sicut non privatur vita, aliisque bonis corporeis, quibus haud dubie indignus est: posterius autem falsum, quia licet nemo ut causa principalis det quod non habet, potest tamen illud dare ut causa instrumentalis; quemadmodum patet in ferra, quæ tribuit formam scamni, quam non habet.

**RESOLUTIO III.** *Ad valorem sacramenti necessarium est ut minister intendat facere, quod facit Ecclesia.* ] Est de fide, ut patet ex Concil. Florentino, in Instructione Armenorum, & Tridentino *sess. 7. cap. 21.* Solùm difficultas est in quo consistat illa intentio faciendi, quod facit Ecclesia. An scilicet sufficiat velle facere actum externum, quem facit Ecclesia, adhibendo res & verba ex quibus sacramentum constituitur: an verò opus sit, velle facere talem actum, ut caeremoniam quandam sanctam & religiosam, qualem Christus instituit, & Ecclesia celebrat.

Dimissis autem controversiis, dicendum est, intentionem illam faciendi quod facit Ecclesia, hoc posteriori modo intelligendam esse. Nam in Concil. Trident. damnantur hæretici, quod non admittant intentionem faciendi quod facit Ecclesia: at illi non negant, necessariam esse intentionem faciendi actum externum & materiale, quem Ecclesia facit; ergo per intentionem illam significatur intentio faciendi sacramentum aut aliquid æquivalens.

*Confirmatur,* tum quia inutile esset determinare necessariam esse, ad valorem sacramenti, intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, si per hoc nihil aliud

DE SACRAMENTIS. CAP. IV. 23

aliud intelligeretur, quam intentio faciendi actum externum; cum fieri nequeat, ut minister ex prava deliberatione, materiam & formam sacramentorum adhibeat, quin habeat intentiorem eas adhibendi. Tum quia ex *sess. 24. de pœnitentia cap. 6.* absolutio non valet, si desit sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi: id est, nisi sacerdos proferendo verba absolutionis, supra debitam materiam, intendat verum administrare sacramentum pœnitenti. Ex quo manifestum est, velle exterius applicare materiam, & formam sacramenti, id non sufficere, ut habeatur illa intentio Ecclesiæ, quæ ad valorem sacramenti necessaria est.

*Dices 1.* S. Thomam oppositum docere *3. p. qu. 64. art. 3. ad 2.* Sed contrà, nam *art. 10.* sequenti ait, tolli veritatem sacramenti, quando ministri intentio pervertitur respectu ipsius sacramenti; puta inquit, cum aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere. Itaque priori loco non vult, prolationem externam verborum sufficere ad sacramentum in se, sed quoad nos, seu ad pacandas conscientias suscipientium: quia quamdiu non constat ministrum, cum prava intentione administrare, piè credendum est eum sincere agere, & Ecclesiæ, quæ de occultis non judicat, tale sacramentum ratum habet.

*Dices 2.* In agente instrumentario sufficit sola intentio causæ principalis. *Respondeo* hoc verum esse de mero instrumento, cui commissa est nuda alicujus operis executio: at ministri sacramentorum non sunt mera instrumenta, sed potius dispensatores mysteriorum Dei, & Judices, qui cum aliqua auctoritate sacramenta administrant. Quare Christus non vult sacramentum validè conferri, nisi dependenter ab eorum intentione, seu voluntate.

*Dices 3.* Baptismus ab Athanasio, dum puer esset, joco collatus, judicatus fuit validus. *Respondeo* Athanasium declarasse, se habuisse intentionem faciendi, quod

quod viderat Episcopum Alexandrinum facientem: quare valebat baptismus, etsi cum levi aliquo joco conjunctus.

RESOLUTIO IV. *Ad valorem sacramenti non requiritur actualis intentio, nec habitualis sufficit; sed virtualis sufficere potest, imò si desit actualis, necessaria est.*

PRIMA PARS PROBATUR, quia etsi actualis intentio sit omnium perfectissima, maximeque curandum sit ut habeatur: non est tamen in potestate nostra eam semper habere, propter occurrentes varias cogitationes, quibus animus nonnunquam velit nolit, distrahitur. Quare cum aliqua verisimilitudine dici non potest, quòd Deus eam exigat tanquam conditionem, ad valorem sacramenti necessariam.

*Secunda pars ostenditur:* nam ad intentionem habituales requiritur ut actualis præcesserit, nec sit retractata; nullo tamen pacto, id est, sive per se, sive per aliquid sui influat in effectum. Talis autem intentio non potest ad sacramentum sufficere, ut vel ex eo patet, quia aliàs incogitanter, & sine rationis usu materiam & formam sacramenti adhibens, verè sacramentum perficeret, dummodo aliquando habuisset intentionem actualem conficiendi sacramentum, eamque nunquam retractasset.

*Dices,* intentio habitualis sufficit ad suscipiendum baptismum, cur non ad conferendum? Respondeo causam esse, quia in administrante intentio se habet per modum principii activi, adeoque per se, vel per aliud in opus influere debet: at in suscipiente, intentio se habet veluti materialiter; quatenus per illam fit, ut suscipiens non repugnet sacramento, de quo infra.

*Tertia pars ex præcedentibus colligitur:* nam si intentio actualis non est necessaria, & habitualis non sufficit, ergo aut nulla requiritur intentio, aut deficiente actuali, virtualis necessaria est, & sufficit, id est, etsi non opus sit ut intentio actualis formaliter existat,

DE SACRAMENTIS. CAP. IV. 25

existat, requiritur tamen ut illa virtualiter perseveret, seu in aliquo suo effectu, ratione cuius dicatur movere ad operationem; ut contingit, quando sacerdos ex intentione actuali conficiendi Eucharistiam, tendit ad altare, & Missam celebrat, ac tandem aliud cogitans, profert verba consecratoria. Tunc enim non obstante presenti distractione, procedens intentio virtualiter perseverare censerur, nempe mediante illa serie actionum consecrationem precedentium, quæ ab illa profluxerunt.

*Quæret aliquis, an ad valorem sacramenti sufficiat intentio conditionalis? Respondeo cum distinctione,* nam vel sacramentum confertur sub conditione de presenti, aut præterito, vel sub conditione de futuro: si primo modo, sacramentum valet, quando vera est conditio; ut quando dubitans num puer sit baptizatus, qui verè baptizatus non est, eum baptizat, sub conditione, si non est aut fuit baptizatus, tunc enim intentio conditionata transit in absolutam, & operatur effectum; si secundo, sacramentum nullum est, etsi futura sit conditio, ut si quis adulto dicat, ego te baptizo, si crastina die orationem dominicam recitaveris: tunc enim non est præsens intentio, & postea posita conditione, non adsunt materia & forma.

Aliud est, in matrimonio, quia consensus factus sub conditione, veluti suspensus manet donec impleta sit conditio, tuncque habet suum esse completum: a ablutio non pendet à conditione futura: aliàs si baptizatus apponeret cras conditionem, censeretur posita ablutio, secus verò si non apponeret quod certè ridiculum est. Idem dic de aliis sacramentis, quia consistunt in quibusdam actionibus externis, quæ à futura conditione pendere non possunt.

RESOLUTIO V. *Intentio ministri debet versari circa materiam, aut personam presentem; error tamen substantialis personæ, non irritat sacramentum, nisi in matrimonio.* ]PRIMA PARS OSTENDITUR, tum

b

quia

quia intentio ministri ferri debet in id quod à formis sacramentorum designatur, illæ autem materiã, vel personam præsentem determinant; tum quia intentio ministri, debet esse efficax, & operativa ad extra, qualis non esset, nisi haberet subjectum præsens & determinatum.

*Secunda pars suadetur*, quia minister directè intendit, verbi causa, baptizare infantem quem præsentem habet; ergo verè illum baptizat, cum debitè ei applicet materiam & formam. Quòd autem ille què baptizat, non sit Joannes, ut arbitratur, sed Antonius, hoc est per accidens ad valorem, & effectum baptismi. Et idem dicendum, quamvis minister baptizet puellam, putans se baptizare puerum. *Excipitur tamen matrimonium*, quia contrahentes directè intendunt matrimonium inire cum tali persona, exclusis aliis omnibus; quare si una persona substituat alteri, matrimonium non tenet, ut dicitur infra.

*Nota jam dicta intelligi* 1. de errore qui contingit, circa personam capacem sacramenti: si enim Episcopus tentaret ordinare fœminam, putans esse virum, nulla esset ordinatio, quia fœmina nō est capax talis sacramenti. 2. Quando sacerdos vult baptizare personam præsentem quæcunque sit: si enim non intenderet alium baptizare, quàm Petrum, & baptizaret Joannem, sacramentum esset irritum.

RESOLUTIO VI. *Si desit sufficiens intentio, quando verbum aliquod essentiale formæ proferitur, nullum est sacramentum, etsi dum reliqua proferuntur adsit. Secus dicendum, si intentio desit, quando proferuntur verba accidentalia.* ] **RATIO PRIORIS PARTIS EST**, quia non minùs est intentio necessaria ad valorem sacramenti, quàm forma; sicut ergo non perficitur sacramentum, quando essentiale aliquod verbum formæ omittitur, ita nec quando ejusmodi aliquod verbum absque necessaria intentione proferitur.

Hinc,

## DE SACRAMENTIS CAP. IV. 27

Hinc, si quis inter celebrandum proferat particulam, hoc, sine intentione consecrandi, & statim mutata intentione addat, est enim corpus meum, sacramentum non perficiet.

*Ratio posterioris partis est*, quia sicut ommissio verbi accidentaliter non destruit formam, aut debitum illius sensum, ita nec illius prolatio, sine debita, aut cum contraria intentione, sacramentum irritare potest. Hinc, qui in consecratione proferendo particulam, enim, non haberet debitam intentionem, sacramentum perficeret, modo in aliorum prolatione haberet intentionem consecrandi.

*Nota*, quando sacramentum nullum fuit defectu intentionis ministri, illius effectum à Deo non suppleri. Nam in primis character nunquam imprimitur, nisi per sacramentum; cuius indicium est, quia si constaret ministrum non habuisse intentionem baptizandi, iterandus esset baptismus. Deinde etsi adulto cum debita dispositione accedenti ad sacramentum conferatur gratia, ex opere operantis, si tamen sacramentum non valeat, ille non accipit illos gradus gratiæ qui dantur ex vi sacramenti, seu ex opere operato. Imò Deus gratiam non tribuit parvulo, si minister non intendit eum baptizare. Licet enim hoc durum videatur, non tamen injustum, cum Deus ex se parvulorum salutem sufficienter provideat, neque ministrorum malitiam impedire teneatur.

## CAPUT V.

*De administratione, & susceptione Sacramentorum.*

**R**ESOLUTIO I. *Sacramentum administrare in statu peccati mortalis, est peccatum mortale.* ] Ita sumitur ex variis decretis summorum Pontificum. *Ratio est*, quia magna est irreverentia quod quis indignè personam Christi gerat, illius merita & sanguini-

sanguinem dispenset, & actionem sacram usurpet, quæ ad hominum sanctificationem specialiter à Deo est instituta. Ista autem omnia præstat, qui in statu peccati mortalis sacramenta administrat: quare dubitari non potest, quin ille per se loquendo, graviter peccet.

*Quo loco observandum 1.* Prædictam assertionem ex multorum sententia, restringi ad eos qui sacramenta conficiunt ex officio, seu qui per specialem consecrationem ad hoc sunt deputati: non autem extendi ad illos, qui non ex officio, sed ex mera necessitate sacramentum aliquod administrant. Ratio tamen allata sufficienter videtur concludere de omnibus, sacramenta in statu peccati mortalis ministrantibus; cum supposita sacramentorum institutione, oriatur ex jure ipso naturæ, gravis obligatio ad ea sanctè & reverenter tractanda. Quanquam vix negari potest, quin cæteris paribus, ii gravius peccent, qui ex officio sacramenta administrant cum indebita dispositione, quàm alii.

*Observandum 2.* Eos qui sibi sunt conscii peccati mortalis, aliquando excusari à novo peccato sacramenta administrando; nempe quando urget necessitas ministrandi sacramentum, verbi causa, baptismum parvulo morienti, & aliunde minister aut non cogitat de suo statu, aut inculpabiliter ignorat obligationem ministrandi in statu gratiæ, aut propter brevitem temporis, variasque distractiones in dicto casu occurrentes, nequit se ad perfectam contritionem excitare. Tunc enim verisimile non est homini imputari ad culpam mortalem, quòd sine debita dispositione, administret sacramentum proximo in extremis constituto; præsertim cum sacramenta in bonum suscipientium à Deo instituta sint; ne scilicet sine remedio ad salutem necessario intereant.

*Observandum 3.* Prædicta à multis extendi ad sacerdotem, qui in statu peccati mortalis Eucharistiam, aliàs confectam administrat; quia gravis est irreverentia,

rentia,

rentia, non tantum conficere, sed etiam aliis in eo statu dispensare corpus & sanguinem Christi. Præsertim cum sacerdos ad utrumque ritè & sanctè præstandum per consecrationem deputatus fuerit, & specialem gratiam acceperit. Addunt etiam aliqui, sacerdotem peccati mortalis reum, toties peccare mortaliter, quot sunt hostiæ consecratæ, quas separatim porrigit: quia sunt distinctæ sacramenti distributiones, quarum una non dependet ab alia, etsi consequenter fiant.

Non desunt tamen qui putant, distribuere Eucharistiam in peccato mortali, non esse per se peccatum mortale; quia ejusmodi actio non est confectio, aut pars sacramenti, sed merus contactus Eucharistiæ, illiusque applicatio ad suscipientem, tanquam actiui ad patiens, quæ ex suo genere non inducit peccatum mortale.

*Observandum 4.* Prædictam assertionem non habere locum in Parocho, qui assistit matrimonio in peccato mortali: ille enim tunc non administrat sacramentum, sed adest tanquam testis, ut dicitur infra: secus res se habet in ipsis contrahentibus, quia illi sunt ministri in sacramento matrimonii, adeoque si in peccato mortali versantur, peccant mortaliter, quatenus indignè illud administrant. Et sanè ratio superius tradita id videtur convincere: quamvis sententia quæ oppositum statuit probabilitate non careat, & in praxi sit segura. Illud autem apud omnes certum est, contrahentes in peccato mortali, peccare mortaliter, quatenus indignè sacramentum matrimonii suscipiunt, sive etiam peccent, quatenus illud sibi administrant, sive non.

*Observandum 5.* Resolutionem allatam non esse extendendam ad eos, qui sacramentalia exercent in peccato mortali; per ejusmodi enim actiones non dispensantur merita Christi, neque in iis efficiendis minister agit ut instrumentum Dei, animam sanctificantis, quare irreverentia non est tanta, ut per se indu-



se inducat peccatum mortale. Idemque dicendum de iis qui statu peccati exercent actus minorum, aut etiam majorum ordinum: licet enim actiones illæ sint quodammodo sacræ, non tamen sunt propriè sacramentales, cum per eas non fiat sacramentum, adeoque non sint tanti momenti, ut eæ in peccato mortali exercens peccet mortaliter. Et à fortiori idem sentiendum de eo qui concionatur, aut qui profert sententiam, aut alium corripit in statu peccati mortalis. Hæc enim & similia, etsi bonæ sint ex objecto, non sunt specialiter sancta & consecrata, ut actiones sacramentorum, adeoque non æqualem dispositionem, & sanctitatem in operante exigunt. Per accidens tamen interdum contingere potest, ut prædicta exercentes graviter peccent, nempe ratione contemptus, aut scandalii.

RESOLUTIO II. *Non eadem dispositio necessaria est in eo qui peccati mortalis est reus, ad legitimam administrationem omnium sacramentorum.* ] PROBATUR, ut enim quis legitimè administret, verbi causa, baptismum, satis est, si eliciat actum contritionis, aut verum, aut talem invincibiliter existimatum. Neque necesse est, ut præmittat confessionem sacramentalem, cum nullum in eo casu præceptum extet confitendi peccatum mortale, sed tantum accedendi in statu gratiæ, quod per actum contritionis obtineri potest: si tamen minister esset tantum attritus, deberet confiteri peccata, eò quòd attritio non sufficit ad justificationem, nisi cum sacramento conjuncta sit.

At verò sacerdos celebraturus, etsi contritus sit de peccato mortali, cujus habet conscientiam, debet sacramentaliter confiteri, non quidem præcisè quatenus debet celebrare, & Eucharistiam conficere, ad hoc enim sufficeret contritio; sed quia in ea celebratione sumpturus est sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, ut statutum est in Concil. Trident. *sess. 13. cap. 7. juxtà inferius dicenda.*

Ubi

DE SACRAMENTIS. CAP. V. 31

*Ubi nota 1.* Ex aliquorum sententia, sacerdotem qui non præmissa confessione peccati mortalis, cuius habet conscientiam, celebrat, duplex ut minimū peccatum committere, aliud omissionis, quatenus confessionem omittit, aliud commissionis, quatenus indignè Eucharistiam recipit. Alii tamen oppositum sentiunt, quia cū in tali casu confessio non præcipiatur per se, sed tantum ratione Eucharistiæ, illius præmissio non constituit peccatum distinctum ab indigna susceptione Eucharistiæ. Et similiter, qui sine contritione alia sacramenta in peccato mortali administrant, non committunt nisi unum peccatum mortale, quod consistit in sacrilega sacramenti administratione.

*Nota 2.* Antedicta non ita debere intelligi, ut nunquam liceat sacerdoti, sibi conscio peccati mortalis celebrare, nisi præmissa confessione: est enim exceptio ab hac lege, quando adest necessitas celebrandi, & non adest confessarius, qui celebraturum audire possit, ut patet ex Trident. loco citato. In quibus autem casibus censeatur abesse confessarius, & adesse necessitas celebrandi, explicandum erit ubi de Eucharistia.

RESOLUTIO III. *Ad valorem sacramenti necessaria est in suscipiente voluntas illud suscipiendi: non tamen gratia.* RATIO PRIORIS PARTIS petenda est maximè ab institutione Christi, quæ nobis per traditionem Ecclesiæ, & communem Theologorum consensum sufficienter declaratur. Congruentia verò est, quia cū sacramenta instituta sint ut hominem speciali modo consecrent, & in novo statu constituent, valde congruum fuit, ut id valide non fieret sine ipsius voluntate & consensu.

*Quod intellige 1.* De homine qui rationis usu potitur; nam quòd attinet ad infantes, certum est eos esse capaces baptismi, & quorundam aliorum sacramentorum, etsi eorum receptioni per se consentire nequeant. Idemque dicendum de adultis, qui nunquā

ratione usi sunt : quamquam secus dicendum sit de iis , qui post usum rationis , in amentiam inciderunt ; illi enim invalidè sacramentum suscipiunt , nisi alias habuerint voluntatem aliquam illud suscipiendi.

Unde colligitur hominem omnino invitum invalidè sacramentum suscipere , non tamen si tantum sit invitus secundum quid , ut contingit quando quis metu ad susceptionem sacramenti compellitur : talis enim validè sacramentum suscipit , quia absolutè vult illud suscipere , etsi non secundum quid , quatenus si metus abesset , ad illud non accederet.

*Intellige 2.* De sacramentis in usu consistentibus , nam quòd spectat ad Eucharistiam , cùm fiat per cõsecrationem materiæ , ea non pendet in fieri à voluntate suscipientis , sed à sola intentione cõsecrantis : & cùm consistat in permanente , non pendet in conservari , ab intentione utentis : quare si porrigatur homini quantumvis reuerti , & invito , ille revera sacramentum suscipiet , etsi non fructum sacramenti. Alia verò sacramenta cùm consistant in usu seu applicatione ad recipiens , non possunt esse , aut fieri sine recipientis consensu ; adeoque sine tali consensu rata aut valida esse non possunt.

*Intellige 3.* De voluntate saltem habituali , quod enim illa sufficiat in suscipiente , patet ; tum quia ex jure amentes , & dormientes qui baptismum ante amentiam , vel somnum petierunt , si periculum immineat , sunt baptizandi , ac illi non habent intentionem actualem , nec virtualem propriè , sed habitualẽ duntaxat. Tum quia etsi minister per suam intentionem aliquo modo effectivè ad sacramentum concurrat , adeoque illa debeat saltem virtualiter existere , ut per se , aut per aliquid sui in effectum influat ; suscipiens tamen non se habet , ut causa agens , sed ut subjectum patiens ; quare illius intentio non requiritur , nisi ut sacramenti susceptio censeatur volita ; ad quod

DE SACRAMENTIS. CAP. V. 33

quod sufficit, quòd intentio actualis præterita non sit retractata, sed habitualiter remaneat.

*Intellige 4.* De voluntate magis, aut minus expressa juxta conditionem sacramentorum. Nam verbi causa, ad valorem pœnitentiæ, non sufficit quòd pœnitens quovis modo absolutionem voluerit, nisi etiam peccata modo possibili confessus fuerit. Ad valorem autem Extremæ-unctionis, non requiritur voluntas tam expressa; sed sufficit implicita, qua qui piè & Catholicè vivit, censetur velle ut sibi morienti ea administrarentur sacramenta, quæ morientibus tradi solent. Quare si rationis usu subito destituatur, inungendus est, etsi expressè hoc sacramentum non petierit.

*Ratio posterioris partis est*, tum quia ex Conciliis, & Jure Canonico hæretici baptizati, vel ordinati juxta ritum Ecclesiæ, non sunt iterum baptizandi, vel ordinandi. Tum quia sicut improbitas ministri non impedit valorem sacramenti, ut supra diximus, ita nec improbitas suscipientis, modo verè intendat sacramentum recipere. Excipimus tamen sacramentum Pœnitentiæ, ad cujus valorem requiritur dolor de peccatis, ut dicetur alibi.

RESOLUTIO IV. *Ut peccator per sacramentum recipiat gratiam, de peccato in quo versatur dolere debet.* RATIO EST, quia non decet eum, qui propria voluntate à Deo per peccatum aversus est, in illius amicitiam recipi, quin dolore aliquo testetur peccatum sibi displicere. Dico propria voluntate; nam infantes, cum aliena voluntate peccaverint, sine proprio actu per sacramentum sanctificantur.

*Nota 1.* Ut peccator in sacramento Pœnitentiæ gratiam acquirat, non sufficere dolorem naturalem, sed requiri supernaturalem, ut sit proportio inter dispositionem, & gratiam. Non tamen opus est ut ejusmodi dolor sit vera contritio; quia cum hæc ultimò disponat ad gratiam, sacramentum Pœnitentiæ nunquam conferret primam gratiam. Unde sequitur

veram & supernaturalem attritionem sufficere, ut etiam perspicuum est ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 4.*

*Nota 2.* Quod jam dictum est de dispositione necessaria ad sacramentum Pœnitentiæ, ob rationis paritatem, debere etiam intelligi de dispositione ad baptismum ab adulto peccatore susceptum; utrumque enim est sacramentum mortuorum, id est, ad primam gratiam & peccatorum remissionem institutum. Quod verò spectat ad alia quinque sacramenta, quæ dicuntur vivorum, cum ea non sint per se instituta ad remittenda peccata mortalia, nemo ad ea accedere debet, nisi gratia instructus sit. Unde sibi conscius peccati mortalis, debet conteri; & si velit sumere Eucharistiam, confessionem sacramentalem debet præmittere, ut ante dictum est.

*Nota 3.* Prædicta intelligi de attritione, etiam ut tali cognita. Nam cum sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ sint per se instituta ad conferendam primam gratiam; potest homo ad illa accedere, cum animo consequendi ejusmodi effectum; adeoque etsi existimet dolorem quem habet de peccato, non esse contritionem, sed attritionem duntaxat.

*Nota 4.* Ut homo justus, per sacramentum accipiat augmentum gratiæ, non requiri dispositionem ullam actualem, distinctam ab intentione illa de qua suprâ egimus. *Ratio est*, quia sacramenta conferunt gratiam, non ponentibus obicem, ex Trident. *sess. 7. can. 6.* qui autem ad ea accedit in statu gratiæ, non ponit obicem augmento gratiæ, etsi nulla dispositione actualem præditus sit. Excipimus tamen sacramentum Pœnitentiæ; quia cum actus quidam pœnitentis sit de essentia illius, non potest valere, aut conferre effectum ei, qui caret omni dispositione actualem. Ad dimus etiam, in cæteris sacramentis actualem dispositionem esse valde utilem, & nunquam præmittendam; esto non planè sit necessaria ad augmentum gratiæ.

RESO-

DE SACRAMENTIS CAP. V. 35

RESOLUTIO IV. *Licitè possum petere sacramentum à meo pastore, & ab alio qui paratus est sacramentum conferre, etsi probabiliter putem, eum in administratione peccaturum.*] PRIMA PARS patet, quia peto rem de se bonam & licitam, quam pastor potest, & debet bene facere; & præterea utor meo jure petendo ab illo, quod mihi debet: quare nullum est peccatum: quòd ab eo sacramentum exigam. Si tamen alius adesset, qui æquè commodè, & absque peccato, posset mihi sacramentum conferre, tenerer ad illum accedere, non ad pastorem; & secus faciens, peccarem graviter contra charitatem proximi, & contra reverentiam sacramento debitam.

*Secunda pars suadetur*, quia dum peto sacramentū à ministro exposito, non tam illum induco ad peccatum, quàm ipse se spontè in illud conjicit: quare non pecco, accedendo ad illum, nisi alius adsit minister probus, à quo æquè commodè, & cum non minori fructu sacramentum sumere possim: tunc enim teneor cavere peccatum alterius, cum id sine ullo meo damno fieri possit. Nec refert, quòd interdum possim licitè pecuniās mutuò accipere à publico usurario, qui paratus est omnibus petentibus pecuniā dare sc̄nori; hoc enim tantum verum est, quando deest alius qui usuram non exigat.

*Quæres.* An possim interdum petere sacramentum, a pravo ministro non parato, verbi causa, absolutionem à peccatis in mortis articulo? *Respondes affirmativè:* tunc enim non teneor vitare ruinam alterius, cum tanto meo damno aut periculo. An autem necessitas satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sit sufficiens causa ad petendum, dubitatur inter aucthores, quorum alii communiùs affirmant, quia magis teneor ex charitate vitare peccatum proprium, quam alienum; imò addunt aliqui, me posse licitè sacramentum exigere à ministro pravo non parato, quando notabilem quandam utilitatem ex eo me recepturam spero, ut si in solemni festo, ex speciali devo-

devotione peccata confiteri, vel Eucharistiam sumere velim.

*Quæres 2.* An sacramentum licitè peti possit à ministro excommunicato, aliave censura affecto? *Respondeo 1.* Ex justa causa peti posse à ministro ab Ecclesia tolerato. *Ratio est*, quia ex præcepto Ecclesiæ non teneor vitare quoad usum sacramentorum, ministros toleratos. Dicuntur enim tolerati, quia cum iis licitè possumus communicare in divinis, & humanis. Aliunde verò toleratus potest sine peccato sacramentum administrare, si nimirum petat absolutionem à censura, si potest, aut cum non potest, si proponat quam primum eam petere. Quare nulla ratio est, cur non possim ab eo licitè sacramentum exigere, etsi forte in illius administratione peccaturus sit: & sive ille sit meus Parochus, sive non.

*Respondeo 2.* In articulo mortis sacramenta baptismi, & pœnitentiæ à ministro non tolerato sumi posse; primum patet, quia licet homo salvari possit sine baptismo re suscepto, si nimirum contritus decedat; quia tamen non ita facilè actus veræ contritionis elicitur. Ecclesia permittit ut baptismus in mortis articulo administraretur, etiam à non toleratis, propter periculum quod aliàs salutem fidelium immineret. Quod intellige, quando non est copia alterius ministri, & communicatio cum tali ministro non vergit in perniciem suscipientis sacramentum, vel aliorum qui adstant.

Secundum probatur, tum ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7.* ubi docetur, quoslibet sacerdotes in articulo mortis, posse quoslibet pœnitentes absolvere, à quibusvis peccatis & censuris; tum quia non deest tunc necessitas sufficienter excusans ab observatione præcepti Ecclesiastici, de vitando ministro non tolerato; cum sacramentum pœnitentiæ sit per se medium ad salutem necessarium, & jure divino præceptum; ac prætereà periculum sit, ne homo sine vera contritione moriatur.

*Respon-*

DE SACRAMENTIS CAP. V. 37

*Respondeo* 3. Maiorem esse difficultatem de Eucharistia. quidam enim putant, eam non posse peti à non tolerato in articulo mortis : alii vero docent oppositum, quia censuræ Ecclesiasticæ feruntur in odium ministri pravi, non autem in detrimentum suscipientis, quem non decet maximo bono privari, ob peccatum alterius. At Eucharistia est necessaria necessitate præcepti divini, quod obligat pro articulo mortis, illiusque sumptio multum juvare potest suscipientem, ad vitanda peccata mortalia, & perseverantiam finalem obtinendam. Quare in eo casu licet Eucharistiam petere à ministro non tolerato.

Nec refert quòd Hermenigildus maluerit mori, quàm sumere Eucharistiam ab Episcopo Arriano: eam enim recusavit ne in hæresi Arriana cum patre consentire videretur, & aliunde non extabat periculum mortis, aut necessitas eam sumendi à tali ministro.

CAPUT VI.

*De gratia Sacramentali.*

**R**ESOLUTIO I. *Sacramenta novæ legis conferunt gratiam, idque ex opere operato, & immediate.]*  
 PRIMA PARS est de fide, & probatur 1. ex Scriptura *Actor* 2. de baptismo dicitur, baptizetur unus quisque vestrum in remissionem peccatorum: de Confirmatione *Act.* 8. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Et sic de aliis. 2. Ex Conciliis Florentino, in decreto Eugenii, & Tridentino *sess.* 7. *can.* 6. & 7. de sacramentis in communi quibus locis statuitur, sacramenta novæ legis, & gratiam continere, & dignè suscipientibus conferre. 3. Ex communi sensu, & traditione Ecclesiæ, quæ semper credidit Christum alligasse gratiam sacramentis: tum ad perfectionem legis Evangelicæ, tum ad nostram utilitatem.

*Secunda pars est etiam de fide, fuitque determinata*



in Concil. Trident. *sess. prædicta can. 8.* potestque evidenter sumi ex Patribus, qui passim ajunt, sacramenta novæ legis per se, ut sunt instrumenta quædam ad sanctificationem hominum divinitus instituta, habere vim conferendi gratiam, citra ullam dispositionem, aut meritum suscipientis, vel administrantis, adeoque ex opere operato.

Quod ut intelligas, *Nota 1.* Gratiam duobus modis conferri posse, primò ex opere operantis, secundò ex opere operato. Gratia confertur priori modo, quando tribuitur homini ratione cujusdam operationis bonæ, & honestæ, prout ab illo elicita est. Posteriori verò, dum non habetur ulla ratio meriti, vel dispositionis propriæ suscipientis sacramentum, sed tantum operis externi, quod illi applicatur, cujus vi datur gratia; & hoc modo dicimus sacramenta novæ legis conferre gratiam.

*Nota 2.* Hoc non ita debere intelligi, ut nulla dispositio requiratur ex parte suscipientis, licet enim sacramentum ex se, & absque ordine ad ullam dispositionem, habeat vim producendi gratiam: ut tamen eam actu producat, necesse est ut suscipiens non ponat obicem, & per aliquos actus, si adultus sit, ad eam recipiendam se disponat, ex dictis in præcedenti capite. Unde jam in debita susceptione sacramenti, duplex confertur gratia, alia respondens dispositioni, alia ipsi sacramento; cum in sacramentis antiquæ legis non conferretur ullus gradus gratiæ ex opere operato, seu vi ipsius sacramenti; sed tantum ex opere operantis, seu juxta dispositionem suscipientis.

*Terttia pars suadetur* contra eos qui putant, sacramenta producere immediatè aliquam dispositionem, & ea mediante gratiam: vel enim illa dispositio est naturalis, vel supernaturalis; non naturalis, quia hæc non est sufficienter proportionata ad gratiam, quæ est forma supernaturalis: non supernaturalis, quia non minùs ad illam necessaria esset prævia dispositio, quam ad gratiam.

Deinde,

DE SACRAMENTIS CAP. VI. 39

Deinde, vel illa dispositio est character, ut quidam volunt, vel quidam ornatus animæ, ut alii sentiunt: non character, tum quia interdum recipitur character sine gratia, ut in fictè suscipientibus: tum quia nonnunquam gratia producitur sine characterè, & character manet abscedente gratia. Quod non fieret, si character esset dispositio habens necessariam connexionem cum gratia. Non etiam ornatus: tum quia non potest explicari quid sit ille ornatus, & in qua specie collocandus sit: tum quia si disponit physicè ad gratiam, debet recipi in ipsa essentia animæ: at hæc per se & immediatè non minus est capax gratiæ, quàm ornatus prædicti.

RESOLUTIO II. *Sacramenta novæ legis non producunt gratiam physicè; sed tantum moraliter.* ] PROBATUR 1. quia non sunt multiplicanda miracula sine necessitate: at nulla est necessitas ponendi in sacramentis causalitatem physicam, valde miraculosam respectu gratiæ, ergo, &c. Minor ostenditur, quia illud non est necessarium ad aliquem effectum, sine quo effectus ille ponitur: gratia autem tribuitur per sacramenta, etsi non habeant causalitatem physicam; quia cum virtualiter Christi merita contineant, sunt causæ morales gratiæ ut omnes concedunt, eamque tam certò conferunt, ac si insuper elevarentur ad eam causandam physicè; ergo talis causalitas est inutilis.

*Probat 2.* Sacramenta novæ legis interdum producunt gratiam tantum moraliter, ergo semper eodem modo eam producunt. Antecedens communiter admittitur in Baptismo fictè, seu cum affectu ad peccatum mortale suscepto; qui enim ita baptizatus est, si post mensem conteratur de peccatis suis, recipiet gratiam virtute præcedentis baptismi, qui cum non existat physicè, non nisi moraliter operari potest: sequela ostenditur, quia gratis dicitur, idem sacramentum mox operari tantum moraliter, mox physicè simul, & moraliter.

*Dices*

*Dices* id gratis non affirmari, quia quando sacramentum actu existit, habet omnes conditiones necessarias ad agendum physicè, non autem quando non existit, adeoq; duplex agendi modus illi tribuendus est. *Contra*, nam etsi existentia sit conditio necessaria ad agendum physicè, non tamen ex ea probas causalitatem physicam sacramentorum, sed ex quibusdam locutionibus scripturæ, quæ videntur indicare talem causalitatem: ut cum dicitur, per baptismum hominem mundari, sanctificari, regenerari, &c. at quod eam non significant, probatur: quia illæ verificantur de baptismo, qui fictione recedente operatur, sicut & de passione Christi præterita, adeoque non significant nisi causalitatem moralem. Deinde quod sacramenta non habeant existentiam sufficientem ad producendam physicè gratiam, diceretur statim.

*Probat* 3. Nam si sacramenta producunt gratiam physicè, id præstare debent, quando actu existunt: at hoc non, quia cum sint entia successiva, non existunt nisi successive, & in tempore, gratia verò cum sit qualitas indivisibilis, & tota simul, non nisi instanti produci potest.

*Dices*, sacramentum producere gratiam secundum reale aliquod indivisibile terminativum partium ejus. *Contra* 1. Illud indivisibile non est materia, aut forma sacramenti, neque pars materiæ, aut formæ: at sacramentum operatur per suam materiam aut formam, & per earum partes, maximè in sententia opposita quæ ait, sacramenta agere per potentiam obedientialem omnino indistinctam à reali entitate materiæ & formæ: ergo non per illud indivisibile duntaxat; quare cum partes omnes substantiales materiæ & formæ elapsæ sint, gratia non potest vi illarum produci realiter.

Secundò vix fieri potest, moraliter loquendo, ut materia & forma sacramentorum finiatur simul, adeoque ferè semper contingit, ut una pars perfecta sit

sit

fit ante aliam, & consequenter ut tantum una ex illis per suum indivisibile terminativum producat physicè gratiam, ea nimirum quæ ultimo loco completa est; alia verò moraliter duntaxat. At quis credat, sacramenta ordinariè ita concurrere ad gratiam, ut per alteram partem eam physicè producant, per alteram verò tantum moraliter? Quid, quòd non rarò evenit, ut forma absolvatur ante materiam, adeoque dicendum esset, plerunque sacramenta operari physicè per materiam, non per formam; cum tamen hæc sit nobilior pars sacramenti, majoremque efficaciam habeat.

*Probatur 4.* Refellendo modum communioem, quo plerique docent sacramenta elevari ad productionem gratiæ: supponunt enim in qualibet re esse potentiam obedientialem activam, ad producendum quidlibet, quod valde durum videtur; tum quia eodem modo dici posset, esse in qualibet re potentiam passivam ad recipiendum quidlibet, adeoque animam rationalem posse dealbari, & gratiam in aqua recipi posse. Tum quia non potest oculus corporeus elevari ad videndum Angelum, ergo nec aqua ad producendam gratiam: sequela patet, quia productio gratiæ est actio spiritualis, sicut visio Angeli, & aliunde anima quæ est principium sensuum in homine, est spiritualis, ac proinde non tam repugnare videtur, quòd oculus corporeus videat Angelum, quàm quòd aqua producat gratiam: præsertim cum hæc sit supernaturalis quoad substantiam. Vide alios dicendi modos in tractatu de sacramentis, 1. p. disp. 8. sect. 5. rejectos.

*Dicitur 1.* ex Conciliis, & Patribus sacramenta continere gratiam, eam conferre ex opere operato, imprimere characterem, quæ & similia denotant causalitatem physicam. *Respondeo* ex iis locutionibus nihil concludi; non ex prima, quia sicut sacramenta merita Christi moraliter continent; ita moraliter gratiam continere dicuntur. Non ex secunda, siquidem

dem baptismus fictè susceptus, recedente fictione, producit gratiam ex opere operato: & tamen ex consensu adversariorum, tunc non agit nisi moraliter. Non ex tertia, quædam enim sacramenta dicuntur imprimere characterem, non quia agunt physicè, sed quia character vi illorum productus indelebiter inhæret animæ. Accedit quòd peccatum dicitur imprimere maculam in anima, & qui de alio detrahit, dicitur illi notam imprimere, vel inurere, quæ & similia non intelliguntur de impressione physica, ut notum est.

*Dices 2.* Patres comparare aquam baptismalem cum aqua calefacta, quoad modum agendi; ita scilicet, ut quemadmodum ista realiter calefacit, ita illa realiter producit gratiam. *Respondeo* similitudinem se tenere ex parte effectus, non ex parte modi agendi, aliàs dicentis pariter eam se tenere ex parte principii activi, ita nimirum ut aqua baptismi producat gratiam, per qualitatem aliquam realem in ea receptam, sicut aqua calefacit per calorem in ea receptum. Hoc autem cum non admittatur ab adversariis, mirum est quòd prædictum dicendi modum, & similes à Patribus interdum usurpatos, tantoperè contra nos surgeant. Præsertim cum non desint gravissimorum Patrum testimonia, quæ omnem causalitatem physicam respectu gratiæ à sacramentis remove videntur, & soli Deo relinquere, ut plerique observant.

*Dices 3.* Sacramenta antiqua producebant gratiam moraliter, ergo nova eam producunt physicè. Sequela patet quia ex Concil. Florent. nova sunt efficaciora veteribus. *Respondeo 1.* Negando antecedens: Concil. enim allatum expressè docet; sacramenta antiqua non contulisse gratiam; sed tantum gratiam per Christum dandam figurasse. *2.* Eo gratis dato, negando consequentiam: tum quia sacramenta antiqua propriè non continebant moraliter merita Christi, aut pretium gratiæ, cum Verbum nondum esset incarnatum;

carnatum; at sacramenta novæ legis dicuntur plena meritis, & sanguine Christi, & gratiam moraliter continere; quia Christus illa instituens, merita sua iis alligavit, Deusque cum eo pactum iniit, de tribuenda gratia iis omnibus, quibus ipsius merita per susceptionem sacramenti applicarentur.

Tum quia cum operatio nihil sit aliud quam alicujus effectus productio, ea merito dici possunt perfectius & efficacius operari, quæ intensiorem & perfectiorem effectum producant, esto quoad modum agendi physicè aut moraliter sint paria: atqui sacramenta nova abundantior gratiam conferunt, quàm vetera; cum hæc gratiam non tribuerent, nisi juxta mensuram dispositionis, & ex opere operantis, illa verò tribuant quosdam gradus gratiæ supra dispositionem: adeoque virtute ipsius sacramenti, & ex opere operato.

Tum denique, quia illud agens dicitur efficacius operari, quod non exigit tantam dispositionem in subiecto, ut in eo formam producat: atqui sacramenta novæ legis minorem exigunt dispositionem in suscipiente, ut in eo gratiam producant, quàm vetera. Ista enim nullam adultis conferebant gratiam, si essent tantum attriti, nova autem, etiam attritis conferunt gratiã: unde ex attrito contritum facere dicuntur.

**RÉSOLUTIO III.** *Gratia sacramentalis aliquid addit supra habitualem, non quidem habitum ab ea realiter distinctum, sed respectum ad auxilia actualia, ad finem sacramenti necessaria.* ] **PRIMA PARS PROBATUR,** quia aliàs cum omnia sacramenta producant gratiã habitualem, eadem esset in omnibus gratia sacramentalis, & ita frustra multiplicata essent tot sacramenta inter se specie distincta. *Neque dicas sacramenta multiplicari propter augmentum gratiæ; ad hoc enim sufficeret idẽ sacramentum sæpius repetere.*

*Secunda pars ostenditur:* nam ille habitus si daretur, ponendus esset in ipsa essentia animæ, vel in potentiis illius; non in essentia, quia gratia habitualis sufficien-

sufficien-

sufficienter omnem effectum confert cujus essentia animæ est capax: non etiam in potentiis, quia omnes actus qui ab iis procedunt, commodè reduci possunt ad habitus ordinarios, qui gratiam comitari solent.

*Neque refert quod ait S. Thomas 3. p. quæst. 62. art. 2. ad 3. gratiam sacramentalem se habere ad gratiam justificantem, sicut speciem ad genus: non enim hoc dicit, quod putet gratiam sacramentalem esse speciem gratiæ habitualis; sed quia habet aliquam proportionem cum specie, quatenus includit habitua- lem & aliquid aliud: sicut species continet aliquid præter genus.*

*Tertia pars sequitur ex præcedentibus: nam ostensum est gratiam sacramentalem aliquid addere supra habitua-lem, at non habitum à gratia habituali realiter distinctum, ergo respectum quendam ad auxilia actualia ex pacto divino iis debita, qui sacramentum dignè suscipiunt, ut per illa sacramenti finem consequi possint. Unde per baptismum recipit homo, non modo remissionem peccatorum, sed etiam gratias actuales suo tempore, ad legem divinam servandam, aliaque sacramenta dignè suscipienda. Per confirmationem non tantum recipit augmentum gratiæ habitualis, sed etiam auxilia ad fidem, coram Tyranno constanter profitendam, & ita de aliis.*

**RESOLUTIO IV.** *Sacramenta vetera non conferebant gratiam, ex opere operato, sed ex opere operantis.]*  
**PRIMA PARS PROBATUR:** quia quòd res sensibilis suo usu gratiam conferat, independenter à dispositione suscipientis, id pendet ex promissione Dei, quæ per scripturam, aut traditionem nobis innotescit: at ex his non possumus cognoscere factam esse à Deo talem promissionem sacramentis antiquis. Quin potius inde oppositum non obscure colligitur, cum Paulus ad *Galat. 4.* vocet sacramenta legis veteris infirma, & egena elementa, & *Hebr. 9.* justis

DE SACRAMENTIS CAP. VI. 45

justitias carnis quæ conscientiam mundare non possunt. Concilium verò Florent. in decreto Eugenii, illud constituat discrimen inter antiqua & nova sacramenta, quòd illa non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant: hæc verò & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt.

*Nec dicas* per antiqua sacrificia datam fuisse remissionem peccatorum *ex cap. 5. & 6. Levit.* Hoc enim debet intelligi de remissione peccatorum, non quidem secundum culpam, & pœnam æternam ipsis debitam; sed secundum pœnam lege præscriptam, & immunditiam quandam corpoream, & legalem, à qua homines per sacrificia liberabantur; sicque idonei fiebant, ad res sacras administrandas.

*Secunda pars ostenditur*, quia justii in veteri lege merebantur augmentum gratiæ, & gloriæ quibuscunque operibus bonis, ergo eam etiam merebantur per usum sacramentorum, & sacrificiorum oblationem, quæ à Deo præcepta erat. Non quòd promissio gratiæ facta esset dictis sacramentis, ut erant cæremoniæ quædam externæ veteris legis; sed quia usus ejusmodi sacramentorum erat opus bonum, factum ex fide Christi venturi, adeoque merebatur augmentum gratiæ; quemadmodum & alia justorum opera, quæ habent conditiones ad meritum necessarias.

CAPUT VII.

*De charactere Sacramentali.*

**R**ESOLUTIO I. *Quædam nova legis Sacramenta charactere imprimunt: nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo.* ] ITA statutum fuit in Concil. Florent. in Instructione Armenorum, decreto de Sacramentis, & in Trident. *sess. 7. can. 9.* de Sacramentis in genere. *Ratio* autem primaria sumitur ex voluntate Christi, qui sicut liberè tot, & non plura sacramenta in tali, vel tali materia instituit; ita ordinavit, ut quædam



dam ex illis characterem in anima suscipientium, imprimerent. *Congruentia* verò ex eo sumitur, quòd per dicta sacramenta, homo specialiter deputatur ad quendam cultum Dei : sic per Baptismum fit membrum Ecclesiæ, redditurque capax aliorum sacramentorum: Per Confirmationem constituitur Christi miles, & specialiter deputatur, ad fidem coram Tyranno constanti animo profitendam, quoties occasio tulerit. Et per Ordinem specialiter consecratur, & deputatur ad sacramenta aliis ex officio administranda. Quare hæc sacramenta imprimunt characterem, seu notam aliquam, qua unus ab alio distinguitur.

RESOLUTIO II. *Character est ens reale, absolutum, & ab anima realiter distinctum.* ] QUOD sit ens reale, patet ex aïlatis Conciliis, quia cùm statuant characterem esse signum spirituale, animæ impressum, & indelebile, satis ostendunt eum esse ens aliquod verum & reale : si quidem ratio rationis neque est aliquid spirituale, neque animæ imprimitur, neque est indelebilis. *Confirmatur*, nam Concil. Trident. dicit anathema negantibus characterem : at hæretici, contra quos agit, non negant confurgere ens aliquod rationis, ex eo quòd quis deputetur ad actiones sacras.

*Quòd verò sit ens absolutum*, non relativum, probatur, quia omnis ratio prædicamentalis fundatur in aliqua entitate absoluta : hæc autem nulla assignari potest, præter essentiam characteris; non enim est anima; quia sequeretur hominem, eò ipso quod habet animam, habere etiam characterem; nec entitas aliqua inhærens animæ, quia character potest esse in anima denudata iis omnibus habitibus, qui in illa recipi solent. Accedit quòd ad relationem non datur per se motus, datur autem ad characterem, cùm per se producat in anima.

*Quòd denique sit ens ab anima realiter distinctum*, ex jam dictis colligitur; quia aliàs non diceretur imprimi

primi

primi in anima; hæc enim non se habet per modum ceræ, in qua dicitur imprimi figura ab illius quantitate indistincta; quia cum sit spiritualis, non potest de novo consignari, nisi per entitatem ab ea realiter distinctam: neque recurras ad relationem rationis, ea enim ante rejecta est.

*RESOLUTIO III. Character pertinet directè ad prædicamentum qualitatis, non quidem ad secundam illius speciem; sed ad primam quæ est habitus & dispositio.*

**RATIO PRIMÆ PARTIS EST**, quia cū character sit entitas aliqua spiritualis, realiter & indelebiliter animæ inhærens: non potest esse aliud quàm qualitas, ut discurrenti per omnia prædicamenta perspicuum fiet. Ita ut à qualitatibus naturalibus, & supernaturalibus abstrahatur una ratio communis, quæ omnibus univocè conveniat. Nec dicas corruptibile & incorruptibile genere differre: hoc enim verum est de genere physico, non de logico, ut patet in Angelis, qui etsi sint incorruptibiles, ponuntur in categoria substantiæ, cum rebus corruptibilibus.

*Ratio secundæ partis est*, quia in secūda specie qualitatis, ponitur potentia physica, sive activa, sive passiva; at character non est talis potentia, cum non ordinetur ad aliquem actum physicè eliciendum, vel recipiendum. Per characterem enim baptismi in animo receptum, homo non fit potens ad recipienda physicè sacramenta, cum hæc sint res corporeæ, quæ non nisi in re corporea recipi possunt; sed tantum moraliter, quatenus Deus instituit, ut nullus validè reliqua sacramenta accipiat, quin caractere baptismali sit insignitus.

Deinde per characterem Confirmationis homo ordinatur ad pugnandum spiritualiter cum hostibus fidei, per actus fidei, fortitudinis, charitatis, & similes, qui physicè quidem ab intellectu & voluntate, itemque à virtutibus infusis, variisque auxiliis gratiæ oriuntur: moraliter verò à caractere, quatenus Deus instituit, ut eo instructus accipiat specialia  
sub-

subsidia ad fidem coram Tyranno , si opus fuerit, constanti animo profitendam.

Per ordinationem verò homo deputatur , vel ad exercendos aliquos actus sacros, qui sacramenta non sunt , nempe cantandi Evangelium , vel Epistolam, &c. vel ad sacramenta conficienda, & administranda. Ad ista autem character non se habet ut potentia activa physica , quia actus prædicti, extrinsecè spectati sunt naturales , & sufficienter procedunt à potentiis naturalibus; ut autem conjuncti sunt cum actibus internis fidei , vel religionis , à virtutibus, vel auxiliis infusis elici possunt ; nec opus est , ut character concurrat ad eos physicè. Similiter ut Sacerdos validè conficiat sacramentum , sufficit quòd applicet materiam & formam , cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Hæc autem adhiberi possunt, etsi character ad ea non concurrat physicè.

*Dices*, characterem esse potentiam activam , non respectu sacramenti collati ; sed respectu gratiæ per sacramentum productæ in suscipiente. Verùm hoc gratis dicitur , quia potentia activa physica habet effectum sibi connaturalem , & physicum, qualis esse non potest gratia respectu characteris , ut patet ex alibi dictis. Præterquam quòd baptismus collatus à laico æquè confert gratiam , ac qui à Sacerdote administratur.

*Ratio ultima partis est* ; nam cùm character sit qualitas , & nemo dicat eum esse qualitatem patibilem, aut passionem, vel figuram quantitativam, sequitur eum spectare ad primam qualitatis speciem , quæ est habitus & dispositio. Eò vel maximè , quia character est qualitas spiritualis, homini inhærens, eumque bene afficiens; cùm per illum specialiter destinetur, ad aliquid ex officio agendum , vel recipiendum.

*Si dicas* hominem posse bene , aut malè uti characterem. *Respondeo* hoc verum esse de bono, aut malo

usu

usu in genere moris: non in esse naturæ. Idem autem dici potest de scientia; aliisque habitibus. Unde hinc potius colligi debet, characterem esse habitum, quam non esse.

RESOLUTIO IV. *Character immediatè recipitur in ipsa essentia animæ, eique indelcibiliter inhaeret.* ] PRIMA PARS ostenditur; quia cum character sit qualitas spiritalis, non nisi in anima esse potest; at in anima sunt tria, intellectus, voluntas, & ipsa essentia animæ: character autem, cum non sit potentia activa, non potest recipi in intellectu, aut voluntate, quia in iis non recipiuntur nisi potentia operativa. Quare immediatè in ipsa animæ substantia esse debet.

*Dices 1.* Character interdum vocatur lumen spirituale, ergo est in intellectu. *Sed contra*, nam ipsa gratia habitualis, quæ tamen non est in intellectu, lumen vocari solet. Dicitur ergo lumen, quia eo insignitus intelligit, se ad speciale aliquod munus deputatum esse: qua ratione non opus est ut sit in intellectu; sicut neque character militaris, quo quis novit se certare ex officio.

*Dices 2.* Character est nota obligationis: at obligatio est in voluntate. Verùm non propterea ipse character est in voluntate; sicut neque in ea est character militaris, etsi sit nota obligationis, qua milites per actum voluntatis Duci obstringuntur.

*Secunda pars probatur, ex Concil. Trident. sess. 7. can. 9.* ubi statuitur per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimi characterem, seu signum aliquod spirituale, & indelebile in anima. Quod ita intelligendum est, ut sit de fide characterem esse indelebilem, quamdiu homo vivit. Licet autem non sit de fide, eum remanere in anima, post mortem: auctores tamen communiter docent, etiam tunc manere; in beatis quidem ad gloriam, in damnatis verò ad confusionem.

Verùm ne propterea existimes homines post mortem posse conficere, vel recipere sacramenta:

quia cum hæc sint instituta pro solis viatoribus, iisq; dumtaxat usui esse possint, hinc fit, ut prædicta potestas illis tantum competat. Excipe, nisi quis resurgeret, ut iterum moreretur: ille enim jam esset viator, & posset uti charactere antea accepto,

## CAPUT VIII.

*De Sacramentalibus.*

**R**ESOLUTIO I. *In Ecclesia est potestas instituendi sacramentalia, & obligandi fideles sub peccato mortali ad certas caeremonias, in sacramenti administratione servandas.* PRIMA PARS sumitur ex Concilio Trident. *sess. 27. cap. 1.* & ex verbis illis Pauli *1. Cor. 4.* ibi adductis. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Atque ex perpetuo usu Ecclesiæ, quo docemur multa ab Apostolis, eorumque successoribus, circa sacramentorum ritus ordinata esse. Et sanè cum Summus Pontifex habeat potestatem gubernandi Ecclesiam convenienti modo, negari non potest, quin etiam habeat potestatem instituendi caeremonias, quæ ad digniorem, & pro loco & tempore convenientiorem sacramentorum administrationem, non leviter conducunt.

*Secunda pars ostenditur, tum ex prædicto Concilio sess. 7. can. 13. de sacramentis in genere: tum ex eo quòd Ecclesia habet potestatem condendi leges obligantes sub peccato mortali, ut colligitur ex verbis illis Matth. 18. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, & Luca 10. Qui vos spernit, me spernit.*

*Neque refert, quòd Isa. 29. Deus conqueritur de Judæis, quòd eum timuerint, seu coluerint mandato hominum, & doctrinis: hoc enim intelligitur de Scribarum traditionibus, divinæ legi contrariis. Neque etiam dicas Paulum Galad. 5. & sæpe alias prædicare libertatem Christianam, hæc enim libertas in eo non*

con-

DE SACRAMENTIS CAP. VIII. 51

consistit, quod homines sint liberi ab obedientia Principum secularium, & Prælatorum Ecclesiæ; sed à gravi servitute legis Mosaicæ & cæremoniarum illius. Quando autem Patres conqueruntur de multitudine cæremoniarum, id intelligendum est de quibusdam cæremoniis localibus, quæ neque ab Apostolis profluxerunt, neque ab Ecclesia approbantur. Verùm de his latius in Idea Theologiæ Moralis.

RESOLUTIO II. *Sacramentalia non habent vim delendi peccata venialia, ex opere operato, sed ex opere operantis duntaxat.* ]RIOR PARS PROBATUR, tum quia nulla ratio est quæ convincat, esse in Ecclesia potestatem instituendi signa quædam externa, quæ ex vi institutionis, seu ex opere operato habeant virtutem delendi peccata venialia. Illud enim Joan. 20. Quorum remiseritis, &c. intelligitur de remissione peccatorum, in sacramento Pœnitentiæ. Tum quia non apparet, quod Ecclesia aliqua sacramentalia eo fine instituerit: Unde enim id colligitur? *si dicas, ex benedictione aquæ lustralis vim illam erui posse: Contrà, nam in illa benedictione petitur, ut aqua sit in sanctificationem: at hinc æquè colliges, aquam lustralem remittere ex opere operato, peccata mortalia, cum sanctificatio eorum remissionem includat. Si dicas 2. Talem potestatem competere benedictioni ab Episcopo collatæ: Contra hoc est, quia ex communi Theologorum sensu, benedictio illa habet adjunctam quandam indulgentiam, non autem remissionem ullius culpæ.*

*Dices, hoc videri alienū ab existimatione quæ habent fideles, de usu sacramentalium. Resp. in re Theologica non tam attendendum esse ad communem existimationem vulgi, quàm ad consensum peritiorum Theologorum, qui quoad jam dicta, nobiscum sentiunt.*

*Posterior pars suadetur, num omnes cōcedunt sacramentalia habere aliquam vim remittendi peccata venialia; at eam non habent ex opere operato, ergo*

ex opere operantis; quatenus excitant in nobis pium aliquem motum voluntatis, quo ejusmodi peccata remittuntur. *Neque refert*, quod pleraque alia non habeant minorem vim, quam sacramentalia ad pios motus excitandos: est enim discrimen, quia illa excitant motus quosdam naturales: at sacramentalia ex meritis & orationibus Ecclesie, possunt nobis in petrare auxilia supernaturalia, ad actus pios ejusdem ordinis eliciendos.

*Nota 1.* In quibusdam sacramentalibus esse vim expellendi daemones; non quidem naturalem, ut perspicuum est, sed supernaturalem, eamque moralem, non physicam; quatenus daemones ejusmodi signa externa percipientes, coguntur e corporibus exire, ac si vi aliqua externa adhibita, ab illis eicerentur.

*Nota 2.* Ad efficaciam illam moralem multa posse conducere 1. Sanctitatem ministri 2. Et magis orationes Ecclesie, cuius personam minister sustinet. 3. Imperium ejusdem Ecclesie, qua accepta potestate calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, jubet daemones e corporibus exire, ut constat ex forma exorcismorum.

## CAPUT IX.

*De natura Baptismi.*

**R**ESOLUTIO I. *Dua dari possunt definitiones Baptismi.* ] JUXTA priorem Baptismus physicè spectatus definiri potest: *Exterior corporis ablutio facta sub prescripta verborum forma.* Quibus verbis indicatur, Baptismum esse compositum quoddam veluti physicum, constans ex ablutione externa, tanquam ex materia proxima, & ex verbis, tanquam ex forma.

Juxta posteriorem, Baptismus metaphysicè spectatus, definiri potest hoc modo, per genus & differentiam. *Est sacramentum nova legis, ad regenerationem spirituales hominum institutum. Ubi sacramentum*  
ponitur

ponitur loco generis, quæ ratio communis est sacramentis novæ, & antiquæ legis. Additur novæ legis, ut baptismus distinguatur à sacramentis antiquis: reliqua verò, baptismum distinguunt ab aliis sacramentis novæ legis: quia etsi quævis justificatio à peccatis, spiritualis regeneratio dici possit: ille tamen effectus magis propriè competit baptismò, quia per illum homo primam regenerationem spiritualem accipit.

**RESOLUTIO II.** *Materia remota Baptismi est aqua vera & naturalis.* ] ITA fuit definitum in Conciliis Lateran. ex cap. firmiter de summa Trinitate, Florent. in decreto fidei, & in Trident. *sess. 7. can. 2.* de Baptismo: colligitur autem ex verbis illis Christi *Joan. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. *Ratio à priori* sumitur ex voluntate Christi, qui sacramenta instituit eo modo quo voluit. Congruentiæ sunt duæ, inter alias præcipuæ; altera, quia cum baptismus sit omnibus ad salutem simpliciter necessarius, debuit institui in re communissima, quæ ab omnibus facilè haberi possit. Altera, quia per aquam qua lavantur corporis maculæ, aptè repræsentatur ablutio peccatorum, quæ fit per baptismum.

Unde sola aqua elementaris sive sit maris, sive fluminum sive fontium sive puteorum, &c. est materia baptismi, quia ea tantùm est vera, & naturalis aqua. Contra verò aqua ex floribus, vel herbis arte stillata, cerevisia, & similes liquores non sunt materia apta ad baptismum. Imò si corpus aliquod aquæ elementari in tanta quantitate admisceatur, ut pereat aquæ denominatio, ea non est apta ad baptismum. Non tamen refert ad valorem baptismi, quòd aqua sit paululum immutata, secundum accidentia; ut quod sit calida aut sulphureo odore imbuta.

**RESOLUTIO III.** *Materia proxima Baptismi est ablutio, ex aqua elementari.* ] **PROBATUR.** quia sacramenta legis novæ, excepta Eucharistia, consistunt in aliqua actione, seu usu; quare aqua secundum se spe-



Etata, non potest esse materia baptismi, sed quatenus ad usum applicatur, seu prout per eam corpus hominis abluitur: ex quo ulterius fit, ut ipsa ablutio ex aqua sit materia proxima baptismi. *Confirmatur*, quia illa est materia proxima baptismi, quæ per formam determinatur, at non aqua secundum se, sed ut ex ea corpus abluitur, determinatur per formam baptismi, ergo. &c.

*Ubi Nota 1.* Aquam debere esse usualem, seu talem ut ex ea corpus abluī possit; quia alias falsa esset forma illa, Ego te baptizo. &c. cum baptizo, idem sit ac, abluo. Hinc glacies, grando, & similia non sufficiunt ad baptismum, etsi demus ea substantialiter ab aqua non distingui; quia non possunt corpus abluere, etsi utcumque illud possint madefacere.

*Nota 2.* Requiritur ut aqua per corpus, aut corpus per aquam moveatur. Unde non posset quis baptizari, immotus manens, in aqua immota. Item requiritur, ut aqua corpus baptizati realiter, & immediate contingat. Quò fit, ut non valeat baptismus, si infans corio, vel secundinis inclusus baptizetur: ita ut aqua ipsum non pertingat.

*Nota 3.* Ad valorem baptismi sufficere, siue fiat per infusionem, siue per aspersionem, siue per immersionem: quia his omnibus modis ablutio fieri potest. Quilibet tamen debet servare ritum Ecclesiæ diocessanæ in qua degit, & secus faciens, peccat, nisi ex rationabili causa consuetum morem baptizandi prætermittat: ut si in locis ubi baptismus datur per immersionem, adultus sit baptizandus: tunc enim ex decentia baptismus fieri debet aliter, quàm per immersionem.

*Nota 4.* Ut valeat baptismus, non opus esse ut totum corpus abluatur, quia hoc non est necessarium, ut homo dicatur abluī: nec e contra sufficere, ut qualibet minima pars abluatur: siquidem ex usu communi id non sufficit, ut homo denominetur ablutus.

Nec

Nec dicas, saltem in necessitate, confessionem unius peccati sufficere ad valorem poenitentiae: confessio enim est aliquid morale, quod juxta varium statum poenitentis variari potest: ablutio autem est res physica, quae non variatur pro varietate suscipientis, sed quod in uno casu requiritur ad veram ablu- tionem, requiritur in omnibus.

*Nota 5.* Praecipuam corporis partem esse abluendam, nempe caput, quia in eo vigent omnes sensus, & ab eo totus homo potest denominari ablutus. Posset tamen in necessitate infans manum vel pedem extrahens ex utero, baptizari secundum illas partes. Verum si postea nasceretur, esset iterum sub conditione baptizandus, eò quòd dubitatur an prior baptisimus sit validus.

**RESOLUTIO IV.** *Forma Baptismi apud Latinos, hæc est, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* ] **CIRCA** quam *Observandum 1.* non opus esse ad valorem baptismi, personam ministri directè exprimere, sive explicitè, dicendo, Ego te baptizo, sive implicitè, dicendo, baptizo te; sed sufficere quòd indirectè exprimat, nempe actionem ipsam, ut à ministro procedit exprimendo, ut si quis dicat cum Græcis baptizatur servus Christi N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen; quam formam omnes valere existimant.

*Observandum 2.* Ad essentiam baptismi requiri, ut actus baptizandi exprimat. Ita sumitur ex Concil. Florent. in decreto de Armenis, *Et ratio suadet, quia ablutio externa ob varios fines adhiberi potest, quate ut significet abluionem internam à peccatis, non satis est adhibere lotionem externam, cum verbis illis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; sed prætereà adhiberi debent illa verba, Ego te baptizo, verba ex usu Ecclesiæ abluionem internam à peccatis significant.*

*Observandum 3.* Ad valorè baptismi requiri, ut persona baptismum suscipiens in forma exprimat.

Unde qui abluendo diceret, ego baptizo in nomine Patris, &c. nihil efficeret, quia baptismus consistit in applicatione materiæ, ad subiectum determinatum, idque à baptizante distinctum; quod non exprimeretur, si traderetur baptismus modo jam dicto.

*Observandum 4.* Requiritur etiam ad valorem baptismi, distinctam & expressam invocationem trium personarum Trinitatis, ut patet ex traditione, & usu Ecclesiæ fundato in verbis illis *Matth. 28.* Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. *Congruentia est*, quia baptismus est sacramentum fidei, quæ est veluti janua ad religionem Christianam, quam in eo profiteamur: quare æquum est, ut in eo expressè confiteamur præcipuum nostræ religionis mysterium, nimirum sanctam & individuum Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

Nec quemquam moveat, quod Apostoli dicuntur baptizasse, in nomine Christi; non enim sensus est, quòd in forma solum Christi nomen exprefferint, sed quòd baptismo à Christo instituto, aut virtute baptizaverint.

*Observandum 5.* Quoad speculationem, formam illam sufficere ad valorem sacramenti baptismi. Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque: quia juxta usum linguæ Latinæ, ea verba æquivalent formæ communi. Pro praxi tamen dicendum, quòd qui ea forma uteretur, peccaret mortaliter; & baptismus iterandus esset sub conditione; eò quòd plerique graves Theologi sentiunt, prædictam formam non sufficere.

*Observandum 6.* Baptismum ut valeat, dandum esse in nomine, non in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quia cum baptismus sit sacramentum fidei, per quod fidem Christianam exterius, & solemniter profiteamur: congruum est, ut illius forma contineat præcipuum religionis nostræ mysterium;

hujus

DE SACRAMENTIS CAP. IX. 57

unius scilicet Dei in tribus personis. Valeret tamen baptismus, etsi omitterentur tres illæ particulae In, Et, Amen, quia sine illis sensus substantialis remanet.

RESOLUTIO V. *Homo semel validè baptizatus, non potest iterum validè baptizari.* ] EST de fide, ut patet ex Concil. Florent. in decreto Eugenii, & Trident. *sess. 7. de Sacramentis in genere can. 9. & can. 11. de Baptismo,* ubi refellitur error quorundam Anabaptistarum, qui iterum baptizant eos qui à fide defecerunt: etsi aliàs validè baptizati fuerint. Idem colligitur ex plerisque Patribus qui docent, baptismum semel validè collatum iterari non posse.

*Ratio* autem præcipua initerabilitatis baptismi, petenda est à voluntate Christi, qui ita hoc sacramentum instituit, ut noluerit illud eidem homini bis administrari. *Congruentia sunt,* tum quia baptismus significat mortem Christi, quæ tantum semel contigit; tum quia character baptismi est indelebilis; tum denique, quia non nisi semel contrahitur peccatum originale, ad quod tollendum baptismus institutus est.

*Nota* 1. grave esse peccatū baptismum iterare, cum semel validè baptizatus ex jure divino sit subiectum incapax baptismi. 2. In dubio probabili, an baptismus fuerit alicui collatus, nec ne, posse baptismum tribui sub conditione, hoc modo; si non es baptizatus, ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. 3. Quando probabiliter judicatur aliquem esse baptizatum, nec occurrunt rationes alicujus momenti, quæ oppositum suadent, baptismum dandum non esse.

*De institutione, & necessitate Baptismi.*

**R**ESOLUTIO I. *Baptismus fuit institutus ante passionem Christi, nimirum quando Christus à Joanne in Jordane baptizatus fuit.]* PRIMA PARS colligitur ex *Joan. 3.* ubi dicitur Christum baptizasse, quod non potest intelligi, nisi de ipso Christi baptismo, qui proinde tunc institutus erat. Maximè quia nusquam in Scriptura legitur eos, qui à Christi discipulis fuerant baptizati, iterum baptizatos fuisse; cum tamen ii quos Joannes baptizaverat, rebaptizati fuerint, ut constat ex *Actorum 19.* Accedit quòd Christus ante passionem dedit Eucharistiam Apostolis, eosque sacerdotes instituit: Unde plusquam verisimile est, eos jam tum fuisse baptizatos.

*Secunda pars suadetur, tum ex Catechismo Concilii Tridenti, in materia de baptismo; tum quia tunc Christus baptismum instituit, quando determinavit illius materiam, & formam: hoc autem præstitit, quando à Joanne baptizatus fuit; determinavit enim materiam, tactu mundissimæ suæ carnis aquas consecrando, eisque sanctificandi virtutem tribuendo: determinavit etiam formam, quia in illius baptismo tota Trinitas visibiliter apparuit.*

RESOLUTIO II. *Baptismus est necessarius ad salutem.]* PROBATUR, 1. ex verbis illis *Joan. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. quæ de baptismo aquæ, illiusque necessitate communiter intelliguntur. 2. Ex definitione illa Concilii Trident. *sess. 7. can. 5.* de Baptismo, Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit. 3. Quia homines non possunt salutem consequi, nisi mudentur à peccato originali, ad cujus ablutionem institutus est baptismus.

*Notandum autem 1. Baptismum respectu adultorum, esse medium necessarium ad salutem, vel in re, vel in voto. Qui enim ratione utitur, per actum contritio-*

tritio-

DE SACRAMENTIS CAP. X. 59

contritionis justificatur extra sacramentum : quare si in eo statu intereat , antequam illi possit administrari baptismus, sine eo re suscepto salvabitur.

*Notandum 2.* Aliter dicendum esse de parvulis; cum enim illi nequeant habere votum sive explicitum, sive implicitum baptismi, sequitur baptismum realiter susceptum ipsis ad salutem esse necessarium. *Excipimus* tamen casum martyrii, quia ex communi sententia, si infans aliquis ante baptismum aquæ, in odium Christi occidatur, ille salvabitur per baptismum sanguinis, ut infra dicitur. Idem autem dici non potest de si de parentum, infanti, per signum aliquod externum, defectu aquæ applicata: cum nullum sit fundamentum existimandi infantes, sive ex ordinaria lege à Christo pro omnibus statuta, sive ex speciali misericordia, & dispensatione erga nonnullos, sine reali susceptione baptismi, per fidem parentum salvari.

**RÉSOLUTIO III.** *Datur præceptum divinum suscipiendi Baptismum, quo omnes adulti obligantur.* ]  
**PRIOR PARS PROBATUR** ex dictis, ostendimus enim baptismum esse medium ad salutem necessarium: datur autem præceptum divinum de ejusmodi mediis, quatenus sunt in nostra potestate. *Confirmatur*, nam etsi quis possit justificari per contritionem; si tamen baptismum non suscipiat ante mortem, cum possit, peccabit mortaliter, & damnabitur; nimirum propter violationem præcepti, de baptismo realiter suscipiendo.

*Posterior pars etiam* ex dictis colligitur : quia verba illa, Nisi quis renatus fuerit, &c. continent præceptum, & ad omnes homines extenduntur: quemadmodum & illa *Matth. 28.* Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti : quibus Christus omnibus gentibus implicate præcepit, ut baptismum susciperent. *Ratio* idem suadet, quia cum Christus fundaverit Ecclesiam universalem, & per omnes orbis partes

diffundendam, instituit etiam sacramenta pro omnibus hominibus, eosque ad eorum susceptionem æqualiter obligavit.

*Ubi nota 1.* Adultos teneri ex jure divino baptismum suscipere, quamprimum id commodè fieri potest: baptismus enim est exordium, & professio Christianæ Religionis: at non potest adultus diu manere sine religione, religionisque professione, ergo nec sine baptismo. *Confirmatur*, nam sicut quilibet adultus tenetur credere in Christum, statim atque fides Christi sufficienter illi proponitur: ita & talem fidem profiteri per signum externum, ad hoc deputatum, quando commodè usurpari potest: quia alioqui & fidem, & ipsum fidei authorem contemnere, vel erubescere censetur.

Nec refert quòd qui peccavit mortaliter, non teneatur statim confiteri: est enim discrimen, quia baptismus non modo remittit peccata, sed etiam imprimit characterem in anima, hominem constituit membrum Ecclesiæ, dat jus ad alia sacramenta, &c. adeoque sine gravi causa, differri non debet.

*Nota 2.* Infantes per se non obligari ad servandum præceptum allatum, illi tamen qui eorum curam gerunt tenentur curare ut baptizentur; idque non modo ex lege charitatis, sed etiam ex ipsa universali lege baptismi, cujus obligatio ad omnes extendi debet: ad adultos quidem per se, quia propria voluntate agunt, ad infantes vero per voluntatem eorum quibus reguntur.

*Nota 3.* Dubitari non posse, quin ex vi præcepti divini positivi, teneantur parentes dare operam ut infantes baptizentur, saltem quando instat periculum mortis. Imò consuetudo Ecclesiæ, quæ habet vim legis, jam obtinuit, ut infantes prima data occasione baptizentur: quare parentes Christiani qui sine gravi causa, eorum baptismum diu differunt, peccant mortaliter.

DE SACRAMENTIS. CAP. X. 61

RESOLUTIO IV. *Baptismus non fuit necessarius ad salutem, nisi à die Pentecostes.*] PROBATUR, nam ex communi sententia non fuit necessarius ante Christi mortem, quia adhuc vigeat circumcisio, ad eujus destructionem ordinatus fuit. Nec refert illud *Joan. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Quando enim Christus ea verba protulit, nondum erat institutus baptismus: adeoque pro eo tempore obligare non poterat. Accedit quod Christus id dixit in privato colloquio, cum Nicodemo, non autem publicè, tanquam legem condens, aut promulgans de suscipiendo baptismo; quod tamen necessarium fuisset, ad obligationem inducendam. Quare prædicta verba debent referri ad tempus, quo lex de baptismo suscipiendo esset sufficienter promulgata.

Non etiam fuit necessarius baptismus statim à morte, aut resurrectione Christi, quia lex non obligat, nisi sufficienter promulgata: at lex nova, non fuit sufficienter promulgata ante Pentecosten, quo die Petrus Apostolus concionem habuit Hierosolymis, coram magna hominum multitudine, ex multis orbis partibus congregata, de præcipuis nostræ fidei mysteriis, cum ante à die Resurrectionis, neque ipse, neque alii Apostoli publicè ad populum loquuti essent.

Neque dicas, legem veterem in Christi morte abrogatam fuisse, ut patet ex Paulo *Rom. 7.* non enim sensus est, eam omnino tunc fuisse abrogatam, aliàs sacramenta & sacrificia vetera, ab instanti mortis Christi fuissent mortifera. quod nemo dixerit: fuit ergo tunc ablata, velut inchoativè, quatenus mors Christi fuit causa, ut lex vetus postea convenienti tempore abrogata fuerit.

RESOLUTIO V. *Gratia & remissio peccati originalis dabatur olim parvulis in circumcisione, non quidem ex opere operantis, neque ex opere operato, sed ex speciali Dei misericordia.*] PRIMA PARS PROBATUR, tum ex verbis illis *Genes. 17.* Masculus cujus præputii caro



circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quæ à quibusdam Patribus intelliguntur de æterna separatione à cœtu sanctorum: tum ex Innoc. III. in cap. *Maiores, de baptismo*, ubi ait, quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, &c. tum ex Augustino, qui lib. 3. *contra Julian. cap. 18. lib. 2. de nuptiis & concupiscentia*, & aliàs sæpe idem affirmat. Nec repugnant Patres cum dicunt, circumcisionem fuisse institutam ut esset signum speciale, quo populus Dei à cæteris gentibus distingueretur: non enim propterea negant, quin circumcisio fuerit secundariò instituta, ad remissionem peccati originalis. Neque unum repugnat alteri, ut patet in baptismo, per quem homo insignitur caractere Christi, & remissionem peccati originalis accipit.

*Secunda pars probatur*, nam si dabatur gratia in circumcissione, ex opere operantis, hoc fiebat propter fidem ministri, vel parentum; at hoc non, siquidem purus homo non potest mereri immediatè alteri gratiam sanctificantem, sed tantum mediatè, quatenus illi mereri potest quædam auxilia, quibus ad gratiam illam se disponat, quod in infantibus locum non habet. Dicere autem fidem parentum fuisse conditionem necessariam, sine qua Deus non dabat parvulis gratiam, hoc est gratis divinare, & sine sufficienti autoritate, vel ratione.

Nec refert quòd Patres dicant, infantes fuisse tunc justificados, in fide parentum: idem enim dicunt de infantibus novæ legis, adeoque sunt intelligendi de fide objectiva, cujus olim circumcisio, & jam baptismus est professio, non de subjectiva, in ipsis existente. Quòd si infidelium filii circumcisi nò accipiebant gratiam, hoc non erat ex defectu fidei, sed quia ministri legitima intentione, etiam tunc ad valorem sacramenti probabiliter necessaria, carebant.

*Tertia pars ostenditur* 1. Quia si lex antiqua non habebat

DE SACRAMENTIS. CAP. X. 63

habebat vim conferendi gratiam, ex opere operato, ut *cap. 6.* probatum est: idem à fortiori dici debet de circumfione, quæ erat sacramentum quoddam illius. Licet enim ante legem esset instituta, fuit tamen quædam illius inchoatio, & postea lege data, fuit professio illius, & veluti janua ad alia legis sacramenta. Nec dicas habuisse prædictam vim, ut spectabat ad legem naturæ; hæc enim erat imperfectior veteri.

Idem probatur 2. quia conferre gratiam per se non potest, nisi quod eam moraliter continet: at circumfio non continebat moraliter gratiam, cum Christus morte sua illius pretium nondum solvisset, adeoque merita sua non alligasset circumfioni, sicut alligavit postea baptismo, aliisque sacramentis novæ legis.

Neque refert, quod Augustinus *lib. 4. de baptismo cap. 24.* dicat, Sacramentum circumfionis per seipsum multum valere; ita enim loquitur, quia in reali susceptione illius, gratia infundebatur, & peccatum originale remittebatur, ut ante dictum est.

*Quarta pars* ex præcedentibus colligitur: quia cum gratia conferretur parvulis in circumfione, non ex opere operato, neque ex opere operantis, dicendum est collatam fuisse ex speciali Dei misericordia erga parvulos, quos videbat propriis actibus salvari non posse. Nec dicas esse immediatam oppositionem inter opus operans, & opus operatum: contrarium enim jam ostensum est, meliusque intelligitur ex postea dicendis de martyrio.

RESOLUTIO VI. *Per baptismum sanguinis infantes, & adulti salvari possunt sine baptismo aquæ.]*  
 PRIOR PARS suadetur exemplo Innocentium, quos Ecclesia, ob mortem pro Christo susceptam, ut martyres, & verè beatos colit. *Neque dicas* eos omnes fuisse circumfios, id enim nulla probabilitate nititur, cum omnes à bimatu & infra occisi fuerint: quare

quare

quare præcisè ratione martyrii salutem consequuti sunt, nullo habito respectu ad circumcisionem. Inde autem sequitur, martyrium nunc parvulis ad salutem sufficere sine baptismo aquæ, cum par sit ratio: præsertim cum privilegium, si quod Innocentibus concessum est, in ipsorum dignitatem referendum non sit, sed in causam, propter quam interfecti sunt; quare si alii infantes propter eandem causam occidantur, poterunt & ipsi eodem martyrii, & sanctitatis privilegio. Hinc Ecclesia infantes in lege nova pro Christo occisos, ut martyres colit, ut intelligi potest ex Martyrol. ad 16. Junii.

*Posterior pars ostenditur, tum quia Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 22. & lib. 13. de Civit. cap. 7. id docet in terminis: tum quia illa promissio Christi est generalis Matth. 10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Et postea, Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam: tum quia ex Innoc. III. cap. Cum Marthæ, de celebratione Missarum, injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, quod ex Augustino desumptum fuit, eo igitur ipso quod quis pro Christo moritur, censetur esse beatus, & non egere precibus fidelium, adeoque martyrium perfectè supplet defectum baptismi aquæ, quoad remissionem peccatorum, & poenæ ipsis debitæ.*

Hic autem *observandum* est 1. prædicta intelligi, quando quis ante martyrium non potest baptizari: si enim possit, tenetur sub peccato mortali baptismum suscipere, cum propter martyrium non liberetur ab obligatione servandi præcepta divina.

*Observandum 2.* Martyrium parvulorum non exigere voluntarium consensum eorum, qui occiduntur, sed sufficere quod in odium Christi occiduntur, etiam si nondum nati sint. At in adultis martyrium essentialiter spectatum est actus virtutis, adeoque ut sic à libertate pendet. Imò quantum ad effectum, debet esse voluntarium; quatenus nemo  
propria

propria utens voluntate, salutem, vel media ad illam necessaria comparare potest, sine proprio consensu.

*Observandum 3.* Existenti in peccato mortali, necessariam esse per se loquendo, contritionem, ut mors illius habeat efficaciam, & fructum martyrii: sicut enim qui trahitur ad martyrium, tenetur baptizari, si non est baptizatus; ita si versatur in peccato mortali, debet se ad contritionem excitare, & si baptizatus sit, confessionem pramittere; eò quòd martyrium non liberat hominem ab obligatione adhibendi media ad salutem suam necessaria.

*Observandum 4.* Interdum attritionem sufficere, ut si quis bona fide ad martyrium accedat, inculpabiliter existimans se esse contritum: quia alias si semper necessaria esset contritio, cum hæc peccata expellat, sequeretur nunquam martyrium posse supplere defectum baptismi, quantum ad remissionem culpæ; quod à communi sensu abhorret.

*Observandum 5.* Martyrium non conferre gratiam ex opere operato, sed ex speciali privilegio. Unde illud non est sacramentum, saltem novæ legis, quantum ad rationem operandi: at neque quantum ad essentiam sacramenti, cum non sit quædam cæremonia sacra, à Christo instituta ad gratiam significandam, & conferendam, quatenus à ministro procedit; quin potius actio martyrii, ut à Tyranno procedit, sit prava, & à Deo prohibita: in martyribus vero sit actus fortitudinis, cui Deus ex privilegio varios effectus concedit. Quando autem martyri tribuatur gratia, an in instanti mortis, an ante illud instans,

dictum est in tract. de sacramentis

parte 2. disp. 3. sect. 5. circa

finem.

*De causis externis Baptismi efficiente, & sub-  
jectiva.*

**R**ESOLUTIO I. *Episcopus ipso jure, habet ordi-  
nariam potestatem quoslibet baptizandi in sua diocē-  
cesi, Sacerdos simplex, minime: ac multò minus Diaconus,  
quolibet tamen in necessitate baptizandi potestatem  
habet.* ] PRIMA PARS probatur: quia Episcopus ex  
vi institutionis suæ, habet jurisdictionem in omnes  
subditos suæ diocēsis, iisque præest, tanquam Ec-  
clesiæ suæ Princeps: spectat autem ad Principem a-  
licujus Reipublicæ, vel communitatis exteros ad il-  
lius unionem admittere, ut ejus privilegiis & im-  
munitatibus fruantur: quare cùm per baptismum  
homo ascribatur in membrum reipublicæ Christia-  
næ, & fidelium privilegiis potiatur, tale sacramen-  
tum conferre propriè spectat ad Episcopum. Quæ  
ratio accommodari potest ad Parochum respectu suæ  
Parochiæ.

*Secunda pars ex præcedenti colligitur, quia cùm  
simplex Sacerdos non præsit alicui Ecclesiæ, ex ju-  
re non competit illi sacramentum baptismi con-  
ferre, sed tantùm ex commissione Episcopi, aut Pa-  
rochi. Neque Concil. Florent. oppositum tradere  
intendit in decreto Eugenii; sed tantùm sacerdotem  
vi suæ ordinationis, qua accepit potestatem in cor-  
pus Christi verum, proximè idoneum esse, ut ei po-  
testas ordinaria concedatur, in corpus Christi my-  
sticum.*

*Tertia pars ex jam dictis evidenter sequitur: quia  
Diaconus non ad hoc ordinatur ut præsit Ecclesiæ,  
sed ut in sacramentorum dispensatione Sacerdoti  
ministret. Licet autem officium baptizandi non  
competat Diacono, ex vi ordinationis suæ: potest  
tamen illi hoc munus extraordinariè à Pastore de-  
legari, etiam extra necessitatem extremam, modo*

*causa*

DE SACRAMENTIS. CAP. XI. 67

causa rationabilis adfit. Quod intellige de commissione baptizandi, etiam solemniter, eò quòd solemnitas baptismi omitti non debet, nisi in extrema necessitate, extra quam ille ex commissione baptizare potest. Porro Diaconus sine commissione solemniter baptizans, irregularitatem contrahit, ex cap. 1. de clerico non ordinato ministrante. Quod intellige, etiam si baptizet in necessitate extrema, quia nulla est necessitas baptizandi solemniter.

Ubi nota, clericos diacono inferiores non posse licitè baptizare extra necessitatem extremam, etiam ex commissione Episcopi, vel Parochi. Non etiam posse quacunque ex causa baptizare solemniter, nisi ex commissione summi Pontificis.

Quarta pars est indubitata, ut sumitur ex Concilio Florent. & ex variis decretis summorum Pontificum, de quibus in Jure Canonico. Ratio autem præcipua petenda est ex institutione Christi, de qua ex traditione Ecclesiæ sufficienter nobis innotescit. Congruentia optima est, quia hoc sacramentum est omnibus ad salutem maximè necessarium: quare sic institutum fuit in materia communi, quò facile ad manum haberetur: ita æquum fuit, ut à quolibet saltem in casu necessitatis, administrari posset.

Quo loco, adverte, etsi in casu necessitatis extremæ possit laicus, hæreticus, foemina, &c. Baptismum conferre, ut tamen hoc licitè fiat, debitum ordinem servandum esse; ita ut præsentem sacerdote, diaconus non baptizet; præsentem diacono, subdiaconus, aliique inferiores clerici; præsentem clerico, laicus; præsentem fidei, infidelis; & præsentem viro, foemina. modo cætera sint paria. Et ratio est, quia prædicti sunt tantum ministri necessitatis, quæ non habet locum respectu diaconi quando adest sacerdos; nec respectu subdiaconi, quando diaconus præsens est, & ita de aliis.

Dixi, modò cætera sint paria: nam si sacerdos præsens, aut non posset ritè baptismum ministrare,

aut

aut nollet, nisi accepta in pretium pecunia, quicumque alius inferior deberet baptizare: in his enim & similibus casibus, iusta causa suppeteret prædictum ordinem invertendi. Quando autem iusta causa deest, non potest ordo ille mutari, sine peccato, aut veniali, ut si mulier baptizet præsentem viro laico; aut mortali, aut si laicus, aut etiam clericus præsentem, & renuente sacerdote baptizet.

RESOLUTIO II. *Quando plures ministri simul aliquem baptizant ut causa totales, baptismus valet; non autem si se habeant ut cause parciales.* ] PRIMA PARS PROBATUR, nam tunc duo concurrunt ad baptizandum ut causæ totales, quando singuli totam formam proferunt, & aquam baptizandum abluunt, cum vera intentione eum baptizandi: at in hoc modo baptizandi nihil deest ex his, quæ ad essentiam baptismi pertinent. Quare ergo baptismus non erit validus? Omnes concedunt multos sacerdotes posse consecrare eandem hostiam, si nimirum omnes simul verba consecrationis proferant; ergo etiam concedi debet, baptismum à multis valide conferri posse, modo prædicto.

*Nota* tamen hoc intelligi, si omnes simul sacramentum perficiant; si enim eorum unus prius absolvit, ille solus baptismum confert, non alii; cum semel baptizatus non sit capax ulterioris baptismi. Quod si supponas eum qui prius absolvit, non habere intentionem baptizandi donec alii perfecterint; ille nihil facit, vel tunc, defectu conditionis; vel postea, defectu materiæ, & formæ.

*Nota* etiam, omnes qui ita baptizant, graviter peccare, tum quia non servant debitum modum baptizandi ab Ecclesia approbatum, & usitatum; tum quia se exponunt manifesto periculo iterandi baptismum, cum moraliter vix fieri possit, ut omnes simul perficiant. Neque excusandus esset Pastor, qui alios prævenire tentaret, ne contra suam actionem illam baptizandi ipsi præriperent: ille enim alia convenientiori via jus suum tueri debet.

*Secum.*

DE SACRAMENTIS. CAP. XI. 69

*Secunda pars ostenditur*, quia baptisimus nullus est, quando forma illius est falsa, at falsa esset, si duo baptizarent ut causæ partiales: sic enim unus baptizatum ablueret, alter verò formam proferret; quæ proinde falsa esset, cum per illam significetur baptizatum abluui ab illo, qui formam pronunciat: quod tamen in ea hypothese non contingeret,

Unde collige nullum esse baptismum, si ministri alio quovis modo ministerium externum inter se, ut causæ partiales dividant, ut si unus proferret priora verba formæ alius posteriora; aut unus mediam partem aquæ necessariæ ad ablutionem, alius aliam infunderet: forma enim significat, eum qui Trinitatem invocatur, totam ablutionem ad baptismum necessariam efficere.

RESOLUTIO III. *Requiritur ad Baptismum, ut aliquis baptizatum de sacro fonte levet.*] Hoc patet ex antiqua consuetudine, ab ipsis Apostolis derivata. *Congruentia* verò est, quia sicut in carnali generatione puer natus indiget nutrice, quæ eum lacte nutriat: ita æquum est ut in regeneratione spiritali, quæ fit per baptismum, aliquis infantem recens in Christo natum è fonte suscipiat, ut illi lac spiritalis doctrinæ Christianæ instillet.

*Nota 1.* Duos tantum solere admitti, ad suscipiendos infantes de sacro fonte, nempe virum unum, & foeminam unam; ita ut duo viri, aut dua foemina hoc munere fungi non possint. Qui autem munus illud exercent, tenentur quos suscipiunt instruere de rebus fidei, si necessitas id postulaverit: puta si eorum parentes sint infideles, aut salutem eorum profus negligant.

*Nota 2.* Contrahi cognitionem spirituales, inter susceptores, & baptizatum: item inter susceptores, & baptizati patrem ac matrem: non autem inter susceptorem & susceptricem. Ad illam autem contrahendam requiritur, ut susceptor infantem teneat dum baptiza-

baptiza-



baptizatur, aut immediatè ex manu baptizantis illum suscipiat, idque animo exercendi officium susceptoris, juxta præscriptum Ecclesiæ, quæ hanc cæremoniã instituit. Quæ in re consuetudo probata cujusque loci servanda est.

*Nota 3.* Non omnes homines aptos esse ad susceptorum munus, ut ex dictis facillè colligi potest: hinc qui non sunt baptizati, à tali officio excluduntur. Itemque Abbates & Monachi, ac cujusque Ordinis Regulares. Non debent etiam parentes suos filios suscipere, quia inter illos cognatio spiritualis exurgeret. Excluduntur denique hæretici, publicè excommunicati, aut interdicti publicè infames, & qui sana mente non sunt, aut ignorantia rudimenta fidei.

*Nota 4.* Quando parentes in susceptione prolis nõ peccant, cognationem spiritualem inter eos contractam non impedire usum matrimonii. Quando autem alter conjugum suscipiendo peccavit, alium innocentem non privari jure suo, ac proinde peccantem teneri ipsi petenti debitum reddere, sive peccans habeat jus petendi, sive non.

RESOLUTIO IV. *Infantes rationis usu carentes sunt capaces Baptismi.* ] Ita omnes Catholici contra Anabaptistas, & alios; fuitque definitum in Concil. Trident. *sess. 7. can. 13.* Potestque probari, tum ex perpetuo usu Ecclesiæ, de quo Augustinus *lib. 20. de Genesi ad litteram cap. 23.* aliisque locis, tum quia non est peior conditio infantium, in nova, quàm in veteri, aut in naturæ lege: at in lege naturæ applicabatur illis sacramentum aliquod ad remissionem peccati originalis institutum; in lege autem veteri circumcidebantur die octavo à nativitate, & remissionem à peccato originali obtinebant. Quidni ergo proderit jam infantibus baptismus, qui circumcisioni successit? Tum denique quia cum infantes de lege ordinaria, nascantur peccato originali infecti, nisi baptismus ritè & fructuosè ipsis applicari possit,

DE SACRAMENTIS. CAP. XI. 71

posset, sequeretur eos omni subsidio ad salutem necessario destitutos esse; quod à divina bonitate alienum est. Neque dicas baptizandos, de rebus fidei instruendos esse ex *Matth. 28.* hoc enim verum est de iis, qui sunt capaces instructionis, quales non sunt parvuli, sed adulti duntaxat de quibus ibi agitur.

*Nota 1.* In parvulis non esse necessarium motum fidei ad effectum baptismi, ut falsò putant Lutherani: ut enim ait Augustinus *tract. 80. in Joan.* Verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut mundet infantem nondum valentem corde credere, & ore confiteri. Et sanè aliàs dicendum esset, parvulos nunquam recipere effectum baptismi, cum illi in eo statu nequeant elicere naturaliter actus intellectus, & voluntatis, sine quibus fides actualis haberi non potest: dicere autem usum rationis supernaturaliter iis accelerari, prorsus sit imaginarium.

*Nota 2.* Ut baptismus parvulorum validus sit, non esse necessariam parentum intentionem seu voluntatem ut patet à posteriori ex usu Ecclesiæ, quæ non solet rebaptizare eos infantes, qui invitis parentibus baptizati fuerint. A priori verò ex institutione Christi, qui noluit valorem, vel effectum baptismi à voluntate parentum, ut à conditione necessaria pendere; eò quòd baptismus est medium parvulis necessarium ad salutem, quod interdum necesse est ipsis applicari, propter imminens mortis periculum, non expectato parentum consensu.

Accedit quòd si voluntas parentum in omnibus est voluntas filiorum, non est major ratio, cur exigatur intentio parentum ad valorem baptismi parvulis collati, quàm eorum fides ad illius effectum; cum non minus necesse sit ut baptizandus credat si velit gratiam recipere, quàm, ut baptizari velit, ad hoc ut baptismus teneat. Unde si parentes nò credat,  
baptif-

baptismus parvulis, etsi validè collatus, nequaquam proderit. Sequetur etiam, si quando parvuli re ipsa baptizari nequeant, sufficere quòd parentes pro ipsis habeant votum baptismi, cum voluntas pro facto reputetur. Ista autem admittenda non esse manifestum est.

RESOLUTIO V. *Filii infidelium baptizatorum invitis parentibus, baptizari possunt, non autem filii non baptizatorum, etiam si quoad dominium temporale subditi sint Ecclesie.* ] **PRIMA PARS PROBATUR**, quia homo baptizatus ita est subditus Ecclesie, ut ab illius jurisdictione nunquam se subtrahere possit, propter characterem illius animæ indelebiter impressum. Unde fit ut Ecclesia eum cogere possit, tum ad servandam fidem datam in baptismo, tum ad obediendum præceptis divinis, & Ecclesiasticis; quale est præceptum quo parentes tenentur baptismum filiis suis procurare. Quare si hanc legem negligant, potest Ecclesia ipsis invitis, eorum filios baptizare, eosque si opus sit, ut de rebus fidei instruantur, parentum curæ subtrahere.

*Secundapars ostenditur*, quia si Ecclesia haberet potestatem baptizandi ejusmodi infantes, parentibus invitis, vel eos baptizatos relinqueret sub curâ parentum, vel eos ipsis subtraheret. Primum dici non potest, quia maxima irrogaretur injuria Sacramento Baptismi, & fidei Christianæ, propter evidentissimū periculum subversionis, quod infanti inter parentes infideles educato immineret. Nec secundum, quia Ecclesia, cum non habeat potestatem in ejusmodi parentes, non potest citra injuriam eos privare jure naturali quod habet, instituendi proprios filios, eorumque curam gerendi, saltem quamdiu rationis usucarent.

*Dices 1.* Præceptum divinum est, ut omnes baptizentur: at præceptum superioris, etiam renitente inferiore servandum est. *Respondeo*; hoc verum esse, quando superior vult ut tunc servetur; at Deus non vult

vult ut baptismus administretur ; nisi servato ordine  
justitiæ.

*Dices 2.* Nonne quilibet jure naturæ habet potesta-  
tem defendendi innocentem , cui injuria infertur?  
*Respondeo* hoc verum esse , quando infertur injuria in  
rebus naturalibus, ut si quis vellet puerum mutilare,  
vel interficere : at talis injuria non habet locum ,  
quando parentes non curant baptizari proprios in-  
fantēs.

*Tertia pars suadetur* , quia infideles illi, etsi sub-  
dantur Ecclesiæ , non tamen sunt illius mancipia,  
ut suppono ; quare sicut non potest justè iis auferre  
bona temporalia quæ possident , ita nec eos privare  
potestate instituendi proprios filios , quæ jure natu-  
ræ ipsis competit. Ergo nec iis invito potest bap-  
tizare eorum filios , quia hoc ipso quòd essent bap-  
tizati, Ecclesia in eos jus acquireret ; ac proinde illos à  
parentum cura subtraheret , ob periculum subver-  
sionis.

*Ubi nota 1.* Aliud dicendum esse de infidelibus, qui  
sunt servi principum Christianorum , quia dominus  
ex vi domini quod habet in servos suos, potest justè  
eos vendere, & bonis omnibus privare, adeoque pro-  
prios filios ab eorum cura subtrahere : ista enim mi-  
noris æstimanatur quam libertas , qua jure gentium  
orbati sunt.

*Nota 2.* Antedicta non ita universaliter intelligen-  
da esse , quin aliquas exceptiones patiantur. In pri-  
mis enim quando infans versatur in proximo vitæ  
discrimine , licet illum invito patre infidele bap-  
tizare, dummodo id fiat sine contumelia , & scandalo.  
2. Baptizari potest infans , qui à parentibus suis adeò  
distat, ut non possit illis remitti : quomodo infantes  
ex Æthiopia adducti , ab Ecclesia baptizari solent.  
3. Si pater aut mater consentiat , ut infans baptizetur,  
potest ille baptizari, etsi alter parens renuat.

*De effectibus, & caeremoniis Baptismi.*

**R**ESOLUTIO I. *In Baptismo, infunditur gratia habitualis cum virtutibus infusis.* ] Hoc patet tum ex dictis supra cap. 6. tum quia baptismus institutus est ad hominem justificandum à peccato originali, & etiam actualibus, ut dicetur postea: justificatio autem non fit sine gratia, & virtutibus infusis, ex dictis ubi de gratia.

*Nota 1.* Hoc non tantum de adultis, sed etiam de parvulis intelligendum esse: cerum quippe est parvulos in baptismo justificari; atqui ut tradit Concil. Trident. *sess. 6. cap. 7.* in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, homo accipit fidem spem, & charitatem. Unde *can. 13. idem Concil.* statuit, infantes post baptismum inter fideles computandos esse, quia scilicet fides ipsis cum aliis virtutibus infunditur.

*Nota 2.* Aequaliter dispositis æqualem gratiam in Baptismo conferri, inæqualem verò iis qui inæqualiter se habent. Cujus ratio est, quia quodlibet sacramentum ex certa lege, & promissione Dei, habet certum & determinatum effectum gratiæ, non secus ac certam & determinatam significationem: hoc enim spectat ad providentiam divinam, ut singulis agentibus sive moralibus, sive physicis determinatam agendi vim, certosque effectus præscribat. Hinc ergo fit, ut ex parte sacramenti, quod operatur per modum agentis naturalis, æqualis effectus producat; adeoque si in effectu sit inæqualitas, ea ex inæquali suscipientium dispositione petenda sit.

*Ex dictis collige,* infantibus in Baptismo æqualem gratiam infundi: cum enim ad Baptismum per proprios actus se disponere nequeant, ex hac parte sunt pares; quare æquum est, ut par ipsis gratia conferatur.

tur, cum ex parte sacramenti, nulla sit inæqualitas. Nec dicas inæqualitatem posse se tenere ex parte prædestinationis: si enim Deus duos infantes elegit ad inæqualem gloriam, non propterea putandum est, eum per Baptismum inæqualem gratiam eis collaturum; sed potius eum curaturum, ut ejusmodi infantes non moriantur, priusquam media ad inæquales gratiæ, & gloriæ gradus assequendos ordinata, ipsis applicentur.

RESOLUTIO II. *Per Baptismum tollitur omnis macula sive peccati originalis, sive actualis, itemque omnis pœna peccatis debita.* PRIOR PARS si mitur ex Conciliis Florentino indecreto Eugenii & Trident. *sess. 5. can. 5. & sess. 14. cap. 2.* Ex quibus locis patet per baptismum tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, & per illum homines prorsus novam in Christo fieri creaturam, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes.

Unde sumitur ratio, quia proprium est baptismi, ut per illum homo ita justificetur, ut omnino moriatur vetustati peccati, ac fiat veluti nova creatura; omnia autem peccata ad vetustatem peccati pertinent, quare baptismus habet vim ea omnia remittendi. Quod tamen intellige de peccatis quæ baptismum præcedunt: quod enim sequentia non possint remitti, per solam recordationem baptismi præteriti, statutum est in Concilio Trident. *sess. 7. can. 10. de baptismo,*

Posterior pars probatur ex dictis Conciliis: nam Florentinum docet in baptismo remitti omnem pœnam, quæ pro culpa debetur: Unde monet non esse imponenda opera satisfactoria iis qui baptizantur, ob peccata ante baptismum patrata. Concil. verò Tridentinum *sess. 6. cap. 14.* ait pœnam temporalem non totam semper tolli per sacramentum Pœnitentiæ, ut per baptismum.

*Congruentia est, quia per baptismum homo per-*

fectè assimilatur morti Christi ex Paulo *Rom. 6.* sicut ergo Christus morte sua peccatum, & quoad culpam, & quoad pœnam perfectè superavit; ita congruum est ut baptismus, habeat vim delendi peccata, & quoad culpam, & quoad pœnam. Præsertim cum per illum homo exuat veterem hominem cum actibus suis, fiatque veluti nova creatura, cui peccata antiqua etiam quoad pœnam, imputari non debent.

*Observandum* autem, hæc non esse intelligenda de pœnis; quas homo ex humana lege per peccatum incurrit; nec de pœnis, quæ ex principiis naturæ oriuntur, quales sunt mors, fames, morbus, & similes pœnalitates, sed de iis quæ à Deo ob peccata extrinsecus infliguntur, quales sunt pœnæ inferni & purgatorii.

**RESOLUTIO III.** *Effectus Baptismi impeditur per fictionem suscipientis, eâ verò ablatâ. Baptismus præteritus incipit sortiri suum effectum.* ] Ut hoc intelligas, nota suscipientem baptismum dupliciter posse fingere; vel quatenus non intendit recipere sacramentum, vel quatenus etsi velit sacramentum recipere, non est dispositus ad gratiam in eo recipiendam. De priori fictione, quæ irritat sacramentum, hic non agimus; sed tantum de posteriori, quæ etsi non repugnet sacramento, illius tamen effectum primarium impedit; eo quod Deus nullum adultum ad iustitiâ admittit, nisi ad eam debitè se disponat, ut non semel dictum est. Unde prima nostræ resolutionis pars probata relinquatur.

*Secunda* non aliter probari solet, quam autoritate Augustini, qui eam perspicuè tradit *lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. & lib. 3. cap. 13.* Quare post tam eximium Ecclesiæ Doctorem, Theologi omnes docent, recedente fictione conferri; virtute ipsius baptismi præteriti, gratiam sanctificantem, & dona supernaturalia, quæ ipsam comitari solent. Item remissionem peccati originalis, omniumque mortalium, quæ ante baptismum patrata fuerunt, ac totius pœnæ

DE SACRAMENTIS CAP. XII. 77

poenæ ipsis debitæ. Quia nimirum baptismus recedente fictione verè regenerat, & facit alium hominem ex August. locis citatis; quare eos omnes effectus præstare debet, ac si ritè susceptus esset.

*Quo loco advertendum 1.* Ut baptismus fictè susceptus reviviscat, sufficere attritionem supernaturalè, si baptizatus non peccavit mortaliter suscipiendo baptismum, aut post illius susceptionem. Cùm enim non sint delenda nisi peccata quæ baptismum præcesserunt, quæque virtute illius deleta fuissent, si suscipiens actum veræ attritionis elicuisset: nulla est ratio cur eadem illa dispositio ad eundem effectum non sufficiat.

*Advertendum 2.* Si fictè baptizatus postea peccavit mortaliter, ad fictionem tollendam requiri per se loquendo veram contritionem. Cùm enim sacramenta non sint instituta ad tollenda peccata futura, per baptismum non delentur nisi quæ ante illum commissa sunt. Quare si post illius susceptionem alia commissa sint, ut fictè baptizatus consequatur remissionem peccatorum, debet elicere actum contritionis; aut certè si sola attritione præditus est, ad sacramentum Penitentia accedere. Quædam alia ad fictionem spectantia videri possunt in alio tract. *disp. 4. de Baptismo sect. 3.*

**RESOLUTIO IV.** *Varia sunt caremonia Baptismi, quarum alia præcedunt, alia comitantur, alia sequuntur Baptismum.* In primis ante omnia Catechumeni solebant olim dare nomina sua, ut baptizandorum numero ascriberentur. Ex qua consuetudine factum est, ut etiam nunc quando adulti accedunt ad baptismum, Sacerdos ab illis quærat, quo vocentur nomine. Imò Rituale Romanum jubet, ut in baptismo parvulorum, Sacerdos accepto nomine baptizandi, ad baptismum accedat. Illud autem nomen ab aliquo Sanctorum sumendum esse, Catechismus Concilii Trident. præcipit *part. 2. cap. 2. n. 60.*



*Secundò*, dato nomine, Catechumeni per dies aliquot instruebantur, de rebus quæ ad fidem, & ad bonos mores pertinebant. Qui mos adhuc in Ecclesia viget, eumque servandum Rituale monet, ubi de baptismo adulatorum.

*Tertiò* ab eo die quo Catechumeni nomina sua dabant, usque ad diem baptismatis, fieri solebant septem scrutinia, ut certo constaret, an qui baptizandi erant, verè & ex animo fidem Catholicam amplecti vellent. Porrò ad hunc morem alludere videtur Rituale Romanum, cum ait loco citato, ejus qui vult baptizari, voluntatem & propositum sæpius exploranda esse.

*Quartò* baptizandus abrenuntiabat Satanæ, & omnibus operibus, ac pompis ejus, quæ caremonia fiebat in ipsis scrutiniis, & postea etiam paulò ante baptismum, idque verso in occidentem vultu. Nunc verò fieri solet abrenunciatio, paulò ante baptismum, quando scilicet Minister perit à Catechumeno, ad fores Templi stante, an abrenunciet Satanæ, &c. neque interest in quam mundi partem baptizandus versus sit.

*Quintò* post abrenunciationem Satanæ fiebat fidei professio, quod etiam nunc servatur, quando Sacerdos interrogat Catechumenum, an credat in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ. An credat in Jesum Christum, Filium ejus Unicum Dominum nostrum, natum, & passum. An credat & in Spiritum sanctum, Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam aeternam. Quibus interrogationibus satisfacit baptizandus, ad singulas dicens, Credo, neque Symbolum integrum recitat tunc; sed postea simul cum Sacerdote, quando ingressus est Ecclesiam, & fiunt exorcismi, ut notatur in Rituali Romano.

*Sextò* sequuntur insufflationes ad exorcismum spectantes; quas facit Sacerdos, super faciem Catechumeni,

meni, ut ab illo dæmonem expellat. Quæ cæremônia ab Ecclesia, etiam hoc tempore servatur; siquidẽ sacerdos, postquam baptizandum interrogavit, ut jam dictum est, quater in faciem illius insufflat, nonnulla verba proferens, quæ habentur in Rituali Romano, ubi agitur de Baptismo adultorum; de quo præsertim hæc omnia, intelligenda sunt, cum ritus illi qui in parvulorum Baptismo servantur, ab aliis non nihil differant.

*Septimò* signum crucis in fronte, & in pectore Catechumeni sola manu Sacerdotis infigi solebat. Quod etiam nunc est in usu, in solemnè abominatione Baptismi: Sacerdos enim pollice frontem, & pectus baptizandi signat, dicens, N. Accipe signum crucis tam in fronte, quàm in corde, &c. Et post orationem, Te deprecor, iterum pollice, fronti, auribus, oculis, naribus, ori, pectori, & scapulis totidem signa crucis imprimit: ei quæ post eà toti benedicit sub hac verborum forma, signo te totum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

*Octavò* manuum impositio non semel super baptizatum fieri solebat, quod etiam nunc est in usu: nam quando Sacerdos baptizandum signavit modo prædicto, imponit illi manum, & recitat orationem, Omnipotens sempiternè Deus, &c. Rursum, postquam sal illi degustandum dedit, imponit illi manum recitans orationem, Deus Abraham, Deus Isaac, &c. Et idem facit tertio post exorcismum, Ergo maledicte diabole, recitans orationem cui titulus est Deus immortalè præsidium, & sæpe aliàs, ut præscribitur Rituali Romano.

*Nonò* sequebantur exorcismi, qui etiam nunc apud nos diligenter observantur, adhibitis variis orationibus, quæ non finiuntur more aliarum verbis illis, Per eundem Christum Dominum nostrum, sed istis, Per eum qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem,

quia scilicet dæmones diem iudicii valde pertimescunt.

*Decimò* sal à Sacerdote benedictum, baptizando degustandum porrigebatur, quod etiam hodie est in usu, ante dæmonis adjurationes: tunc enim Sacerdos pollice dextro, & indice parum salis benedicti in os Catechumeni immittit, dicens Accipe sal sapientiæ, propitiatio tibi sit in vitam æternam. Amen.

*Undecimò* aures, & nares Catechumeni extremis digitis saliva illitis tangebantur, quæ etiam cæremonia religiosè nunc observatur: Sacerdos enim pollice, & indice sumens sputum (quod est symbolum sapientiæ) tangit primùm aurem dextram, tum sinistram baptizandi dicens, in odorem suavitatis.

*Duodecimò* baptizandus oleo ungebatur in pectore, & in scapulis, quod etiam nunc fit in Ecclesia Latina. Verùm nota hanc unctionem esse distinctam ab unctione ex chrismate, de qua postea. Et hæc de cæremoniis quæ baptismum præcedunt. Veniamus ad eas quæ illum comitantur.

*Decimotertiò* initio nascentis Ecclesiæ Catechumeni baptizari solebant in fluviis, in fontibus, in viis, in domibus, &c. Temporis verò progressu ædificata fuerunt baptisteria, in quibus celebraretur baptismus. Porrò in qualibet civitate unum duntaxat extruebatur baptisterium, idque prope majorem Urbis basilicam, cujus loco nunc in singulis Ecclesiis habemus fontem lapideum, extra quem neminem licet baptizare, nisi urgente necessitate, aut si baptizandus esset filius Regis, vel supremi cujusdam Principis.

*Decimoquartò* duo olim tempora ad baptizandum destinata erant, nimirum Vigilia Paschatis, & Vigilia Pentecostes, extra quos dies, baptismus nisi in gravissima necessitate conferri non poterat. Quamvis autem hæc consuetudo jamdudum sit antiquata;  
 alius

DE SACRAMENTIS. CAP. XII. 81

illius tamen adhuc nonnulla vestigia cernuntur. Primo enim quia à die baptismatis, usque ad octavam Paschæ, baptizati vestibus albis induti incedebant, hinc factum est, ut Dominica prima post Pascha, Dominica in Albis appellata fuerit. Deinde mos ille etiam servatur nunc in Vigilia Paschæ, & Pentecostes, benedicendi fontem in quo baptismus confertur, ac tandem in iisdem solemnitatibus, quædam verba inseruntur in canone Missæ, ad baptizatos spectantia.

*Decimoquinto* ad baptismum non adhibebatur aqua, nisi benedicta, atque mixtione chrisma & olei consecrata. Jam verò post orationes quibus fons benedicitur, Sacerdos primo infundit oleum Catechumenorum, secundo chrisma, tertio utrumque simul, ac denique oleum miscet cum aqua, & manu spargit per totum fontem, de quo vide Missale Romanum. Quid autem faciendum sit, quando aqua valde imminuta est, aut omnino deficit, habes in Rituali Romano, ubi de materia baptismi.

*Decimosexto* baptismus olim per trinam immersionem perfici solebat, quod etiam nunc servatur à Græcis: hæc tamen consuetudo non est in usu in Ecclesia Latina, quæ communiter trina aquæ infusione baptismum perficit.

*Decimosextimo* baptizandus habet susceptorem, qui illum è sacro fonte levet, & de rebus fidei, si opus sit instruat: qua de re *cap. 11.* sufficienter actum est. Et hæc de cæremoniis baptismum comitantibus, superest ut de subsequenibus pauca dicamus.

*Decimoostavo* dabatur pacis osculum, quo Sacerdos significabat recens baptizatum, quem osculabatur, esse fratrem nostrum. Verùm hæc cæremonia non amplius est in usu.

*Decimonono* baptizatus ungebatur chrismate in vertice capitis, qui mos adhuc viget in Ecclesia

Latina. Quia verò olim die Palmarum capita infantium lavabantur, ut ad jam dictam unctiōem præpararentur, hinc vulgò dies illa Capitulavium appellabatur.

*Vigefimò*, baptizati veste alba induebantur, quæ cæremonia adhuc fervatur Romæ, quando adulti solemniter baptizantur in Sabbato Paschæ. Et in baptifimo ordinario album fudariolum capiti baptizati impofitum, quoddam prædictæ cæremoniæ veftigium dici poteft.

Denique cereus ardens baptizato dari solebat, qui ritus etiam nunc apud nos observatur: non tamen deguftatio lactis & mellis, lotio pedum, & alia quæ olim erant in ufu.

## CAPUT XIII.

*De effentia sacramenti Confirmationis.*

**R**ESOLUTIO I. *Confirmatio est verum nova legis Sacramentum, à Christo Domino institutum.* ]  
PRIOR PARS est de fide, determinata in Concilio Trident. *feff. 7. de Confirmatione can. 1.* his verbis; Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiofam esse cæremoniam, & non potiùs verum, & proprium Sacramentum, &c. anathema fit. Idem ostendi poffet ex aliis Conciliis, summorumque Pontificum, & Patrum authoritatibus: verum cum inter Catholicos nullum hac de re fit diffidium, iis superfedemus; præfertim cum videri poffint in alio tractatu de Sacramentis *part. 2. diffut. 5. feft. 1.*

*Posterior pars* est jam de fide, ut patet ex dictis *cap. 3.* ubi ostendimus, Sacramenta omnia novæ legis fuiffe à Christo instituta. Hinc autem colligitur Confirmationem neque à Melchiade Papa, ut volunt hæretici, neque à Concilio Meldensi, ut sentiunt quidam Scholastici, institutum fuiffe. Præfertim cum constet ex plerisque authoribus antiquis, sacramen-

DE SACRAMENTIS. CAP. XIII. 83

cramentum illud fuisse in usu ante tempora Melchiadis Papæ, aut Concilii Meldensis.

*Nota 1.* Probabile esse Christum instituisse Confirmationem in nocte cœnæ, quia ut ait Fabianus Papa *epist. 2. cap. 1.* tunc Christus conficere chrisma docuit, ubi per chrisma vel intelligitur totum Sacramentum Confirmationis, vel si sola illius materia: negari non potest, quin Christus etiam docuerit, qua forma in hoc sacramento utendum esset.

*Nota 2.* Hoc ita debere intelligi, ut institutio Confirmationis fuerit tantum inchoata in nocte cœnæ: absoluta verò post resurrectionem, quando Christus Apostolos ad Episcopalem dignitatem evexit; eo quod proprius, & ordinarius hujus sacramenti minister est solus Episcopus.

RESOLUTIO II. *Materia remota Confirmationis est Chrisma.* ] Hoc constat ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi duo traduntur. 1. Chrisma esse materiam Sacramenti Confirmationis. 2. Chrisma illud debere confici ex oleo & balsamo. Unde colligi videtur, non modo oleum, sed etiam balsamum, spectare ad essentiam materiæ Confirmationis, adeoque altero deficiente, sacramentum non valere.

*Advertendum autem 1.* Hæc intelligi de oleo communiter dicto, nempe de oleo olivarum, & de vero balsamo, non adulterino. Nec refert an sit balsamum Palæstinum, an Indicum, etsi fortè specie differant; sicut nihil interest utrum vinum consecrationis sit album, aut rubrum.

*Advertendum 2.* Ob quorundam Theologorum sententiam, oleum non mixtum balsamo esse materiam probabilem confirmationis, adeoque interdum defectu materiæ certæ usurpari posse. Quia tamen valde probabile est, sacramentum in eo casu nullum esse, oportet illud postea repetere in materia certa, sub illa conditione, si non es confirmatus.

*Advertendum 3.* Ad essentiam Confirmationis spectare, ut chrisma sit ab Episcopo benedictum, Concilium enim citatum statuens materiam Confirmationis esse chrisma, ex oleo & balsamo confectum, & ab Episcopo benedictum, hoc loquendi modo indicat benedictionem Episcopalem non minus ad essentiam hujus sacramenti spectare, quam oleum & balsamum. Præsertim quia idem Concilium agens de materia baptismi ait, eam esse aquam veram & naturalem, nec benedictionis aut consecrationis meminit, esto ex præcepto adhiberi debeat; quia videlicet non est necessaria ad valorem baptismi.

*Advertendum 4.* Non requiri ad valorem sacramenti, ut chrisma sit eodem anno benedictum: ad hoc enim sufficit verum chrisma, quale esse potest, sive sit unius, sive alterius anni. Si tamen agatur de necessitate præcepti, eo modo necesse est ut chrisma eodem anno sit benedictum, ut ex ipso usu satis intelligitur.

RESOLUTIO III. *Materia proxima Confirmationis est chrisma unctio.* ] PROBATUR ex hætenus dictis, ostendimus enim materiam proximam sacramentorum, quæ in usu consistunt, nihil aliud esse quam applicationem materiæ remotæ, circa chrisma esse materiam remotam confirmationis. Ex his autem sequitur, materiam proximam confirmationis esse applicationem, seu usum actualem chrismae circa confirmandum, id est, unctioem ex chrismate.

Unde collige 1. Unctioem illam ita esse necessariam ad valorem confirmationis, ut sine ea manuum impositio non sufficiat; repugnat enim aliquod sacramentum subsistere sine materia illius proxima. Præterquam quòd falsa esset forma confirmationis; cum hæc in solam unctioem cadat, non autem in aliam impositionem manuum.

Collige 2. Unctioem ex chrismate, absque alia manuum

DE SACRAMENTIS CAP. XIII. 85

manuum impositione, præter eam quam ipsa unctio aliquo modo continet, ad essentiam sacramenti sufficere, quia nimirum forma substantialis confirmationis cadit tantum in unctionem, neque ullam aliam manuum impositionem determinat.

Verum nonnulla hic *Observanda* occurrunt; 1. Ad essentiam confirmationis requiri, ut unctio fiat in modum crucis: talis enim ritus semper ab Ecclesia servatus fuit, tanquam essentialis, & significatus per verba formæ; etsi ea alioqui secundum se spectata, indicare videantur duas actiones distinctas concurrere ad confirmationem, nempe consignationem, & unctionem. Ex quo sequitur, eam quantitatem chrismatis ad valorem confirmationis sufficere, quæ satis est ut unctio ex illa fieri possit, in modum crucis.

*Observandum 2.* De essentia confirmationis esse ut unctio fiat in fronte illius qui confirmatur; quod aliter probari non potest, quam ex perpetua traditione, & usu Ecclesiæ, quæ adeo religiosè ritum illum observat, ut eum verè confirmatum non censeat, qui chrismate unctus in fronte non fuerit. Monet autem Concilium Florentinum in litteris unionis, unctionem, & consignationem ideò fieri in fronte, ubi verecundiæ sedes est, ne confirmatus Christi nomen ejusque crucem, quæ Judæis est scandalum, Gentibus stultitia, confiteri erubescat.

*Observandum 3.* Confirmationis unctionem, ut valida sit, debere fieri manu Episcopi, esse autem de necessitate præcepti, ut unctio illa fiat pollice dextro Episcopi: hoc enim ita præscribit Pontificale Romanum, & Ecclesia hunc modum inter confirmandum observat. Non tamen est de necessitate sacramenti, ut unctio fiat pollice, vel indice, vel alio quovis digito. Potestque unctio valere etsi pollice serico, aut tela obvoluto, peragatur.



RESOLUTIO IV. *Circa formam Confirmationis, quædam observanda sunt.*] PRIMO formam illam contineri his verbis, ut sumitur ex Concilio Florentino, in decreto unionis: Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Patet etiam ex usu Ecclesiæ; quæ talem formam usurpat ut sufficientem ad hoc sacramentum adeoque necessariam ut sine illa, vel alia æquivalenti sacramentum irritum sit.

*Observandum 2.* Ad essentiam formæ prædictæ spectare, ut exprimat personam quæ confirmatur, actum confirmantis, ut ab illo procedit, & distinctè tres personas Trinitatis invocet. Ratio autem primi, & secundi petenda est ex dictis supra *cap. 9.* ubi de forma baptismi; tertii verò ex eo, quòd Confirmatio ordinatur ad perficiendam fidem in baptismo acceptam, eamque coram Tyranno forti animo, si opus sit, profitendam.

*Observandum 3.* Ad valorem formæ utrumque illud verbum, signo, & confirmo, exprimendum esse: si quis enim prius omitteret, non exprimeret signum crucis, quòd tamen necessario exprimendum videtur, ut novus Christi miles palam protestetur se illud non erubescere: si verò posterius prætermitteret, non exprimeret effectum per illud significatum.

*Observandum 4.* Ut sacramentum valeat, debere etiam verba illa chrismate salutis, apponi; quia reliqua verba non satis distinctè significant unctionem illam externam, quæ ex materia proxima hujus sacramenti, quæque ex chrismate fieri debet. Nec refert quòd hæc omnia ita distinctè in Patribus non contineantur: illi enim parcè agebant de hoc, aliisque sacramentis, ne mysteria nostræ religionis infidelibus manifestando, ea prodere viderentur.

*Observandum 5.* Formam illam Græcorum, signaculum doni Spiritus sancti, non videri sufficientem, eò quòd

DE SACRAMENTIS CAP XIV. 87

èò quòd multa non exprimit, quæ continentur in forma Latinorum, quæque necessario ut valeat sacramentum, exprimenda esse diximus. Verùm quia Arcudius latè oppositum defendit, vide illius argumenta, eorumque solutionem in tract. de sacramentis 2. part. disp. 5. sect. 6.

C A P U T XIV.

*De causis, effectibus, & ceremoniis Confirmationis.*

**R**ESOLUTIO I. *Solus Episcopus est Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis.* ] EST de fide, ut satis patet ex Concilio Tridentino, *sess. 7. can. 3.* de Confirmatione, ubi sic statuitur. Si quis dixerit, sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem anathema sit. Idem colligi potest ex *sess. 13. cap. 4.* Nec refert quòd ex Concil. Tolet. 1. *cap. 20.* Sacerdos in absentia Episcopi chrismate possit: non enim ibi agitur de confirmatione, sed de ea unctione quæ fit in vertice baptizati, quando baptismus solemniter confertur.

Hic autem adverte Episcopum verè consecratum, etsi excommunicatus, aut suspensus, vel etiam hæreticus sit, Sacramentum Confirmationis validè conferre posse: si nimirum materiam & formam illius, cum debita intentione applicet: quia character Episcopalis semper remanet; administratio autem Confirmationis est actus solius ordinis, nullamque ut sit validus, jurisdictionem exigit.

Neque refert quòd olim revertentibus ab hæresi, manuum impositio fieri solebat: vel enim hoc intelligi debet de simplici manuum impositione, sine unctione: vel de manuum impositione, cum aliqua unctione ceremoniali, quoad eos qui antea confirmati fuerant; vel cum unctione confirmativa, quantum ad eos qui cum Novatianis Sacramentum Confirmationis repudiabant.

RE-

RESOLUTIO II. *Simplex Sacerdos potest esse minister extraordinarius Confirmationis, ex delegatione summi Pontificis.* ] PROBATUR efficaciter, primò ex facto quorundam Pontificum, qui talem potestatem Sacerdotibus concesserunt; ut Gregorius Magnus Presbyteris Sardiniae, Adrianus Sextus Sacerdotibus regularibus Ordinis Minorum; & sequentes Pontifices Patribus Societatis in Brasilia aliisque locis, ubi desunt Episcopi degentibus.

*Probatur 2. ex Concilio Florent. in decreto Eugenii, ubi habetur, aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, administrasse Confirmationis Sacramentum. Et ex Trident. sess. 7. can. 3. de Confirmatione, ubi cum statuitur ministrum ordinarium Confirmationis esse solum Episcopum, tacitè insinuarur, simplicem Sacerdotem esse posse ministrum extraordinarium hujus sacramenti.*

*Dices 1. Ea quæ sunt de essentia sacramenti, cujusmodi est minister, non posse mutari. Respondeo Pontificem dando facultatem Presbytero Confirmationem administrandi, non immutare essentiam sacramenti, sed tantum ipso facto declarare, quomodo divina institutio intelligenda sit.*

*Dices 2. Quæ sunt ordinis, non posse validè fieri à non habente ordinem. Respondeo hic supponi administrationem confirmationis esse actum solius ordinis Episcopalis, quod tamen falsum est, nisi agatur de confirmatione, ex potestate ordinaria collata. Exemplum sit in minoribus ordinibus, quos Abbates ex privilegio sedis Apostolicæ conferunt; etsi Episcopus sit eorum minister ordinarius.*

*Notandum autem, dare prædictam facultatem simplici Sacerdoti, spectare duntaxat ad Summum Pontificem, ut constat ex communi sensu, & praxi Ecclesiæ. Neque dicas Episcopum posse in sua diocesi, quicquid potest summus Pontifex in toto orbe;*  
hoc

DE SACRAMENTIS CAP. XIV. 89

hoc enim non potest intelligi de suprema potestate jurisdictionis, quam habet summus Pontifex per totum orbem; & cujus ratione tribuere potest simplici Sacerdoti facultatem administrandi confirmationem, & minores ordines; sed de potestate ordinis, quam habet ratione consecrationis Episcopalis.

RESOLUTIO III. *Nullus nisi baptizatus validè confirmari potest: omnes tamen baptizati rite confirmari possunt.* ] PRIOR PARS est indubitata, tum quia baptismus communissimè dicitur janua aliorum omnium Sacramentorum, tum quia per baptismum homo spiritualiter generatur, & per confirmationem augmentum capit: non potest autem augmentum capere, nisi prius genitus sit. Loquor de ipso Confirmationis sacramento: illius enim effectus ante baptismum adultis conferri potest, si nimirum supponamus eos jam esse in gratia.

*Posterior pars suadetur*, tum exemplo Apostolorum, qui omnes baptizatos indifferenter manuum impositione confirmabant, ut colligitur ex eorum actibus; tum ex antiqua Ecclesiæ praxi, quæ omnibus baptizatis statim baptismi peracto, Sacramentum Confirmationis conferri solebat. Tum quia sicut de intentione naturæ est, ut omnia quæ corporaliter nascuntur, ad ætatem perfectam perveniant; ita ac multo magis est de intentione Dei naturæ authoris ad perfectionem perducere omnes qui supernaturaliter generantur.

*Notandum autem* i. Ecclesiam Romanam non solere infantes confirmare, antequam rationis usum habuerint: tum propter majorem reverentiam sacramenti, tum ut confirmatus recordetur sacramenti suscepti, illiusque iterationem impediatur. Non tamen expectandus est duodecimus, vel decimus quintus annus, ut quidam existimant; sed sufficit collationem hujus sacramenti differre usque ad septimum annum, ut patet ex Catechismo Romano

parag. 14.

parag. 14. Imò si adesset necessitas, posset dari confirmatio infantibus, ante usum rationis.

*Notandum 2.* Amentes qui aliquando usum rationis habuerunt, confirmandos esse, si non constet eos fuisse in peccato mortali, quo tempore in amentiam inciderunt; quia unusquisque præsumitur bonus, quandiu non constat eum esse malum. Alii verò qui semper usu rationis caruerunt, confirmandi sunt, cum ratione gratiæ baptismalis quam non amiserunt, sufficienter sint dispositi ad augmentum gratiæ recipiendum.

RESOLUTIO IV. *Nemo tenetur ex præcepto sive divino, sive Ecclesiastico suscipere Sacramentum Confirmationis.* ] RATIO EST; quia tale præceptum non continetur in Scriptura, neque ex Patribus colligi potest: cum illi tantum agant de fructu & utilitate hujus Sacramenti. Neque ex usu Ecclesiæ; hæc enim ita hoc Sacramentum confert, ut non inducat fideles ad illud ut necessarium ex præcepto aliquo recipiendum: sed solum tanquam bonum & utile animæ. Nec tandem ex natura hujus sacramenti, supposita illius institutione, siquidem prima gratia sufficit ad salutem consequendam; hoc autem sacramentum per se non confert primam gratiam, sed secundam.

*Neque dicas 1.* Quemlibet teneri fieri plenum Christianum: hoc enim verum est de plenitudine substantiali, & sufficientiæ quæ habetur per baptismum; non de plenitudine accidentali, quæ per confirmationem haberi potest.

*Neque dicas 2.* Saltem hoc præceptum vigere, quando fides publicè confitenda est coram Tyranno. Nam contra hoc est, quia potest homo sine confirmatione, habere gratiam sufficientem ad certandum spiritualiter pro fide Catholica. Per accidens tamen urgeret hoc præceptum, si quis se putaret sine confirmatione, tentationes contra fidem superare non posse.

Hic

DE SACRAMENTIS CAP. XIV. 91

Hic porro *Observandum est*, non esse peccatum mortale recipere ordines ante confirmationem. Probabile tamen est eum peccare venialiter, qui creatur clericus antequam confirmatus sit, & multo magis si Sacerdos, & Episcopus constituatur, cum indecens sit quod duces militiae Christianae signo militari careant.

RESOLUTIO V. *Duo sunt effectus Confirmationis, character & gratia.* ] QUOD attinet ad priorem effectum, *Observandum 1.* Characterem Confirmationis esse qualitatem realiter distinctam à characterē baptismali; cum sacramenta realiter distincta ordinentur ad effectus realiter distinctos. Imò cum Baptismus, & Confirmatio specie inter se differant, æquum est ut characteres qui sunt speciales eorum effectus distinguantur specie.

*Observandum 2.* Confirmationem iterari non posse: eum tamen qui bis confirmationem suscipit, etsi graviter peccet, nullam irregularitatem incurrere, cum talis pœna in jure non extet. Itemque dicendum de Episcopo, qui bis hoc sacramentum eidem homini administrat.

Quòd attinet ad posteriorem effectum, *Nota 1.* gratiam confirmativam esse per se loquendo perfectiorem baptismali; quod indicant Patres, quando dicunt, hominem confirmatum eodem modo comparari ad seipsum baptizatum, sicut se habet homo perfectus & robustus ad puerum recens natum. Neque refert quòd confirmatio non remittat totam pœnam, sicut baptismus; gratiæ siquidem perfectio magis attenditur penes majorem unionem cum Deo, & conformitatem cum Christo, quàm penes remissionem pœnæ.

*Nota 2.* Gratiam Confirmationis supponere baptismalem, quo fit ut non possit illam assequi, nisi qui hac præditus est; quia scilicet gratia augmenti, & roboris supponit vitam gratiæ. Si quis tamen amissa gratia baptismali, bona fide accedat ad hoc sacra-

sacra-

sacramentum, cum sola attritione supernaturali, quam probabiliter & invincibiliter putet esse contritionem, effectum sacramenti recipiet.

*Nota 3.* Ex probabili sententia, sacramentum Confirmationis fictè susceptum, recedente postea fictione, conferre gratiam, ut supra de baptismo diximus. Quia durum videtur, quod homo qui cum debita dispositione ad hoc sacramentum non accessit, perpetuo maneat destitutus iis mediis, quæ sunt necessaria ad perfectè exercendum munus militis Christiani; ad quod ratione characteris indelebilis semper obligatur.

RESOLUTIO VI. *Varia sunt cæremonie Confirmationis, quarum alia præcedunt, alia comitantur, alia sequuntur illius administrationem.* ] Ad primum genus reducuntur omnes illi ritus, qui in confectione chrismatis ferri solent; quorum tres sunt præcipui, 1. Quod Episcopus ter halat in modum crucis, super os ampullæ chrismalis, & post eum similiter duodecim Sacerdotes sacris vestibus induti. 2. Quod Episcopus chrisma jam confectum salutatur sine mitra, & singulis vicibus ait, Ave sanctum chrisma; primò quidem submissa voce, secundò paulò elata, ac denique altiori voce. Idem faciunt seorsim prædicti duodecim Sacerdotes. 3. ut chrisma non fiat quovis anni tempore; sed tantùm semel in anno, nimirum feria quinta ante Pascha.

Ad secundum genus cæremoniarum reducitur 1. Tempus quo hoc sacramentum administrari solet; nam licèt Episcopus quolibet anni tempore confirmare possit, laudabilis tamen consuetudo obtinuit, ut in Vigilia Pentecostes, ut plurimum, hoc Sacramentum administraretur: quia eo maximè tempore Apostoli in fide roborati fuerunt. 2. Locus in quo sacramentum administrari debet, qui non est aliquo Ecclesiæ præcepto determinatus: quare licèt confirmatio dari soleat in Ecclesia, posset tamen justa de causa in quodam alio loco honestò licèt administrari.

DE SACRAMENTIS CAP. XIV. 93

strari. 3. Susceptores in confirmatione adhibendi, qui communiter sunt duo, nempe vir & foemina; & si sint confirmati, cognationem spiritualem cum confirmato, illiusque patre & matre contrahunt. 4. Vestes sacrae quibus Episcopus indutus esse debet, ut hoc sacramentum cum debita reverentia conferat.

Denique ad tertium caeremoniarum genus pertinent, quae postunctionem chrismalem peraguntur, nimirum frons confirmati vitta lineae candida cingi solet, Episcopus levi alapa eum percutit, illique dat pacem dicens, Pax tecum.

---

LIBER II.  
DE EUCHARISTIAE  
SACRAMENTO,  
& Sacrificio Missae.

CAPUT I.

*De Eucharistia secundum se.*

**R**ESOLUTIO I. *Eucharistia varia sunt nomina quae ad 4. capita revocari possint.* ] Nam imprimis si spectemus quae in ipsa Eucharistiae institutione peracta sunt, ea vocatur mensa, eò quòd supra mensam fuit instituta; convivium, quia Christus inter epulandum eam instituit; coena Domini, eò quòd inter coenandum fuit instituta; & Eulogia, seu benedictio, quia Christus instituendo hoc sacramentum, benedixit panem, & vinum.

Quòd si secundo loco attendamus, ad rem ipsam in Eucharistia còtentam, sub hac consideratione vocatur 1. Panis vivus, panis coelestis, panis sanctus & divi-



divinus, panis Angelorum; quia ibi sunt quidem species externæ panis, sed sub illis aliquid simplici pane longè præstantius latet. 2. Vocatur corpus Christi, seu corpus Domini, vel etiam sanctum Domini, quia in Eucharistia realiter continetur corpus Christi, quod in Scriptura sanctum Domini appellatur, 3. Vocatur gratia, quia gratiæ authorem continet. 4. Appellatur Eucharistia, seu bona gratia, tum propter eandem rationem, tum quia sumitur in gratiarum actionem, pro beneficiis Christi morte nobis collatis. 5. Vocatur Sacramentum Sacramentorum, seu nobilissimum inter Sacramenta, quia eundem Christum realiter continet.

Quòd si tertio attendamus ad effectus Eucharistiæ, ea 1. Vocari solet communio corporis, & sanguinis Christi; quia per eam homines quodammodo realiter unum fiunt cum Christo. 2. pax, seu mysterium pacis, tum quia per illam constituitur pax, & unio inter homines; tum quia olim erat perfectum signum reconciliationis lapsorum cum Ecclesia. 3. Viaticum, eò quòd viam parat ad gloriam, quam significat. 4. Pretium nostrum, quia sanguine Christi à peccati servitute liberati sumus.

Supereft quartum, & ultimum caput, quod est representationis, seu significationis: hoc enim sacramentum vocatur memoriale Passionis Christi, quia institutum est ut nobis in memoriam revocet mortem Christi. Interdum verò vocatur signum, figura, vel imago corporis Christi, non ut excludatur realis ejus præsentia; sed vel quia species panis & vini sunt veluti imago, & signum corporis Christi sub iis latentis; vel quia ipse Christus, ut est in Eucharistia, est quædam figura sui ipsius ut erat in cruce.

RESOLUTIO II. *Eucharistia Sacramentum fuit institutum in ultima cæna, quæ Christi passionem præcessit.* ] HOC patet tum ex Evangelio, Matth. 26. & Luc. 22. tum ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 1. ubi asseritur

tur, hoc Sacramentum à Redemptore nostro in ultima cœna fuisse institutum. Siquidem tunc Christus accepit panem, fregit, ac dando discipulis, dixit, Hoc est corpus meum; eis præcepit ut idem sacramentum conficerent, adeoque dedit potestatem illud conficiendi; quæ omnia de prima Eucharistiæ institutione, primoque illius usu intelligi debent, cum ea quæ leguntur Joan. 6. de sola promissione hujus sacramenti, non autem de reali illius exhibitione, intelligenda sint.

Hujus porrò institutionis *congruentia* afferri potest. Et quidem quòd Eucharistia debuerit institui ante passionem, inde constat, tum quia congruum erat, ut Christus maximum sui in nos amoris signum, ante mortem nobis exhiberet; tum quia alias illius sacrificii oblatio non fuisset meritoria, aut satisfactoria.

Deinde, quòd Eucharistia debuerit institui, inminente jam passione, ea ratione ostenditur; quia congruum erat ut Christus sub aliena specie, seipsum invisibilem hominibus relinqueret, quo tempore ab illis quoad propriam speciem, & visibilem præsentiam discessurus erat.

Tandem cum Agnus Paschalis esset figura Eucharistiæ, decuit ut jam peracta cœna legali, in qua Christus Agnum illum cum Apostolis manducavit, Sacramentum Eucharistiæ instituere; ut ita umbra cederet corpori, & figura veritati.

RESOLUTIO III. *Eucharistia consistit in re aliqua permanente, nempe in materia consecrata.* ] PROBATUR, nam Eucharistia tandiu est sacramentum, quandiu Christi corpus in ea permanet, at Christi corpus in ea permanet extra usum & sumptionem, ergo est sacramentum, etiam dum non sumitur; atque adeò est aliquid permanente. Major ostenditur, quia propria ratio Eucharistiæ est, ut sit sacramentum ad spiritualem refectionem animæ, per modum

COR-

convivii institutum ; quod ipsi non competit , nisi quamdiu corpus Christi, quod est cibus animæ, in ea perseverat. Minor suadetur ex Trident. *sess. 13. can. 4. 6. & 7.* quibus locis statuitur Christi corpus esse in hostiis consecratis, quæ post communionem reservantur, in processibus solemniter circumgestari, ad infirmos deferri, & similia quæ evidenter ostendunt, Christum esse permanentem in Eucharistia, & extra usum.

Ex quibus intelligi potest 1. Verba consecrationis propriè non pertinere ad essentiam hujus sacramenti, ut jam in suo esse constituti, tanquam formam illius intrinsecam ; si quidem rei permanentis partes essentielles debent esse permanentes ; verba autem illa consistunt in fluxu & statim transeunt: quare fieri nequit, ut sint de essentia hujus sacramenti, quod longè post illorum prolationem existit, secundum totam rationem & essentiam sacramenti. Accedit quòd per verba consecrationis Sacramentum Eucharistiæ conficitur: repugnat autem id quod est causa efficiens sive physica, sive moralis alicujus rei esse formam illius intrinsecam.

Intelligi potest. 2. Usus Eucharistiæ non esse partem essentialem hujus sacramenti ; si quidem Eucharistia est sacramentum perfectum ante usum & independentem ab illo, ut dictum est. Neque refert quòd Eucharistia gratiam non conferat, nisi in usu: hinc enim non sequitur, ipsum usum esse sacramentum, vel partem sacramenti; sed tantum esse conditionem sine qua sacramentum non causaret gratiam.

Intelli potest. 3. Sacramentum Eucharistiæ essentialiter, & adæquatè, constitui ex speciebus panis & vini, & ex corpore & sanguine Christi. Ex illis quidem, quia sacramentum est per se signum externum & sensibile: ex istis etiam, quia Eucharistia essentialiter est cibus animæ, quod propriè illi non competit ratione specierum ; sed ratione corporis Christi sub iis latentis.

DE EUCHARISTIA CAP. I. 97

RESOLUTIO IV. *Species panis & vini constituunt unum specie Sacramentum: Imò plures species simul sumpta; non nisi unum numero Sacramentum, moraliter loquendo, constituunt.* ] PRIOR PARS PROBATUR, quia cùm hoc sacramentum ordinetur ad spiritua- lem refectiõnem animæ eamque significet; sicut ci- bus & potus moraliter concurrunt, ad constituen- dum unum specie convivium, ita species panis & vini unum specie sacramentum constituunt, eò quòd ambæ simul sumptæ perfectam refectiõnem repræ- sentant.

*Dices*, ergo ille qui alteram tantum speciem re- cipit, non sumit integrum sacramentum. *Respon- deo* cum distinctione, non sumit integrum sacra- mentum quoad significationem tam expressam spi- ritualis refectiõnis, concedo, quoad ipsum sub spe- ciebus latentem, & quoad ipsam refectiõnem animæ, nego: cum Christus sit totus sub qualibet specie, & non minorem conferat gratiam sub una, quàm sub duabus simul sumptis, ut infra dicetur.

*Posterior pars* ex ante dictis sumitur, quia quan- do plures species sumuntur per modum unius nu- mero refectiõnis spiritualis, ab ea unitatem nume- ricam sortiuntur, ad eum modum quo plura fercu- la, ad eandem refectiõnem ordinata, dicuntur unum numero convivium, etsi in se physicè, & materialiter diversa sint.

*Dices*, si duæ hostiæ consecratæ duobus porrigan- tur, duo erunt sacramenta numero distincta: cur non ergo totidem erunt si eidem tribuantur? *Respondeo*, quia tunc non ordinantur, nisi ad unam numero re- fectiõnem; eo modo quo plura fercula eidem men- sa apposita, non faciunt nisi unum convivium, etsi duo efficerent; si duabus mensis apponerentur.

*De materia Sacramenti Eucharistia.*

**R**ESOLUTIO I. *Panis & vinum sunt materia ex qua fit Sacramentum Eucharistia.* ] EST de fide, ut satis patet ex Scriptura *Matth. 26. Marci 14. & Luca 22.* Et ex Conciliis Florent. Lateran. & aliis, atque ex communi sanctorum Patrum, & Ecclesie sensu. Congruentia est, tum quia cum hoc sacramentum sit institutum ad reficiendam animam a quo fuit ut institueretur in rebus quae maximè conducunt ad refectioem corporis; tum quia cum per Eucharistiam fideles uniantur inter se, congruum fuit ut hoc repraesentaretur per panem, qui ex multis granis conficitur, & per vinum, quod ex diversis uvis exprimi solet.

Hic autem *Observandum est* 1. Panem necessarium ad confectioem Eucharistiae, debere esse triticeum, id est, confectum ex frumento, quod ex relatione hominum peritorum, veram habet rationem tritici, sive ita vocetur, sive non; unde si merito dubitatur, an granum aliquod sit triticum, panis ex eo confectus est materia dubia: quod sufficit ut moraliter loquendo, numquam in eiusmodi pane Eucharistiam conficere liceat; praesertim cum ad salutem non sit necessaria.

*Observandum* 2. Esse de necessitate Sacramenti Eucharistiae, ut panis sit confectus ex aqua naturali: quare si farina sit lacte, vel oleo, aut aqua rosacea subacta, ea non est sufficiens materia Sacramenti. Requiritur etiam ut panis sit coctus ad ignem, cum massa cruda farinae aqua subacta, non sit cibus humanus; nec panis dici possit, sive ab eo specie differat, sive non. Necessè est insuper ut panis igne coctus non sit iterum oleo, vel butyro frixus, sic enim non esset panis usualis, sed potius placenta, aut aliquid huiusmodi.

*Observandum* 3. Vinum ad Eucharistiam necessarium.

sarium, esse vinum vitis, seu ex uvis expressum, aptumque ad usum, seu potabile. Unde fit, ut neque succus ex pomis, aut similibus fructibus expressus, neque succus uvarum ante maturitatem expressus, sit materia sufficiens ad consecrationem. Idemque dicendum de aceto, vel quia non est substantialiter vinum, vel saltem quia non est vinum potabile. Quamquam secus sentiendum sit de musto, ex uvis maturis recens expresso, & de vino acescente: ista enim sunt substantialiter vinum, adeoque ad valorem sacramenti sufficiunt, quamvis peccatum sit ea usurpare.

*Observandum 4.* Ex communi sententia, vinum congelatum sufficere ad consecrationem, quia cum species congelata retineant sanguinem Christi, ut clarè supponitur in Missali Romano, ubi de defectibus Missæ, nulla ratio est cur eadem initio congelata, consecrationem recipere non possint: eo quod in utroque casu necesse est, ut species illæ sanguinem Christi, per modum potus significant: & non minùs eam significationem sortiri possunt, siue congelata sint ante consecrationem, siue post illam. Unde si dicas, vinum debere esse potabile, ut sit materia apta ad consecrationem; urgeo idem fatendum esse de vino consecrato, ac proinde sufficere, quòd sit potabile in actu primo, esto aqua congelata non sufficiat ad baptismum, eò quòd actualis ablutio ad essentiam baptismi pertinet.

**RESOLUTIO II.** *Ex precepto Ecclesie aqua vino consecrando misceri debet; quod si ea quando fit consecratio, nondum est in vinum conversa, remanet quoad propriam substantiam, nec immediate mutatur in sanguinem Christi.* ] **PRIMA PARS** sumitur ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 7. ubi declaratur, preceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum etiam quia è latere ejus exiit sanguis & aqua; quod sacramentum

hac mixtione recolitur. Unde collige, quod aqua vino in sacrificio misceatur, id non esse de jure divino, & multò minus ad substantiam sacramenti pertinere.

Ubi *Observandum* pro praxi, 1. Eam mixtionem debere fieri ante oblationem; quod si quis ex inadvertentia eam omittat, debet postea aquam infundere, si calix nondum sit consecratus 2. Eam debere fieri in calice, idque tempore sacrificii, ita ut non sufficiat si aliter fiat. 3. Aquam quæ miscetur, debere esse naturalem, puram, & in modicissima quantitate.

*Secunda pars probatur*, tum quia materia consecrationis calicis est vinum propriè, & substantialiter dictum, seu vinum de vite, ut supra ostendimus: ergo ut aliquid immediatè convertatur in sanguinem Christi, debet esse propriè, & substantialiter vinum: cujusmodi non est aqua, etsi vino permixta sit, habeatque colorem, & odorem vini. Tum quia Concilia, & Pontifices valde inculcant, ut aqua adhibeatur in modicissima quantitate, non alia certe de causa, nisi ut ea citius convertatur in vinum, & deinde in sanguinem Christi per verba consecrationis. Vana autem esset hæc eorum sollicitudo, si aqua posset immediatè in Christi sanguinem converti.

*Neque occurras*, cum vinum non sit substantia vivens, gratis fingi aquam posse in illud converti. Licet enim generatio strictè sumpta, sit opus viventis, nil tamen vetat quin vinum possit aquæ guttulam ei immixtam, in suam substantiam convertere: eò quòd quoad quantitatem, & agendi vim eam longè superat.

*Dices 1.* Patres interdum ajunt, aquam converti in sanguinem Christi. *Respondeo* hoc non debere intelligi de conversione immediata, sed de mediata; sicut quando dicimus, panem converti in nostræ carnis substantiam.

*Dices 2.* Innocentium III. in cap. Cum Martha, de celebrat.

celebrat Missar. apertè tradere conversionem illam immediatam aquæ in Christi sanguinem. *Respondeo*, hoc gratis, & falso supponi; siquidem pontifex ibi ex tribus opinionibus quas refert, sequitur ut probabiliorem, eam quæ asserit, aquam cum vino in sanguinem transmutari: at nulla hoc affirmat præter secundam, quæ apertè loquitur de mediata aquæ conversione in sanguinem Christi.

*Dices* 3. Si totum quod est in calice, non converteretur in sanguinem Christi, sequeretur falsam & sacrilegam fore formam calicis. *Respondeo*, hoc etiam sine fundamento dici, quia ad veritatem formæ sufficit quod in calice contineatur materia, quæ in Christi sanguinem converti possit: forma enim supra illam cadit, & habet suum effectum, esto alia materia talis conversionis incapax, ipsi adjuncta sit.

**RESOLUTIO III.** *Materia consecrationis debet esse præsens Sacerdoti, & ab eo determinari in individuo.*

**RATIO** prioris partis est, quia verba illa, hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei, cum non dicantur tantum recitativè, seu historicè; sed etiam formaliter & assertivè, significant ex se rem aliquam præsentem. Et Christus ipse ea protulit circa materiam præsentem, quod etiam Ecclesia observat. *Dubium*, est autem qualis debeat esse ejusmodi præsentia.

Nonnulli putant, materiam ita debere esse præsentem, ut verba consecrationis vel realiter, vel intentionaliter ad eam perveniant. Sed contrà, nam præterquam quòd in nostra sententia, vox Sacerdotis non operatur physicè conversionem panis; quamvis sic eam perficeret, posset ex communi opinione, agere in materiam distantem, quàm per sonum, aut per speciem illius intentionalem realiter non attingeret.

*Dicendum* ergo requiri, ut materia consecranda moraliter sit præsens Sacerdoti. Pronomina quippe de-



pe demonstratiua hoc, & hic, absolutè prolata, & sine alia designatione rei demonstratæ, non nisi in materiam valdè propinquam, & moraliter præsentem cadere solent: quare cum formæ consecrationis ejusmodi pronomina contineant, necesse est ut materia per illas consecranda moraliter sit præsens.

Ubi *Observandum est*, ad hanc præsentiam moralem duo requiri. 1. Ut materia consecranda physicè parum distet à consecrante. 2. Ut consecrans aliquo sensu ejusmodi materiam percipiat, vel ratione sui, vel ratione continentis. quia aliàs per pronomen demonstrativum non posset eam designare, aut quod sub ea latet. Nec refert quòd particulæ panis, & vini adeò exiguæ ut visum fugiant, validè consecrentur simul cum aliis; illæ enim sic existentes possunt videri, & demonstrari ratione totius; quod non conringeret, si à toto essent avulsæ.

*Ratio posterioris partis est*, quia cum Sacerdos humano modo proferat verba consecrationis, debet ille suam intentionem accommodare significationi verborum; quare sicut pronomina demonstrativa, in verbis consecrationis contenta, non modo materiam præsentem denotant, sed etiam determinatam & singularem; ita Sacerdotis intentio circa materiam determinatam ferri debet. *Confirmatur*, nam baptizamus est nullus, si minister determinatè non intendat baptizare hunc numero hominem, quem præsentem habet: ergo à simili, nulla est consecratio, si Sacerdos non intendat determinatè consecrare eam numero materiam, quæ illi præsens est: esto velit materiam aliquam vagè, seu hanc vel illam consecrare; sequela patet, quia utriusque intentio, cum sit practica, debet versari circa subiectum, vel objectum singulare.

Hinc collige, si consecrans ex decem hostiis quas præsentem habet, quatuor tantum mente designet, quas solas consecrare velit, reliquas non esse consecratas;

cratas; si autem ex illis decem, quatuor in confuso consecrare velit. easque in particulari non designet, nullam esse consecratam; quia dici non potest, omnes esse consecratas, nullaque est ratio, cur potius una dicatur consecrata, quam alia. Quare ne tale quid contingat, debet Sacerdos habere intentionem consecrandi, totam illam materiam quæ ipsi præsens est, & consecrari potest.

RESOLUTIO IV. *Substantia panis, & vini non manet in hoc Sacramento post consecrationem.* ] EST de fide, sub iis terminis definita in Concil. Trident. sess. 13. can. 2. Probari autem potest ex Patribus, quorum alii apertè dicunt, substantiam panis destrui, alii converti in corpus Christi; quæ & similia planè ostendunt, substantiam panis non manere post consecrationem, idemque dici debet de substantia vini.

*Probat*ur etiam efficaciter hæc transubstantiatio, ex verbis consecrationis. Nam quando Christus accipiens panem, dixit: Hoc est corpus meum, verum dixit: at verum non dixisset, si panis substantia cum ipsius corpore remansisset: siquidem per pronomen, hoc, denotaretur ipse panis, sensusque esset panem esse corpus Christi, quòd planè falsum est. Quemadmodum ille falsum pronunciaret, qui Angelo existente intra lapidem, diceret, hoc est Angelus, quia significaret lapidem esse Angelum, sed potius deberet dicere, hic, id est, in hoc lapide, est Angelus. Cùm ergo verba Christi vera sint, ex iis rectè colligitur, substantiam panis & vini non esse in Eucharistia, post consecrationem.

Hinc autem colligendum 1. Materiam panis non manere in Sacramento: Concilium enim Trident. docet loco citato, in eo fieri cōversionem totius substantiæ panis, in corpus Christi, & manere solas species, id est, sola accidentia panis. 2. Si panis habet formam substantialem, eam non remanere post consecrationem: secus verò, si est artefactum, quoddam

& constituitur in ratione panis, per formam accidentalem. 3. Neque manere post consecrationem existentiam substantiæ panis: quia sic in rigore, tota panis substantia non converteretur in corpus Christi, & sola illius accidentia non remanerent, cum existentia panis sit aliquid substantiale.

*Dices*, si hæc vera sunt, sequitur substantiam panis annihilari. *Respondeo* id sequi, si illud dicitur annihilari, quod desinit secundum totam suam substantiam; non tamen si ut aliquid annihilatur, necesse sit, ut illius desitionem non sequatur alterius rei productio.

## CAPUT III.

*De forma Sacramenti Eucharistiæ.*

**R**ESOLUTIO I. *Consecratio fieri debet per verba illa Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei.* **HOC** patet 1. ex cap. Cùm *Matth.* de celebrat. Missar. ubi dicitur, Christum expressisse formam consecrationis, quando hoc sacramentum confecit: tunc autem expressit verba prædicta. 2. ex Concilio Florent. in decreto Eugenii, ubi dicitur Sacerdotem conficere Eucharistiam verbis Christi, quæ in illius persona profert: at Sacerdos verba allata profert in persona Christi, quia si ea in persona propria efferret, falsum diceret, nihilque efficeret. 3. ex Concilio Trident. *sess. 13. cap. 4.* cùm ait, per consecrationem substantiam panis, & vini converti in corpus, & sanguinem Christi: tunc autem fit ea conversio, quando proferuntur verba de quibus agimus. 4. Ex praxi Ecclesiæ, quæ dictis verbis inter consecrandum semper usa est.

Atque ex his refelluntur varii errores hæreticorum huius temporis: quorum primus asserit, verba non esse necessaria ad consecrationem Eucharistiæ. Secundus verba admittit, non ad consecrandum panem & vinum, sed ad instruendum populum, & excitandam fidem. Tertius ponit verba ad consecrandum, sed

sed nomine tenus : non enim vult per verba mutari panem in corpus Christi: sed tantum per ea significari, corpus Christi esse præsens cum pane. Rejicitur etiam ex dictis error recentiorum Græcorum qui docent, consecrationem non fieri verbis citatis, sed quibusdam orationibus sequentibus, quibus Sacerdos orat Spiritum sanctum, ut panem & vinum in corpus, & sanguinem Christi convertat.

RESOLUTIO II. *Consecratio panis validè perficitur solis illis verbis. Hoc est corpus meum: & consecratio vini, illis. Hic est calix sanguinis mei, neq; alia ad valorem sacramenti sunt necessaria.* ] PRIMA PARS PROBATUR, nam etsi in consecratione panis quædam verba recitentur præter illa, *Hoc est corpus meum*, ea tamen non possunt esse de essentia formæ: cum nonnulla ab Ecclesia adjuncta sunt, quæ non potest aliquid instituire, tanquam pertinens ad essentiam sacramenti. Alia autem sunt verba Evangelistarum, nimirum illa. *Qui pridie quàm pateretur, quæ perspicuum est non fuisse à Christo prolata; cum iis tantum referatur, quid Christus fecerit. Quod spectat ad illa, Accipite & manducate, etsi à Christo prolata sint, non tamen sunt de essentia formæ, cum à Luca non referantur, & unum à Marco omittatur, etsi uterque institutionem Eucharistiæ descripserit: ac præterea quia Sacerdos ea non profert in persona Christi, sed tantum recitat quid Christus fecerit: Et alioqui non valeret consecratio, nisi adessent qui Eucharistiam sumerent. Denique particula, enim; verbis allatis, inserta, non potest esse essentialis formæ; cum ab Evangelistis, & à Paulo sit prætermissa, & sine illa, sensus aliorum verborum integer maneat, quoad substantiam.*

Hinc autem sumitur ratio prædictorum: nam ea verba sufficiunt ad consecrationem panis, quæ sufficiunt ut Christus fiat realiter præsens in Eucharistiæ: at illa quatuor verba, *Hoc est corpus meum*, ad id sufficiunt, eò quod formæ sacramentorum id effici-

unt quod significant : ergo alia verba ad valorem consecrationis non sunt necessaria.

*Secunda pars ostenditur*, nam formæ sacramentorum faciunt quod significant: at in consecratione calicis illa sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, et si reliqua non addantur, significant sanguinem Christi præsentem in calice. Ergo sola faciunt ut ibi sanguis Christi ponatur.

Accedit quòd verba quæ sequuntur, non omnia referuntur ab aliquo ex Evangelistis, quod valde urgens signum est, ea non spectare ad essentiam sacramenti; præsertim cum addant, Christum præcepisse ut id ipsum faceremus, quod ille præstiterat, quòd non satis congruè diceretur, nisi jam plenè constaret, quid Christus fecerit, instituendo Eucharistiam.

Licet autem nullus prætermittat illa duo vocabula, Novi testamenti, quod tamen non sint essentialia, patet, tum quia non significant effectum formæ, sed tantum effectum aliquem sacramenti; tum quia omittuntur in Missa Æthiopum, quæ creditur à S. Matthæo conscripta, quæque ab Ecclesia approbatur.

*Neque dicas 1.* Verba illa sequentia esse determinationes quasdam prædicati, nempe sanguinis Christi, ac proinde esse essentialia: negatur enim id sequi, quia per additamenta illa explicantur nonnulli effectus sacramenti; qui ut patet, sunt extra illius essentiam.

*Neque dicas 2.* Sacerdotem eodem ritu & modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia verba illa proferre, hoc enim ita fit, quia pertinet ad majorem explicationem formæ præcedentis, et si non sint de illius essentia. Aliàs dicendum esset particulam, enim, spectare ad essentiam formæ, cum eodem tenore proferatur ac verba reliqua.

**RESOLUTIO III.** *Sacerdos profert verba consecrationis recitativè, seu historicè, ea nimirum referendo ut à Christo*

*Christoprolata.*] PROBATUR, nam sicut per verba illa canonis, Qui pridie quàm pateretur, &c. refert Sacerdos quid Christus fecerit, ita per illa, dicens, Accipite & manducate, Hoc est enim corpus meum, apertè recitat quod Christus dixit Apostolis, cum eis Eucharistiam comedendam porrexit.

Deinde si historia finiretur in verbo illo, manducate, particula enim, esset superflua, ea siquidem connectit priora verba cum posterioribus, & reddit causam cur Christus, quod præ manibus gerebat, discipulis manducandum porrexerit; nimirum quia id erat corpus suum, sicque profertur recitativè: quare si ante illam narratio desinit, frustra adhibetur, non minus quàm si Sacerdos consecraret, ommissis omnibus illis verbis quæ formam præcedunt.

*Dices 1.* Verba consecrationis proferuntur significativè, ex postea dicendis, ergo non recitativè; sequela patet, quia sic ea proferrentur materialiter simul & formaliter, quod repugnat. *Respondeo*, negando sequelam, & ad probationem dicendum est, non repugnare quod verba aliqua referantur ut ab alio dicta, & proferens iis velit significare, quod alius iisdem significavit; ut si concionator velit auditores suos ad orandum impellere, his verbis; Christus dixit; quicquid orantes petitis, credite quia accipietis: neque hoc est proferre eadem verba materialiter, & formaliter respectu ejusdem, sed respectu diversorum.

*Dices 2.* Ut verba consecrationis dicerentur recitativè, ea proferenda essent circa eandem materiam, circa quàm à Christo sunt usurpata: quod tamen non fit, cum Sacerdos demonstrat contentum sub materia quam præsentem habet non sub ea quam Christus præsentem habebat. Verùm hæc objectio falsitatis convincitur ex jam dictis potest enim concionator verba Christi usurpare, etsi non sint iidem utriusque auditores.

RESOLUTIO IV. *Verba consecrationis proferuntur, etiam significantivè.* ¶ RATIO EST, quia sacramenta nova legis non efficiunt, nisi id quod significant: at per verba consecrationis corpus Christi constituitur sub specie panis, & sanguis illius sub specie vini; ergo verba illa talem effectum significat, adeoque proferuntur significantivè. *Confirmatur*, nam si verba consecrationis dicerentur tantum recitativè, non esset necessaria materia præsens, circa quam proferrentur: sicut non sunt necessarii auditores, quos ad orandum excitare intendam, quando tantum historicè refero illud Christi, *Quicquid orantes petitis, &c.*

*Dices 1.* Verba consecrationis, si sumuntur significantivè, debent significare corpus Christi, & sanguinem illius; at hoc non, tum quia Sacerdos dicens, hoc est corpus meum, significare corpus suum, non Christi: tum quia sanguis Christi non amplius effundetur. *Respondeo*, quando Sacerdos dicit, hoc est corpus meum, eum non loqui de corpore suo, sed de corpore Christi, cujus personam sustinet, ac proinde verum dicere. Quando vero ait, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, loqui de sanguine Christi, nec tamen falsum dicere; quia cum illa verba non sint de essentia formæ, ea tantum profert recitativè, non autem significantivè.

*Dices 2.* Si verba consecrationis corpus, & sanguinem Christi significant, verè significant: at hoc non, quia cum veritas propositionis nihil aliud sit, quam illius conformitas cum re de qua agitur, corpus & sanguis Christi deberent in Eucharistia existere, antequam verba consecrationis proferantur. *Respondeo* negando minorem, nam ad veritatem propositionis, qua aliquid de præsenti enuntiatur, sufficit quod res de qua agitur, vel tunc existat, vel statim futura sit, ut patet cum dico, *Ecce Paulus adest*; sufficit enim quod brevi ad futurum sit. Ita ergo ut Sacerdos verè dicat, *hoc esse corpus Christi*, satis est, quod

quòd in fine prolationis verborum, corpus Christi ibi constituitur.

**RESOLUTIO V.** *Per pronomen, hoc, in verbis consecrationis non demonstratur, panis nec species illius, sed ipsum Christi corpus.* ] **PRIMA PARS PROBATUR,** tum quia cum panis non possit esse corpus Christi, nisi figurativè, verba consecrationis non possent intelligi absque aliqua figura, vel tropo: cum tamen ex sententia omnium Catholicorum propriè accipienda sint. Tum quia in forma calicis particula, hic, denotat liquorem in calice contentum, qui pro nobis erat effundendus; vinum autem pro nobis effusum, non fuit: quare per pronomen, hic, non denotatur vinum, adeoque nec panis, per pronomen, hoc, demonstratur.

*Secunda pars suadetur,* nam si per pronomen, hoc, demonstrantur species panis, vel eæ demonstrantur directè, vel indirectè, ita ut directè demonstraretur contentum sub speciebus. Non primum, quia sic species essent corpus Christi, quod dici non potest. Non secundum, quia per pronomen, hoc, fit demonstratio ad sensum, adeoque non nisi aliquid singulare, & determinatum significatur: at contentum singulare & determinatum, quod sub speciebus existit, quando profertur verbum, hoc, non est aliud quàm panis, qui non demonstratur, ut dictum est.

Non tamen negandum, quin alio sensu species panis indirectè demonstrantur: nam cum dico, Hoc est corpus meum, materiale demonstratum hujus propositionis est, corpus Christi, ratio verò formalis sub qua illud designo, sunt species ipsæ, quatenus corpus Christi demonstro, ut continetur sub speciebus illis præsentibus, & sensibilibus.

*Tertia pars probatur,* tum à sufficienti enumeratione, tum quia ex Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 4.* Christus verè dixit, id quod sub specie panis offerebat, esse corpus suum: quod autem offertur sub specie



panis, est in fine prolationis verborum, neque est aliud quàm corpus Christi: ergo per pronomen, hoc, non nisi corpus Christi demonstratur: tum denique quia propositiones practicae, quales sunt formae sacramentorum, suspendunt significationem pronominis demonstrativi usque ad finem propositionis, nec demonstrant nisi prædicatum; ut patet, si quis aurum produceret per illa verba, hoc est aurum, tunc enim pronomen, hoc, non nisi aurum demonstraret.

*Dices hinc sequi, formam consecrationis esse identicam, ut sensus sit, corpus meum est corpus meum. Verùm neganda est hæc consequentia: nam quando loco subjecti ponitur terminus aliquis, non ita distinctè rem explicans, ac prædicatum, propositio nõ est identica, ut patet cum dico, homo est animal rationale. Quare cum pronomen, hoc, non nisi confuse significet corpus Christi, propositio illa, hoc est corpus meum, non est identica.*

RESOLUTIO VI. *Sub specie panis, ex vi verborum, ponitur corpus Christi: sanguis verò, anima, & divinitas per concomitantiam. Sub specie verò vini ponitur sanguis, ex vi verborum; corpus autem, anima, & divinitas per concomitantiam duntaxat.* ] Hæc omnia certa sunt ex Concilio Trident. *sess. 13. cap. 3.* & ratio est, quia sacramenta efficiunt quod significant, ut sæpissimè observavimus, ita ut significatio sit veluti virtus per quam operantur. Quare cum nomen, corpus, non significet sanguinem, vel animam, aut divinitatem; hinc fit ut ea non sint sub specie panis, vi verborum, sed corpus duntaxat. Et similiter, quia sanguis non significat corpus, vel animam, aut divinitatem; hinc sequitur sub specie vini, ex vi verborum esse solum sanguinem, & non reliqua quæ memorata sunt. Cæterum quia corpus Christi de facto est animatum, sanguine præditum, & divinitati conjunctum; ideò per concomitantiam anima, sanguis, & divinitas ponuntur cum corpore sub speciebus panis. Et similiter.

DE EUCHARISTIA. CAP. IV. III

ter, quia sanguis Christi existit in corpore animato, & Verbo conjunctus est, ideo sub vini specie corpus, anima, & divinitas per concomitantiam cum sanguine constituuntur.

*Dices 1.* corpus Christi ponitur, ex vi verborum, sub specie panis, quatenus est corpus humanum, ac variis membris constans, quale non est, nisi per aliquam formam substantialem, adeoque per animam. *Respondeo* hinc tantum sequi, formas partiales constitui sub specie panis, ex vi verborum: cum per illas corpus Christi in ratione organici, & humani sufficienter constitui possit.

*Dices 2.* Corpus includit naturam, & subsistentiam: ergo Verbum divinum ut sustentans corpus Christi ponitur, ex vi verborum, sub speciebus panis, *Respondeo* antecedens falsum esse: corpus enim non dicit subsistentiam, sed rationem partis duntaxat, ut patet: tum quia ipsa humanitas non dicit subsistentiam, & tamen verè eam dicimus constare ex corpore, & anima, tum quia si corpus Christi à Verbo dimitteretur, & conservaretur sine propria subsistentia, illud esset verum corpus, quamvis non subsisteret.

*Si quæras*, an quantitas Christi ponatur in hoc sacramento, ex vi verborum. *Respondeo* id pendere ex quæst. philosophica an scilicet corpus possit esse organicum, & formas partiales, sine quantitate: si enim affirmes, dicendum est quantitatem corporis Christi, non esse in hoc sacramento, nisi per concomitantiam: si verò partem negantem sequaris, consequenter fateri debes, quantitatem ibi esse ex vi verborum: cum ex vi verborum, Corpus Christi ut est humanum, & perfectè organicum, in hoc sacramento constituatur, Et hoc videtur probabilius.

\* \*

\*

CA-

*De reali presentia Christi in Eucharistia.*

**R**ESOLUTIO I. *Corpus Christi realiter, & substantialiter est presens in Eucharistia.* ] Hac non tantum est de fide, sed etiam unum ex precipuis fidei nostrae mysteriis. *Probari* autem potest primo *ex cap. 6. Joan.* supponendo ibi agi de Eucharistia, illiusque reali manducatione, ut Patres, & Theologi communiter tradunt, breviterque probatur: tum quia Christus promittit novum aliquem panem nunquam antea datum, aut ab hominibus manducatum: signum ergo est non agi de sola manducatione ipsius Christi per fidem: siquidem Patres Antiqui habebant fidem in Christum venturum, eumque spiritualiter manducabant; tum quia si Christus de sola fide ageret, hortaretur tantum Judaeos, ut in ipsum crederent, & credentibus vitam aeternam promitteret: neque ageret de pane & Potu, ac multo minus toties inculcasset carnem suam manducandam, & sanguinem suum bibendum: sic enim perpetuus esset in loquutione metaphorica, ex qua Judaei non levem errandianam sumpsissent, Tum quia incredibile est Joannem Evangelistam nullibi egisse de sacramento Eucharistiae: at nullibi de eo verba fecit; si totum illud *caput 6.* exponendum est de sola Christi manducatione per fidem: quare omnino dicendum est, in eo capite agi de manducatione sacramentali, atque ad eò de sacramento Eucharistiae.

Hinc autem sumitur *ratio* assertionis: nam cum Joannes agat de Eucharistia, & Christus promittat se in ea daturum carnem suam, & sanguinem suum, hac promissio debet proprie intelligi de vera carne Christi, & de vero sanguine illius; cum ex regula generali ab Augustino tradita, nunquam recedendum sit à proprio & litterali Scripturae sensu, nisi manifestè probetur, talem sensum sequendum non esse: & aliunde

DE EUCHARISTIA. CAP. IV. 113

aliunde caro, & sanguis Christi nunquam sumantur metaphoricè, pro sola figura carnis & sanguinis Christi, sed semper propriè pro vera illius carne & sanguine; ut olim observatum est à Patribus, contra hæreticos illos, qui Christo veram carnem negabant.

Deinde promisit Christus Judæis, qui ipsum sequuti fuerant per desertum, panem multò præstantiorem illo quo satiati fuerant; imò & excellentiorem ipso manna, quod olim eorum Patribus exhibitum fuerat. At hoc congruè intelligi non potest, de pane aliquo vulgari, qui corpus Christi significaret: non enim ejusmodi panis, propter rationem signi, esset præstantior pane miraculosè multiplicato, qui erat figura Eucharistiæ; & multo minùs esset præferendus ipsi manna, quod manibus Angelorum fabricatum erat, & continebat omnem saporem suavitatis, & haud dubiè hoc sacramentum præfigurabat. Fatendum igitur est, promissionem Christi intelligendam esse de pane aliquo præstantiori, nempe de carne sua exhibita sub specie panis, de qua loco citato dixit; Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: quibus verbis manifestè indicavit se propriè de vera sua carne loqui.

Postremò accedit murmuratio Capharnaitarum, qui postquam Christus carnem suam illis promisit, dixerunt, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? quod certè non dixissent, si Christus eorum judicio non fuisset locutus de carne sua, sed de pane, qui carnem illius significasset. Et Christus ipse nisi locutus fuisset de propria carne, non fuisset passus, ut illi sermonem quem ad illos habuerat, de ea intellexissent sed illico pravam eorum intelligentiam correxisset dicens, se tantùm agere de figura carnis suæ: quod non modo non fecit, quin imò ut suam promissionem de vera carne ab ipsis intellectam, confirmaret, illico addidit. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberi-

biberitis ejus sanguinem , non habebitis vitam in vobis.

*Probari potest 2.* Ex verbis institutionis hujus sacramenti quæ habentur *Matth. 26. Marci 4. Luca 22.* & apud Paul. *1. Cor. 11.* ex his enim locis constat, Christum vocare corpus, & sanguinem suum, id quod comedendum, & bibendum porrigebat discipulis suis. Quare ergo verba tam clara, & perspicua non intelligentur de vero corpore, & sanguine Christi? aut cur fingemus locutionem esse figuratam, & sermonem esse tantum de signo corporis & sanguinis Christi? Certè si vera & litterali acceptione verborum dimissa, ad metaphoras confugere liceat, occurrent infinitæ explicationes figuratæ, quarum una non erit certior alia; ut patet vel ex innumeris interpretationibus quas afferunt sectarii, circa verba prædicta. Imò ita fiet ut nihil certum sit in tota Scriptura; quia quantumvis verba aperta sint & dilucida, respondebitur locutionem esse figuratam, ac proinde aliter intelligendam quam verba sonent. Unde quæcunque dicuntur de Trinitate, de Incarnatione, de Resurrectione futura, &c. facile eludi poterunt, confugiendo ad tropos & metaphoras. Quòd si Novatores contendunt, quæ de his mysteriis traduntur in Scriptura, propriè accipienda esse, cur quando agitur de corpore, & sanguine Christi in Eucharistia, omnem proprietatem respuunt, & ad figuras confugiunt? Maximè cum nullibi Scriptura tam apertè dicat, in Deo esse tres personas realiter distinctas, & unam essentiam; in Christo duas naturas, divinam, & humanam, cum unico Verbi supposito: nosque in eadem carne resurrecturos: quam Christus locis citatis ait, hoc quod dabat Apostolis, esse corpus & sanguinem suum.

*Confirmatur 1.* Hoc argumentum ex nonnullis verbis, quæ adjunguntur institutioni hujus sacramenti. Nam de corpore dicitur, Quod pro vobis tradetur: at certum est non nisi verum Christi corpus pro homini-

homini-

DE EUCHARISTIA. CAP. IV. 115

minibus traditum, seu in cruce oblatum fuisse. De calice verò dicitur, eum pro hominibus fundendum; quis autem asserere audeat, merum vinum pro hominibus, id est pro eorum salute effusum fuisse? De illo autem qui indignè accedit ad hoc sacramentum, dicitur eum esse reum corporis, & sanguinis Domini, & iudicium sibi manducare & bibere, id est, in corpus & sanguinem Domini gravissimè peccare, adeoque pœnam æternam mereri, ut omnes explicant. At quis credat, eum qui in statu peccati, sumit frustulum panis, tam graviter peccare, ut pœnæ æternæ reus fiat? Certè Agnus Paschalis erat figura Christi, eaque multo præstantior simplici pane, nec tamen peccator qui eo vescabatur, peccabat mortaliter. Quare fatendum est, sub specie illa externa panis, & vini quæ videntur in Eucharistia, aliquid longè præstantius latere, nempe corpus ipsum & sanguinem Christi, adeoque verba institutionis propriè intelligenda esse.

*Confirmatur 2.* Ex unanimi consensu omnium Patrum, & Doctorum Ecclesiæ qui verba institutionis de vero corpore, & sanguine Christi semper intellexerunt, ut patet, tum ex eorum scriptis, tum ex variis Conciliis sive generalibus, sive provincialibus quibus interfuerunt. Quis igitur audeat prædicta verba à proprio & genuino sensu, qui in universa Ecclesia semper receptus fuit, dimovere, & ad figuratas locutiones divertere? Evangelistæ apertissimè testantur Christum dixisse, hoc est corpus meum; hic est sanguis meus; idem testatur Paulus, & tam hic quàm illi agunt de corpore, quod pro nobis traditum fuit, & de sanguine pro salute nostra effuso: & hoc intellexit Ecclesia jam à mille & sexcentis annis de vero corpore, & sanguine Christi, quæ nobis in Eucharistia realiter & substantialiter dari profitetur: Num ergo liceat contra aperta Scripturæ verba, contra venerandam Patrum antiquitatem, contra majorum traditionem, & sæculo-

rum

rum omnium consensum, ad tropos & figuras confugere?

Novatores solam Scripturam recipiunt, eam consulant. Nunquid Evangelistæ, & Paulus dicunt Christum in nocte cœnæ dixisse discipulis, Accipite & comedite hoc est signum corporis mei, Minimè verò, sed fatentur illum dixisse, hoc est corpus meum. Scriptura ergo à qua sola patrocinium expectant, magis nobis favet, quam illis. Quòd si scripturam per scripturam solam elucidanda sit, ut ipsi clamant, exhibeant nobis aliquem locum scripturæ, ex quo pateat verba prædicta figuratè, & non in proprio sensu accipienda esse. Si verò nullus ejusmodi locus suppetit, cur apertam Patrum expositionem rejiciunt? Num Calvinus sapientior fortè est, & perspicacior tot viris sanctissimis, & doctissimis qui ante illum scripserunt ejusque errorem damnarunt? Num sententia illius præferenda est judicio, & communi sensui Ecclesiæ, quam scimus à Spiritu sancto regi, & esse fundamentum ac columnam veritatis ac in rebus tanti momenti errare non posse?

Sed quid opus est aliunde tot argumenta mutuari, ad convellendam hæreticorum pervicaciam? Ipsorum doctrinam recolamus, & planè constabit eam subsistere non posse, cum figuris quas in verbis consecrationis comminiscuntur. Docent illi hoc sacramentum esse signum corporis Christi præsentis, non absentis: imò eos qui id negant, efficere Deum mendacem. Quæro autem à novis istis Doctoribus, quæ ratione probent Eucharistiam esse signum corporis præsentis, nisi verba accipiantur propriè, & ut sonant? Nam si sensus illorum est, panem significare corpus Christi, non inde colligent corpus Christi esse præsens: quandoquidem multa sunt signa rerum absentium, sicut præteritarum & futurarum: Quare vel invitati fateri debent, verba consecrationis sumenda esse in propria significatione, ut explicantur à Catholicis.

*Probari*

DE EUCHARISTIA. CAP. IV. 117

*Probari potest* 3. Prædicta resolutio, tum ex antiquis  
Lyturgiis, quæ ab Apostolis, ut fertur, confectæ, &  
ab Ecclesia approbatæ sunt: tum ex plerisque Con-  
ciliis generalibus & provincialibus: tum ex consen-  
su antiquorum Patrum Græcorum, & Latino um:  
tum ex constanti & perpetua praxi Ecclesiæ, quæ  
semper habuit Sacerdotes, templa, altaria, aliaque  
ad confectiõnem, & usum hujus sacramenti necessa-  
ria. Tum denique ex variis miraculis, quibus Deus  
veritatem de qua agimus manifestavit. Verum quia  
ista omnia apud plerosque recentiores videri pos-  
sunt, in iis recensendis non immorabimur: præfer-  
rim cum sperandum non sit, eos qui verba Christi  
sole ipso clariora, mille artibus eludere conantur,  
authoritatibus hominum permovendos, ad confiten-  
dum veritatem corporis, & sanguinis Christi in Eu-  
charistia.

Illud tantum notetur ex Concilio Trident. *sess. 13.*  
*cap. 3.* Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim  
post consecrationem, verum Domini nostri corpus,  
verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie,  
una cum ipsius anima, & divinitate existere. Unde  
*can. 1.* sic statuitur. Si quis negaverit in sanctissimæ  
Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, &  
substantialiter corpus & sanguinem, una cum ani-  
ma, & divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac  
proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo  
esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute, anathe-  
ma sit.

Contra prædictam resolutionem multa *objiciunt*  
hæretici, ex verbis institutionis, atque imprimis sic  
arguunt. Id Christus dedit discipulis, quod in manus  
accepit, benedixit, ac fregit, ut planum sit *ex cap. 26.*  
*Matth.* at accepit, benedixit, & fregit panem: ergo  
panem discipulis dedit.

Hoc argumentum ita *retorqueo*: Id Christus dedit  
discipulis, quod accepit in manus, benedixit, & fre-  
git: atqui accepit panem vulgarem; ergo talem panem  
dedit.

dedit,



dedit, quod est contra adversarios qui asserunt, Christum Apostolis non dedisse panem vulgarem, sed sacramentalem, & aliquomodo benedictione sanctificatum. Sicut igitur illi ut solvant prædictum argumentum, dicere debent, Christum non dedisse Apostolis panem eodem modo se habentem, ac dum illum accepit: quia nimirum acceptum benedixit, & ea benedictione aliquatenus sanctificavit: a nos dicimus, Christum et si panem acceperit, non dedisse panem, quia panem quem acceperat, mutavit in corpus suum, per verba illa. Hoc est corpus meum.

Rursus *objiciunt* locutionem illam, hoc est corpus meum, esse sacramentalem, atque adeò figuratè intelligendam esse. Hoc etiam *retorqueo*. Verba illa, Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti, sunt sacramentalia, ergo figuratè sunt intelligenda: ac proinde Trinitas in baptismo non est invocanda, & similiter non est necessaria aqua propriè, sed figuratè.

Deinde dico, potius contrarium concludendum esse: nam si locutio est sacramentalis, qua scilicet instituitur, aut fit sacramentum; ea debet esse vera & perspicua, non autem falsa vel ambigua, instat oraculorum demonum: siquidem non potest latens mysterium explicari, nisi verbis propriis & apertis.

*Tertio* opponunt, in forma calicis reperiri loquutionem figuratam: ibi enim ponitur continens pro contento, nempe calix pro liquore in calice concluso. Ita ergo volunt verba illa hoc est corpus meum, figuratè intelligenda esse, ut sensus sit, hoc est signum corporis mei.

*Respondeo*, absurdissimam esse consequentiam. Non est hic questio de qualibet figura, sed de ea quam hæretici introducunt, ad auferendam veritatem, & realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia, quia videlicet signo tribuitur nomen rei significatæ. Exemplum autem allatum nihil facit ad propositum,

tum,

DE EUCHARISTIA. CAP. IV. 119

tum, quia nemo dicit calicem significare figuram calicis. Est quidem tropus in verbo calicis, quia calix sumitur pro liquore in calice incluso. ut patet: tum quia Christus dixit calicem porrigens Apostolis, Accipite & bibite, hic est calix sanguinis mei: constat enim non bibi ipsum calicem, sed liquorem in eo contentum: tum quia apud Lucam. & Paulum de calice dicitur, qui pro vobis effundetur, at non ipse calix, sed liquor in eo inclusus effunditur. Caterum hæc figura est aperta, & apud homines valde usitata: vulgò enim dici solet, Titium bibisse sciphum vini, vel aquæ, quo loquendi modo denotatur, Titium potasse vinum, vel aquam in sciphum contentam. Est autem inauditum apud homines, & prorsus inusitatum in Scriptura, quod corpus sumatur pro signo corporis; neque aliquid nos cogit, ut tropum adeò abolerum admittamus. Quare omnino neganda est prædicta consequentia.

*Quarto obijciunt verba illa Luca 22.* Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat: Ex quibus constat Christum vocare generationem vitis seu vinum, id quod erat in calice: atque adeò in illo non fuisse ipsius sanguinem.

*Respondent nonnulli,* Christum in ultima cœna duos calices Apostolis porrexisse, unum peracta cœna Paschali, alterum instituendo Eucharistiam: & priorem non consecrasse, sed posteriorem; ac consequenter in priori de quo loquitur Lucas loco citato, fuisse duntaxat vinum: in posteriori verò sanguinem Christi. Quod autem Christus duos porrexerit calices discipulis, aperte colligi videtur ex ipso textu Lucæ, qui ita habet, Desiderio desideravi, hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar: dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: accipite, & dividite

dividite

dividite inter vos: dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat, Hactenus de cœna Paschali, deinde profequitur quæ spectant ad Eucharistiam hoc modo. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem: similiter & calicem postquam cœnavit dicens: hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Certè ex serie horum verborum planum fit, calicem istum posteriorem fuisse distinctum ab alio, de quo priori loco actum fuerat: & juxta hanc sententiam objectio prædicta nullius est momenti.

Alii nihilominus *secundò respondent*, Lucam tantùm loqui de uno calice, & de illo per anticipationem dixisse verba allata; postea verò post consecrationem, ejusdem meminisse, ordine narrationis servato. Cujus rei non leve argumentum est, quia alii Evangelistæ prædicta verba referunt, post consecrationem calicis. Et juxta hanc sententiam, dicendum est sanguinem, qui erat in calice, vocari generationem vitis, quia illius consecratio facta fuerat in vero vino, cujus species adhuc remanebant, quæque non minus habebant vim nutriendi, quàm si vini substantia adfuisset. Et modus ille loquendi est valde frequens in Scriptura sacra, quæ appellare solet res ut exterius apparent: sic Angeli sub externa hominum forma apparentes, vocantur homines, serpens æneus vocatur serpens, &c. Ita ergo cum sanguis Christi in calice contentus, haberet externam similitudinem vini, non mirum est quod Christus de illo agat sub nomine vini: sicut etiam corpus Christi sub specie panis contentum, interdum panis appellatur.

*Quintò opponunt* verba illa quæ institutionem Eucharistiæ sequuntur, Hoc facite in meam commemorationem; inde enim arguunt, Christum realiter non esse præsentem in hoc sacramento, cum me-

moria



prodest manducata, quæ manducantibus vitam confert?

*Dicent*, ut caro Christi profit, sufficere si sola fide manducetur: Sed quis ipsos docuit, locum illum de sola manducatione per fidem intelligendum esse? id ex Scriptura probent, si possunt. Non negant Catholici carnem Christi fide sola manducatam, prodesse potuisse, si Christus statuisset, ut solum per fidem sumeretur; sed quia præcipit ut non tantum per fidem, sed etiam realiter ore corporis sumeretur; ideò dicunt, manducationi spirituali adjungendam esse realem qua ipsamet caro Christi realiter ore percipitur; & oppositum hæretici nunquam probare potuerunt.

*Respondeo secundo* ad argumentum carnem Christi non prodesse in Eucharistia, si spectetur sola & nuda, ut à Verbo separata; secus si consideretur ut ei unita, sic enim vivificandi vim habet. Et eodem modo respondere debent hæretici, si quis prædicta verba eis objiciat, ut probet Incarnationem & passionem Christi nihil profuisse: dicent enim carnem Christi non quidem profuisse, ut erat humana præcisè, sed quatenus cum spiritu, & divinitate conjuncta erat.

*Argumentantur* etiam hæretici, contra veritatem corporis Christi in Eucharistia, ex humana ratione. In primisque objiciunt implicare contradictionem, quod idem corpus eodem tempore sit in pluribus locis: quia sequeretur primo idem esse divisum à se ipso; secundo eandem rem esse posse in sexcentis, atque adeò in infinitis locis, & consequenter ubique, quod est proprium Dei; tertio idem corpus simul moveri, & quiescere; cale fieri, & frige fieri; vivere, & mori: quæ omnia & similia repugnantiam involvunt.

*Respondeo*, ex positione rei in duobus locis, nullam oriri contradictionem. *Quare ad primum dupliciter respondeo*, primo ex communi sententia, Petrum Romæ,

DE EUCHARISTIA. CAP. IV. 123

Romæ, & Lutetiæ simul existentem, nõ esse divisum à seipso, nisi extrinsecè, & quoad locum: quia in utroque loco habet eadem principia intrinseca, & essentialia. Porro quando Philosophi dicunt, rem aliquam non posse esse divisam à seipsa, loquuntur de divisione intrinseca, non de extrinseca; sicut etsi doceant de ratione corporis esse, ut sit divisum à quovis alio, hoc non impedit, quominus corpora simul sint per penetrationem, atq; adeò sint indivisa quoad locum: retinent enim distinctas materias, & formas per quas dicuntur divisa quoad substantiam.

*Dico secundo*, præter divisionem illam omnino extrinsecam & localem, quam omnes Catholici agnoscunt, inter Titium duobus in locis positum, à quibusdam aliam admitti intrinsecam, non formalem, sed virtualem. Titius enim duobus in locis positus, virtualiter est duplex homo, quamvis idem sit realiter & formaliter; cum in secundo constituatur per veram & substantialem sui ipsius reproductionem: non autem per adductionem, seu productionem solius ubi distincti à priori, ut infra dicemus, idque omnino independentem à seipso ut existente in alio loco, ut patet ex corpore Christi: quod per novam consecrationem æquè poneretur in uno altari, etsi non esset in ullo alio, aut etiam in cælo.

*Ad secundum respondeo*, ex prædicta quidem positione sequi, rem creatam posse ubique, in hoc mundo constitui non tamen si ubique ponatur, fore immensam sicut Deus: sed tantum habituram immensitatem quandam participatam, ad eum modum quo Angeli sunt immortales per participationem. Accedit quod Deus non dicitur immensus ideò solum, quod cælum & terram occupet: sed quia etiam est in spatiis imaginariis infinitis, & loca infinita realia, quæ tot darentur replere potest, quod de creatura communiter negatur.

*Ad tertium dico*, nullam esse repugnantiam, quòd

homo in uno loco moveatur, in alio quiescat, in uno calefiat, & in alio frigeat, in uno vivat, in alio moriatur, in uno amet, in alio actum odii circa idem objectum eliciat: & ita de aliis mutationibus tam immanentibus, quam transeuntibus, tam internis, quam externis. Et ratio generalis est, quia cum sit virtualiter duplex homo, non repugnat quod ea præstet, quæ duo homines distincti præstare possent, aut quod easdem mutationes subeat.

*Secundò hæretici objiciunt, etsi possibile esset Christum realiter esse præsentem in Eucharistia, id tamen de facto minimè concedi debere, eò quod talis existendi modus supremam illius majestatem maximè dedeceret: sequeretur enim illum dentibus teri, in ventrem, & in secessum abire, à muribus corrodi, in terram cadere, & similia quæ indignissima sunt.*

*Respondeo, si hoc argumentum aliquod haberet robur, neganda fore plurima fidei nostræ mysteria. Nam si indignum est majestate divina occultari sub speciebus panis & vini: indignum etiam erat tanta majestate in utero Virginis per novem menses delitescere, pannis involvi, pauperum ducere vitam, &c. Item si indignum est, quod species panis & vini, sub quibus existit Christus à bestiis possint corrodi, aut comburi, nonne indignius est quod ipsemet Christus, dum erat in hoc vitæ statu, innumera tormenta in propria specie pertulerit, a lapis & flagellis cæsus fuerit, & tandem inter duos latrones cruci affixus?*

*Discant hæretici ex Paulo 1. Cor. 1. Mysterium crucis Judæis esse scandalum. Gentibus stultitiam: ipsis autem electis Dei virtutem, & Dei sapientiam. Tormenta quidem pro nobis pertulit Christus, divinitas vulnerari, aut lædi non potuit, quin potius illius virtus, & sapientia mirum in modum in passione eluxit. Sic res habet in Sacramento altaris, etsi species in lutum projiciantur, aut à muribus corrodamur, non propterea*

propterea læditur Christus, etiam qua homo, quia est immortalis, & impassibilis. Neque hic aliquid indignum Deo contingit: quin imò sicut in hujus Sacramenti institutione, summa Christi potentia, summa sapientia, & summus amor elucescunt: ita illius humilitas & patientia in eo commendantur, quòd ab inimicis se sumi, & interdum conculcari patitur.

*Tertiò obijciunt*, ex reali Christi præsentia in hoc sacramento, nullam nos percipere utilitatem, quæ per nuda signa, & fidem ad nos manare non possit: & consequenter ejusmodi præsentiam esse prorsus inutilem, & nullatenus admittendam.

*Respondeo primò*, hoc argumentum retorqueri posse. Nam si ideò superflua est præsentia Christi, quia salutem possumus consequi per nuda signa, & fidem: dicendum est etiam signa, & fidem esse res supervacaneas, cum sine illis possit Deus absolute nobis gratiam, & salutem conferre. Item dici poterit. Incarnationem fuisse inutilem, & simul tot labores à Christo exantlatos: quia poterat Deus nos salvare, etsi homo non fieret, aut homo factus, minima lachrymula, & quantumvis exiguo opere bono, peccatorum remissionem nobis obtinere.

*Respondeo secundo*, ex reali præsentia Christi nos multo majorem percipere fructum, quàm si nuda signa adessent. Primò enim exercetur fides, in consideratione hujus mysterii; quod tum propter varia miracula quæ continet, tum quia sensibus maximè repugnat, non parum creditu difficile est. Roboratur etiam spes, quia dum consideramus Christum realiter nobis uniri, non parum movemur ad sperandam unionem beatificam, cujus Eucharistia est pignus. Accenditur prætereà amor in Christum, quia in hujus sacramenti institutione, divitias sui erga nos amoris veluti effudit, ut docet Trident. *sess. 13. cap. 2.* Denique ex contemplatione hujus mysterii, non exigua motiva patientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum eruere possumus, & illas eò faciliùs



comparare, quò gratia in hoc sacramento collata est intensior, quam si Christus realiter non adesset. Plures adversariorum objectiones hic afferri potuissent, sed quia ad alias difficultates infra explicandas pertinent iis supersedemus.

RESOLUTIO II. *Potest idem corpus virtute divina simul poni in diversis locis circumscriptivè.* ] PROBATUR 1. quia certum est ex fide, corpus Christi in coelo existens modo quantitativo & extenso, simul existere in Sacramento Eucharistiæ, modo spirituali, & indivisibili. Ergo non repugnat quod idem corpus simul sit in duobus locis extensivè, & modo quantitativo: siquidem corpori quantitativo & extenso magis repugnat, poni in loco, modo inextenso & indivisibili, quàm modo extenso & divisibili, cum posterior existendi modus sit magis connaturalis, & proportionatus corpori quàm prior, ut per se notum videtur.

*Probat 2.* Quia non minus repugnat, quod duo corpora simul sint in eodem loco, per mutuam penetrationem, quam quod idem corpus sit in duobus locis extensivè: prius autem fieri potest divinitus, ut fides docet contigisse in Nativitate, & Resurrectione Christi: ergo posterius divinæ potentia denegandum non est. Major suadetur, quia si est repugnantia, quod idem corpus simul sit in duobus locis, idè est, quia sequeretur idem esse divisum à seipso, & non esse adæquationem inter locum & locatum, eò quòd corpus locatum excederet locum sibi proportionatum & adæquatum: at similiter expositione duorum corporum in eodem loco, sequeretur rem aliquam non esse divisam à quavis alia, quod non minus repugnat, quam quod sit divisa à seipsa. Item non esse proportionem inter locum & locatum, quia idem locus concluderet duo corpora, quorum singula tantumdem loci occupare possent.

*Dices 1.* Si corpus poneretur circumscriptivè in duobus

duobus locis, sequeretur hæc duo contradictoria simul esse vera hoc corpus est comprehensum ab isto loco, quia ab illo continetur & circumscribitur: hoc corpus non est comprehensum ab isto loco, quia totum est extra illum. Verum hoc argumentum in primis retorqueri potest contra suum authorem: nam si corpus, quod est extensivè in loco, ita ab eo comprehendi debet, ut nihil illius sit extra talem locum, cum Christi corpus sit in cælo extensivè, quomodo potest esse realiter secundum se totum in sacramento? Nonne posita illa duplici præsentia, sequeretur idem corpus à loco comprehendi, & non comprehendi?

Secundo igitur dicendum est, prædicta contradictoria non sequi: nam cum locus ambiat omnes partes corporis locati, ita ut nulla sit quæ in eo non contineatur, ex eo capite verum est, hoc corpus esse comprehensum ab isto loco. Licet autem idem corpus ponatur in alio loco, id non sufficit, ut dicatur illud non comprehendi à priori loco. Quare in eo casu potius dicendum est, idem corpus comprehendi à duobus locis, quam comprehendi, & non comprehendi à quolibet ex illis.

*Dices 2.* Si idem corpus poneretur circumscriptivè in duobus locis, haberet extensionem in ordine ad locum, & non in ordine ad se; adeoque haberet secundarium effectum quantitatis sine primario, quod repugnat. Respondeo in hac objectione gratis falsum supponi; quando enim corpus in uno loco existens, ponitur in alio, ut fit in Eucharistia, in hoc secundo loco ponitur totum, cum sua quantitate, adeoque cum extensione in ordine ad se; unde si corpori Christi existenti in Eucharistia, daretur extensio ad locum, ibi non esset effectus secundarius quantitatis, sine primario. Quod si dicas, in utroque loco esse eandem quantitatem, & extensionem in ordine ad se, hinc non colliges effectum secundarium quantitatis, sine primario reperiri; sed ut summum cum uno

effectu primario, duos secundarios reperiri, qua in re nulla est repugnantia: præsertim cum quantitas corporis in uno loco existens, distinguatur virtualiter à seipsa ut existente in alio.

RESOLUTIO III. *Vera aliqua actio versatur circa corpus Christi, ut est in Eucharistia, qua quidem non est mera illius adductio, terminata ad illud ubi, quod Christus habet in sacramento, sed vera & realis corpus Christi productio.* ] PRIMA PARS PROBATUR, tum quia Patres vulgo docent, Sacerdotem conficere corpus Christi, substantiam panis in corpus Christi converti, & similia quæ commodè explicari nequeunt, nisi actio aliqua circa corpus Christi versetur. Tum quia ubi est novus & realis effectus, ibi est nova & realis actio: at quod Christus sit reipsa sub accidentibus panis, sub quibus antea non erat, hoc est novus effectus: ergo ibi nova actio circa corpus Christi intercedere debet.

*Secunda pars ostenditur*, tum quia de fide est in Eucharistia intervenire veram conversionem substantialem, quam transubstantiationem appellant. panis in corpus Christi; at transubstantiatio non potest terminari ad ubi, quod est accidens; sed potius transaccidentatio, ut ita loquar. Tum quia cum ubi nihil aliud sit, quàm conjunctio inter locum & locatum, sicut impossibile est quod anima in cælo existens, corpori in terris posito substantialiter uniatur, per solam productionem unionis; ita repugnat quod Christus in cælo existens, realiter & substantialiter constituatur in Eucharistia, per solam productionem ubi. Tum quia sequeretur creaturam aliquam existere, quæ non sit producta: ut si verbi causa, Deus corpus Christi ut in cælo existens, destrueret, & conservaret ut existens in Eucharistia: cum enim ibi supponatur positum per productionem solius ubi, per continuationem ejusdem actionis, ibi conservari posset.

*Tertia pars ex præcedentibus colligitur: nam cum*  
corpus

corpus Christi ponatur in sacramento, per veram actionem realem, eaque non sit mera adductio, consequens est ut sit vera, & realis corporis Christi productio. Confirmatur, tum quia in Eucharistia intervenit vera conversio substantialis: in omni autem conversione substantiali, terminus ad quem verè producitur; tum quia ut terminus ad quem respondeat termino à quo, sicut in hac conversione; panis desinit esse quoad substantiam: ita corpus Christi debet ibi incipere quoad esse substantiale, adeoque per veram & realem productionem. Tum quia Patres probant mutationem vini in sanguinem Christi, ex mutatione aquæ in vinum facta in Cana Galileæ; Deumque posse solo verbo, ex pane corpus suum efficere, quia solo verbo fecit cœlum, & terram. Hac autem exempla continent mutationem substantialem, ex parte termini ad quem.

*Dices 1.* Ea tantum admittenda est conversio in Eucharistia, quæ sufficit ad ruendam veritatem verborum consecrationis: at verba consecrationis vera erunt, etsi corpus Christi ponatur in sacramento per solam adductionem. *Respondes 1.* hanc objectionem gratis supponere, fieri posse, ut Christus in cœlo existens, & ad altare non descendens, ponatur in illo realiter & substantialiter, per solam productionem, ubi 2. modus ille, dato quòd esset possibilis, non sufficeret ad defendendam conversionem substantialem quæ fit in Eucharistia, quamque verba ipsa significant, & efficiunt.

*Dices 2.* Ex nostra sententia sequi, Christum secundum esse substantiale incipere esse, & secundum illud desinere, quod absurdum videtur. Confirmatur, nã si inciperet esse in Eucharistia crearetur: at hoc non, cum præexistat in cœlo. *Respondes* absurdum quidem esse asserere, quòd Christus incipiat, & desinat esse absolutè, seu secundum esse quod habet sive in cœlo, sive in terra: non tamen quòd desinat, & incipiat esse secundum illud esse quod habet

in Sacramento. Ad confirmationem dicimus, ex eo quòd Christus existat in cœlo non sequi, quòd non creetur in Eucharistia; sed tantum quòd ea non sit prima illius creatio. Quia tamen communiter quòd creatur, non supponitur existens, positio corporis Christi, in Eucharistia, non tam productio aut creatio: quàm reproductio, aut replicatio appellari solet.

**RESOLUTIO IV.** *Interpositionem Christi in hoc sacramento, & desitionem panis, est connexio aliqua ita scilicet ut illa sit causa istius, non physica, sed moralis.]*

**PRIMA PARS PROBATUR**, tum quia Patres, ex præsentia corporis Christi, colligere solent absentiam panis; quod signum est, positionem illius esse quodammodo causam desitionis istius: seu substantiam panis expelli, eò quòd Christi corpus in sacramento constituitur. Tum quia in Eucharistia reperitur vera, & substantialis conversio panis in corpus Christi: at in omni vera conversione positio termini, ad quem, est causa desitionis termini à quo.

*Secunda pars suadetur*: nam si positio corporis Christi habet connexionem physicam, cum desitione substantiæ panis: vel eam habet, quatenus substantia panis destruitur eadem actione physica, qua corpus Christi ponitur in sacramento; vel quatenus substantia panis desinit esse, eò ipso quòd corpus Christi tribuit accidentibus panis modum per se existendi. At neutrum dici potest: Non primum, quia cum corpus Christi sit indivisibiliter in Eucharistia, nullam habet repugnantiam physicam cum quantitate panis, & multò minùs cum illius substantia: quare actio qua corpus Christi in hoc sacramento constituitur, non est destructiva substantiæ panis.

Non etiam secundum, tum quia supponitur, accidentia panis post separationem, habere positivum existendi modum, formaliter repugnantem inhaerentiæ,

DE EUCHARISTIA. CAP. IV. 131

rentiæ, de quo infra *cap. 6.* Tum quia ex eo quod accidentia separentur à substantia, non debet colligi ipsam substantiam desinere esse; imò potius dicendū videtur, destructionem substantiæ esse causam quod accidentia sint separata. Tum quia difficile creditu est, substantiam ab accidentibus separatam, ne quidem per momentum posse existere cum non tam dependeat substantia ab accidentibus, quàm accidentia à substantia. Tum quia gratis dicitur, Christi corpus de facto elevari ad dandam perfectam accidentibus panis, sive talis elevatio sit possibilis, sive non.

*Dices*, modum illum per se existendi, produci in accidentibus à Deo immediatè, Sed contra, nam sic destructio substantiæ panis non responderet positioni corporis Christi, sed perfectati accidentium, quod certè alienum videtur à ratione conversionis substantialis, quam omnes in hoc mysterio agnoscunt: sic enim dicendum est, ideò substantiam panis destrui, quia corpus Christi ponitur in sacramento; non autem quia accidentia ipsius panis per se existunt.

*Tertia pars* ex præcedentibus colligitur: nam cum assignanda sit quædam connexio, inter desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem; neque ea possit esse physica, consequens est moralem sufficere. Quæ in eo posita est, ut quamvis corpus Christi, ut est in sacramento, ex natura rei substantiã panis non expellat, tamen ex pacto divino, posito corpore Christi tali modo, seu per verba consecrationis, non minùs certò panis substantia destruitur, Deo concursum suum illi denegante, quàm si inter illa esset oppositio physica. Eò quod verba consecrationis vera esse nequeunt, nisi substantia panis destruat, ut liquet ex supradictis.

*Neque refert*, quod non fiant conversiones naturales, nisi inter terminos formaliter repugnantes: hoc enim oritur ex conditione agentium naturalium,

quæ non possunt unam formam destruere, nisi in idem subjectum aliam ipsi in physicè repugnantem invehant. Quòd si agens aliquod naturale producendo, verbi causa, albedinem in pariete, ab eo necessario frigus expelleret, certè non immeritò paries, ex frigido albus fieri diceretur; esto inter frigus, & albedinem non sit repugnantia formalis. Ita ergo dici potest, ex pane fieri corpus Christi, seu panem converti in corpus Christi, etsi inter corpus Christi, ut est in altari, & substantiam panis formalis oppositio physica non intercedat, sed tantum moralis, modo explicato.

## CAPUT V.

*De modo quo Christus est in Eucharistia.*

**R**ESOLUTIO I. *Inter corpus Christi, & species necessaria est unio aliqua, non quidem physica, sed moralis.* ] PRIMA PARS negari non potest: nam Eucharistia in facto esse, est unum sacramentum constans intrinsecè ex corpore Christi, & speciebus: unum autem esse non posset, nisi inter corpus Christi, & species, esset unio aliqua sive physica, sive moralis.

*Secunda pars ostenditur, nam Eucharistia, ut est sacramentum, non exigit unionem physicam: cum in aliis sacramentis non sit talis unio, inter materiam & formam. At neque ut est hoc speciale sacramentum, constans corpore Christi, & speciebus, quia tamdiu durat ejusmodi Sacramentum, quamdiu species Christum præsentem significant: ut autem illum hoc modo significant, non opus est ut sit aliqua unio physica propriè dicta, inter corpus Christi & species, sive formalis, qualis est inter materiam & formam, sive effectiva, cujusmodi reperitur inter magnetem, & ferrum ab eo attractum; sed sufficit quod ex pacto divino, corpus Christi contineatur realiter sub speciebus, easque intimè pervadat, adeoque inter illa sit unio*

fit unio tantum moralis : si enim species tam certo Christum præsentem significant , ac si inter hunc , & illas unio physica strictè sumpta intercederet.

*Dices 1.* Qui movet species, dicitur Christum sub iis latentem per accidens movere, ut infra probabitur : at hoc non potest intelligi, nisi ponatur unio quadam physica inter corpus Christi, & species. *Respondeo* ad hoc non requiri talem unionem, sed sufficere realem conjunctionem, similem illi quæ est inter continens, & contentum, qualis inter Christum, & species admittenda est.

*Dices 2.* Corpus Christi supplet vicem panis, seclusa inhærentia, adeoque sine unione formali, ergo per unionem aliam, nempe effectivam. *Non sequitur*, corpus enim Christi supplet vicem panis, quatenus intimè conjunctum est speciebus, omnesque earum partes pervadit, quòd antea ipsa panis substantia præstabat, licet non eodem modo.

*Dices 3.* Corruptis speciebus panis, corpus Christi definit esse in Eucharistia, quia deperditur unio physica, qua corpus Christi à speciebus illis conservabatur. *Verùm* ea non est causa desitionis Christi in Eucharistia, sed subtractio concursus divini, modo infra dicendo.

RESOLUTIO II. *Totus Christus est sub singulis partibus specierum, post earum divisionem, & etiam ante divisionem; Imò sub singulis earum punctis, si dantur.* ] PRIMA PARS est de fide, ut patet ex Concil. Trident. *sess. 3. can. 3.* Ratio verò est, quia quando hostia consecrata dividitur, Christus manet in partibus divisis, aliàs Sacerdos non sumeret Christi corpus, quod dici nequaquam potest: Jam verò cum aliqua verisimilitudine affirmari nequit, unam tantum partem Christi esse sub una parte speciei, aliam sub alia; tum quia cum tota hostia æqualiter sit consecrata, nulla est ratio cur caput Christi sit potius sub una illius parte, quam pedes, aut vice versa; tum quia cum



corpus Christi sit immortale, per divisionem specierum nullo pacto in partes secari potest: sequitur ergo totum Christum esse sub singulis partibus specierum, post divisionem.

*Secunda pars ostenditur*, tum ex Concil. Trident. *sess. citata cap. 3.* ubi statuitur tanquam verissimum, totum & integrum Christum esse sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte; quæ verba cum sint generalia, intelligi debent de partibus specierum, etiam non divisis.

Tum quia, si totus Christus est in singulis partibus divisis, ergo & totus est in illis, ante divisionem: cum per divisionem specierum non mutetur consecratio, nec per eam fieri possit, ut corpus Christi sit totum, ubi antea solum erat secundum partem. *Confirmatur*, nam post consecrationem Christus est in tota hostia, & consequenter in singulis partibus illius, etiam antequam dividantur: at non est in illis per partes: cum non sit in hoc sacramento modo quantitativo, sed indivisibiliter, ad modum rerum spiritualium: Ergo est in illis totus, etiam ante divisionem: & oppositum sine errore affirmari nequit.

*Tertia pars ostenditur*; nam Christus per totam quantitatem panis æquabiliter, & sine ulla interruptione diffunditur: ergo cum sub illa sit modo indivisibili, non tantum est totus sub partibus quantitatis, sed etiam sub punctis illius, si verum est talia puncta dari, & esse aliquid reale & positivum, non autem meram negationem. *Confirmatur*, nam Christus est in sacramento, per conversionem totius substantiæ panis in ipsum, adeoque, sicut substantia panis occupabat omnes partes quantitatis, & & indivisibilia illius, ita Christus sub iisdem constituitur.

Contra jam dicta *Catholici objiciunt*, si Christus est totus sub singulis partibus, & punctis hostiæ consecratæ, hinc sequi Christum esse infinities in sacramento, atque adeo dari infinitum actu. Respondent aliqui

aliqui non sequi, quia dici potest, in continuo dari partes minimas, naturali virtute indivisibiles, & corpus Christi esse tantum semel in qualibet earum, adeoque cum illæ sint numero finitæ, replicationes Christi in sacramento, non esse quoad numerum infinitas.

Verum in hac responsione illud durum videtur, quod si Deus totam hostiam secaret in illas omnes partes minimas, quarum singulæ unicam tantum Christi replicationem continere dicuntur, hasque singulas partes divideret in duas medietates, corpus Christi non amplius esset sub ulla parte hostiæ quæ consecrata fuerat, etsi omnes essent superstites.

Quare alii dicunt, Christum esse in unica hostia tantum semel actu, secundum unam præsentiam realem, & continuam quæ æqualiter diffunditur per omnes partes hostiæ consecratæ; adeoque ex positione Christi sub singulis partibus, & indivisibilibus specierum, non sequi dari infinitum actu, sed tantum virtute; quatenus ad divisionem specierum, multiplex Christi præsentia resultare potest.

Si dicas, non posse intelligi, quod præsentia Christi sit duplex post divisionem, cum antea esset tantum unica, nisi immutatio aliqua in ipsa Christi præsentia facta fuerit. *Respondeo* absurdum non esse, admittere mutationem aliquam in terminis præsentia Christi, cum omnes teneantur eam concedere in rarefactione, & condensatione specierum: tunc enim Christi præsentia aliquo modo extenditur & contrahitur, adeoque aliter se habet quam antea.

Contra eandem resolutionem *objiciunt heretici*, impossibile esse quod corpus Christi, cum tota quantitate quam habet in cœlo, possit constitui in parvula hostia, nedum in minimis illius particulis, aut punctis, eo quod de essentia quantitatis est, habere partes extra partes. *Confirmatur*, quia non potest  
Deus

Deus efficere, ut spiritus locum occupet; ergo neque ut corpus locum non occupet, & sit in puncto.

*Verum* quod illud non sit impossibile, spectata Dei omnipotentia, facile ex principiis fidei ostendi potest. Duo enim corpora possunt esse simul in eodem loco, ut pater ex Nativitate, & Resurrectione Christi. Unde sequitur, fieri posse ut duae partes ejusdem corporis eundem locum occupent: hoc autem non minus operosum est, quam efficere ut totum Christi corpus sub qualibet hostiae parte existat. Deinde si Deus potest efficere, ut camelus intret per foramen acus, ex *cap. 19. Matth.* quidni efficere poterit, ut totus Christus sit in qualibet particula speciei consecratae: *Neque obstat* ratio allata: nam habere actu extensionem ad locum, non est essentia quantitatis; sed quaedam illius proprietas, quae divinitus ab ea amoveri potest. Unde neganda est consequentia quia etsi possit Deus efficere, ut essentia sit sine aliqua sua proprietate, non tamen ut proprietas sit sine essentia.

RESOLUTIO III. *Potest sacerdos localiter movere corpus Christi per accidens, ad motum specierum; non autem per se, seu sine ordine ad species.* ]RIOR PARS negari non potest, cum Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 5.* doceat. Venerabile hoc sacramentum in processionibus per vias, & loca publica circumferri, & *can. 8.* nos sumendo hoc sacramentum, corpus Christi realiter manducare: ad manducandum autem requiritur trajectio in stomachum, atque adeo motus localis.

*Posterior pars ostenditur*, quia duobus tantum modis possumus rem aliquam per se localiter movere; vel eam tangendo, sive mediatè, ut cum baculo movemus lapidem, sive immediatè, ut cum lapidem manu apprehensum projicimus; vel ei qualitatem aliquam imprimendo, qua ratione magnes trahit ad se ferrum. Neutro autem ex his modis possumus nos, Christum in sacramento existentem localiter

caliter movere, sine dependentia à speciebus; quia cum existat indivisibiliter, neque illum tangere, neque ei qualitatem aliquam imprimere possumus.

*Quæres*, à quo possit Christus, ut in sacramento existens, per se localiter moveri. *Respondeo 1.* dubium non esse, quin sic possit moveri à Deo; quia cum sit potentia infinita, nil vetat quin relictis speciebus in alteri, possit corpus Christi in cœlum transferre.

*Respondeo 2.* Probabile esse, posse sic moveri etiam ab Angelo, eò quòd corpora naturalia obediunt Angelis ad nutum, quoad motum localem, ut communiter dici solet in tract. de Angelis. Nec refert quòd corpus Christi existat modo indivisibili: nam etiam anima rationalis eo modo existit, quam tamen Angelus virtute propria movere potest. Quòd si dicas, eum modum existendi esse naturalem animæ, non corpori; contra arguo, hinc sequi 1. Angelum non posse movere humanitatem Christi, in cœlo existentem; quia cum à Verbo sustentetur, non existit modo naturali 2. Neque posse Angelum movere duo corpora extensa, se mutuo penetrantia; vel unum & idem corpus, si divinitus magis extendatur, aut contrahatur, quàm illius constitutio naturalis postulet: hæc autem & similia non videntur admit-tenda.

*Respondeo 3.* Christum, ut in sacramento existentem, non posse seipsum movere localiter motu progressivo, quia talis motus fieri non potest, nisi una pars corporis sit ante aliam, & consequenter diversum locum occupet, ut experientia ostendit in motu progressivo animalium. Quare cum Christus in hoc sacramento non sit extensus in ordine ad locum, seipsum hoc modo movere non potest.

*Respondeo 4.* Christum posse, ut est in hoc sacramento seipsum movere motu simplici. Nam ex communi Theologorum sententia, beati in corporibus assumptis,

assumptis,

assumptis, possunt seipsos movere motu illo simplici; ergo cum Christus, ut in Eucharistia existens, sit beatus, & habeat corpus gloriosum, eodem modo seipsum movere potest. Sequela patet, quia in motu simplici beatorum omnino per accidens est, quod una pars corporis sit ante aliam, & diversum locum occupet.

*Addo*, valde probabile videri, spectatis solis viribus naturæ, posse Christum seipsum in sacramento movere, modo prædicto: nam cum ex una parte, anima Christi habeat vim naturalem, ad movendum seipsam: ex alia verò, corpus Christi existens in loco indivisibiliter, nullo modo motui resistat; incredibile fere est, non posse animam illam per simplicem impulsum corpus trahere, & movere quocunque voluerit.

RESOLUTIO IV. *Corpus Christi, ut est in Eucharistia, ab agentibus creatis naturaliter alterari non potest.* ] PROBATUR, duabus rationibus, quarum altera procedit tantum de agentibus corporeis, altera de omnibus agentibus naturalibus, sive corporea sint, sive spiritualia.

*Prior ratio est*, ut agentia corporea propriis viribus subjectum aliquod immutent physicè, per impressionem alicujus qualitatis, debent ei conjungi, non tantum quoad locum, sed etiam aliquo modo quantum ad contactum: non possunt autem ei per contactum aptari, nisi illud sit extensum in ordine ad locum. Unde cum Christus non existat divisibiliter in sacramento, ab agentibus naturalibus alterari non potest.

*Posterior ratio*, quicquid recipitur ad modum recipientis recipitur, ut tritum est apud Philosophos: at qualitas quæ est terminus alterationis, recipitur in subjecto quod alteratur; ergo si ejusmodi qualitas recipitur in corpore Christi, ea debet se habere modo indivisibili, quod virtute agentium naturalium fieri non potest.

Hæc

Hæc autem intelligenda sunt, ut neque corpus Christi possit alterari per se, ut est in sacramento, neque per accidens, alteratis speciebus; quia etiam ut hoc posteriori modo alteraretur, deberet in se qualitatem alteratricem recipere, sicut in se motum localem recipit, etsi tantum moveatur per accidens, ad motum specierum.

Ex quibus breviter collige 1. Christum ut est in sacramento non posse accrescere, vel decrescere; quia hæc non fiunt nisi prævia alteratione. Adde quod, cum manducare pœqueat, ea etiam ex parte nutriri non potest, neque augeri. 2. Non posse corrumpi vi agentium naturalium, quia corruptio supponit alterationem. 3. Unam partem corporis Christi non posse agere in aliam, cerebrum verbi causa, in cor, aut vice versa, quia partes illæ existunt indivisibiliter, & consequenter mutuo alterari non possunt.

RESOLUTIO IV. *Christus in Eucharistia existens, non potest naturaliter videri oculo corporeo: probabile tamen est posse supernaturaliter.* ] PRIOR PARS PROBATUR, quia illud non potest naturaliter videri, cui deest conditio naturaliter requisita ut videatur; atqui conditio naturaliter necessaria ut res videri possit, est ut illa immittat species intentionales in oculum: ad quod requiritur, ut sit extensa in loco. Quare cum Christus in Eucharistia existat indivisibiliter consequens est illum non posse naturaliter videri, oculo corporeo.

*Posterior pars ostenditur*, quia ex una parte, corpus Christi in sacramento existens, est coloratum, imo luminosum, ratione beatitudinis: aliunde verò Deus potest supernaturaliter supplere defectum extensionis, in eo naturaliter requisita ad visionem: quia potest sine illa producere species in oculo, vel etiam efficere ut oculus videat sine speciebus. Quare etsi corpus Christi existat in sacramento indivisibiliter, poterit Deus efficere ut ab oculo corporeo videatur.

*Dices,*

*Dices*, nulla facultas ferri potest extra latitudinem sui objecti adequati, atqui modus quo Christus est in Eucharistia, cum sit indivisibilis, & inextensus ad modum rerum spiritualium, est extra latitudinem objecti visus, qui est potentia corporea, & extensa: ergo oculus corporeus Christum sub tali modo existentem, videre nequit. *Responderi* potest hinc ad summum sequi, non posse Christum ita videri, ut simul distinctè videatur modus ille sub quo existit, non tamen, cum non posse videri, etsi modus ille non videatur: quia ut res aliqua videatur, non opus est ut simul videatur omnis modus sub quo existit. Accedit quòd probabiliter modus ille nihil est aliud, quam privatio extensionis in loco, quæ sufficenter videretur, quatenus oculus directè Christum videns, non adverteret eum esse extensum quoad locum. Fateor tamen sententiam oppositam, non carere probabilitate.

RESOLUTIO VI. *Christus ut in sacramento existens, non potest naturaliter alterare res externas, vel operationes sensuum elicere: potest tamen intelligere per scientiam beatificam, & infusam.* ]PRIMA PARS PROBATUR. tum quia si naturaliter necessaria est extensio in corpore, ad effundendas species, multò magis videtur requiri ad producendum calorem, vel frigus, tum quia sic posset tactu naturaliter deprehendi; num aliqua hostia sit consecrata, nec ne, nisi Deus miraculosè id impediret: absurdum autem videtur, hac in re perpetuum confingere miraculum.

*Dices*, virtus unita fortior est seipsa dispersa: quare ex eo quòd Christus indivisibiliter in Eucharistia existit, virtus agendi in res externas quam habet, juvatur, & roboratur, tantum abest ut debilitetur, & impediatur. *Respondeo* antecedens verum esse per se loquendo, & si cætera sint paria: at in casu proposito non omnia sunt paria, cum corpus indivisibiliter existens careat extensione ad locum, quæ est condi-

tio ad naturaliter agendum in res externas, necessario requisita. Alias æquè concludetur, posse gigantem operationes suas naturales perfectius exercere, si ad pigmam parvitatem reducat, quàm si in statu suo connaturali conservetur. Dico ad naturaliter agendum, quia probabile est supernaturaliter, illius conditionis defectum suppleri posse.

*Secunda pars ostenditur*, tum quia sensus sunt potentia quædam organica & materiales, quæ naturaliter operari non possunt, aut proprios actus in se recipere, sine aliqua extensione ad locum: tum quia sensus naturaliter non operantur nisi recipiendo species ab objectis externis: Christus autem ut in Sacramento existit, non potest recipere novas rerum species, per sensus externos; quia illæ deberent recipi, & existere modo indivisibili in corpore Christi, quod naturaliter fieri nequit.

*Dico naturaliter*, nam agendo de potentia extraordinaria, negandum non videtur quin possit Christus, in Eucharistia exercere operationes sensuum, quia potest Deus efficere ut species intentionales in illo recipiantur, modo indivisibili, aut etiam ejusmodi specierum defectum omnino supplere.

*Tertia pars suadetur*, quia cum actus intellectus, qui procedunt à scientia beatifica, vel infusa, sint ex se spirituales, & fiant sine dependentia à phantasmatibus; nulla ratio est cur Christus in Sacramento existens, ejusmodi actus naturaliter exercere non possit. Quod similiter dicendum est de operationibus voluntatis, quæ sequuntur scientiam beatificam, vel infusam.

RESOLUTIO VII. *Christus desinit esse in Sacramento, quatenus Deus retrahit concursum, quo illius substantiam, conservabat.*] **PROBATUR**, ex supradictis: nam desinitio respondet inceptioni; quare cum Christus, ex nostra sententia, incipiat esse in Sacramento, per veram suæ substantiæ reproductionem, necesse est ut in eo desinat, per desitionem suæ substantiæ; adeoque



adeoque per subtractionem concursus divini, quo illa sub speciebus conservabatur.

*Confirmatur*, nam vel Christus desinit esse in hoc sacramento, per solam denominationem extrinsecam, ad specierum corruptionem, vel per solam amissionem praesentiae sacramentalis, vel certe per desitionem suae substantiae, ut in sacramento reproducta: at primum dici non potest, quia sicut corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento, sine aliqua sui mutatione, ut supra ostensum est; ita non desinit esse in illo, quin in se aliquo modo mutetur. Nec secundum, quia si corruptis speciebus, corpus Christi non desinit esse, nisi secundum praesentiam quam habebat sub illis, oportet ut ipsa substantia Christi, quatenus sub speciebus existebat adhuc alicubi existat cum nova praesentia. Quod cum falsum sit, sequitur tertium verum esse, nempe Christum desinere esse in sacramento, non modo secundum praesentiam sacramentalem; sed etiam secundum substantiam suam, quatenus verè sub speciebus reproducta fuerit.

*Dices 1.* Sicut Deus desinit esse in creatura aliqua corruptibili, quatenus illa desinit esse: cur non eodem modo dicemus, Christum desinere esse in Eucharistia per hoc, quod species sacramentales esse desinunt? *Respondeo*, causam discriminis esse, quia etsi creatura desinat esse, Deus tamen in eodem loco esse non desinit: at corruptis speciebus Christus non amplius manet secundum illam replicationem substantialem, quam habebat in sacramento.

*Dices 2.* Si ut Christus desinat esse in sacramento, non sufficit denominatio extrinseca, sufficiet saltem mutatio localis privativa, per quam amittat praesentiam sacramentalem, ut intelligi potest exemplo Angeli, qui occupans duas aulas potest unam deferre, in alia manens immotus. *Verum* hoc exemplum non est ad rem, quia cum Angelus non incipiat esse in secundo cubiculo, nisi per acquisitionem praesentiae;

mirum

mirum non est, quòd in eo desinat esse nihil deperdendo, præter ejusmodi præsentiam. At Christus positus fuit in sacramento, per veram sui reproductionem, ut supra ostensum est: quare non potest in eo desinere, per solam amissionem præsentia; sed necesse est ut desinat ibi esse secundum suam substantiam, aut certè ut novam habeat præsentiam, respondentem replicationi quam habebat sub speciebus.

## CAPUT VI.

*De speciebus sacramentalibus.*

**R**ESOLUTIO I. *Accidenti panis, & vini remanent in hoc sacramento post consecrationem, idque sine subjecto.* ] PRIMA PARS PROBATUR, tum experimento sensuum, qui nullam in iis mutationem advertunt: tum ex Concilio Trident. *sess. 13. can. 2.* ubi statuitur, in Eucharistia remanere duntaxat species panis; quod sine dubio de iisdem numero intelligendum est, quia si essent aliæ, ea non dicerentur remanere, cum prius non fuerint: tum denique ex consensu sanctorum Patrum, & Theologorum omnium qui constanter asserunt, corpus Christi esse sub iisdem accidentibus, sub quibus erat substantia panis.

*Quæres an pars ista sit de fide, intellecta de omnibus accidentibus, à substantia panis, & vini realiter distinctis. Respondeo in hac re duos esse dicendi modos. Nonnulli existimant certum esse ex fide, ea accidentia quæ sensu percipiuntur remanere; alia vero si quæ sunt, quæ in sensum non cadant, manere quidem cum reliquis, id tamen in Conciliis non esse definitum.*

Alij dicunt utrūque esse de fide, quod videtur probabilius: nam cum Concilia definiant accidentia manere, neque doceant de quibus intelligi debeat eorū definitio, planum est eam universaliter de omnibus intelligendam. Alias distinctionem aliquam inter illa apposuissent, ne daretur occasio errandi. Eò vel maximè, quòd cum ex probabiliori sententia;

tam

tam hæc quam illa proximè inhæreant quantitati panis, non viderur potior ratio cur unum desinat, quàm aliud.

*Secunda pars* est etiam de fide, propter authoritatem Concilii Constantiensis *sess. 8.* ubi damnatur propositio illa Vvicleffi. Accidentia panis non manent sine subjecto, in eodem sacramento.

Apertè verò *probatur* ex præcedenti, suppositis iis quæ fides docet de absentia panis. Nam si eadem numero accidentia perseverant, cum sub illis non sit amplius substantia panis, planè sequitur ea esse sine subjecto. Sequela patet. non enim sunt in eodem subjecto in quo antea erant; neque etiam in corpore Christi de novo accedente: tum quia corpus humanum ut sic, non est capax ejusmodi accidentium, tum quia cum Christus existat indivisibiliter ad locum, accidentia quæ extensionem habent in ordine ad locum, sustentare non potest. Quid, quod talis sustentatio fieri non potest sine alteratione aliqua, cujus Christus non est capax; cum sit gloriosus, & impassibilis. Nullum ergo est subjectum, in quo panis accidentia sustententur.

Porro hic *observa*, posteriorem hanc partem intelligendam esse de subjecto substantiali, ut sensus sit, accidentia panis post consecrationem nulli inesse substantiæ. Quod tamen non impedit, quominus quantitas panis, quæ ex probabiliore sententia Philosophorum, realiter distinguitur à substantia panis, atque adeò post consecrationem remanet, sit subjectum aliorum accidentium, ut docet S. Thomas *q. 77. art. 2.* Ea enim quoad modum existendi non mutantur; & sicut ante consecrationem quantitati immediatè inhærebant, ita & post illam eidem conjuncta manent.

RESOLUTIO II. *Non est admittendus modus aliquis positivus, quo accidentia separata per se existant, more substantiæ.* ] PROBATUR 1. quia non sunt multiplicanda miracula sine necessitate: at nulla est necessitas

DE EUCHARISTIA. CAP. VI. 145

tas admittendi talem modum, qui nō posset sine miraculo competere accidentibus: cur enim non poterit Deus, per specialem influxum conservare accidentia separata à subjecto, etsi nullum modum positivum per se existendi illis tribuat? Sanè nulla ratio ostendit, absolute teneri Deum conferre accidentibus talem quendam modum, ex hypothesi quod illa sine subjecto conservare voluerit.

*Probatnr 2.* Nam vel ille modus est entitativè substantialis, vel accidentarius: non substantialis, quia accidens non potest recipere modum substantialem: non etiam accidentarius, quia cum accidens quodcumque, ex natura sua, postulet inesse alicui subjecto, modus ille, si est accidentalis, exigit ex se a teri inhaerere; atque adeo repugnat ut accidens per illum habeat, quòd existat per se, sine ullo ordine ad substantiam.

*Dices 1.* Deus non aufert rebus creatis modum aliquem connaturalem, quin tribuat illis alium modum oppositum: sic aufertur ab humanitate Christi modus subsistentiæ, posito in illa modo unionis ad Verbum. Et à quantitate corporis Christi aufertur modus extensionis in ordine ad locum, posito modo indivisibiliter existendi in loco, & sic de aliis. Sic ergo, cum à quantitate panis auferatur inhaerentia, quæ est modus positivus, connaturalis illi: verisimile est dari illi alium modum immediate oppositum, quo per se fit.

*Respondeo* non esse parem rationem: nam ut Verbum sit homo, necessaria est unio aliqua inter ipsum, & humanitatem. Et ut corpus Christi sumatur integrum, & sine horrore à fidelibus, debuit constitui indivisibiliter in sacramento. At nulla necessitas cogit, aut efficax ratio movet, ut accidentibus separatis modum positivum per se existendi tribuamus, ut dictum est. *Accedit* quod in iis, aliisque similibus exemplis, non habet locum specialis aliqua repugnantia, qualem hic observamus.

*Dices 2.* Modum illum esse admittendum, quia cum illo quantitas erit modo magis connaturali, & melius disposita ad actiones & passiones. *Verum* rationes istae non concludunt: non quidem prior, quia cum modus ille sive sit substantialis, sive accidentalis, formaliter dicatur repugnare naturali accidentium inhaerentiae, fieri nequit ut accidentia magis connaturaliter sint cum illo, quam sine illo. Non etiam posterior, quia quantitas à Deo efficienter sustentata, non minus apta est ad varias mutationes efficiendas, vel in se recipiendas; quam si inhaereret substantiae, aut per modum positivum existeret.

*Dices 3.* Satius esse tribuere accidenti separato, modum existendi positivum, quam fateri existentiam accidentis separati carere termino. *Respondeo*, imò melius esse denegare accidenti separato terminum positivum, quam sine urgente ratione, illi assignare terminum supernaturalem, ipsiusque naturae quodammodo oppositum; quia eo non obstante, accidens illud erit terminatum negativè, quod satis est.

RESOLUTIO III. *Accidentia separata aliter conservantur à Deo extra subjectum, quam in subjecto.* ]  
 PROBATUR I. nam sicut se habet creatio accidentis, ad educationem illius è subjecto, ita se habet conservatio accidentis extra subjectum, ad conservationem illius in subjecto: atqui ut accidens creetur, major requiritur influxus ex parte Dei, quam ut educatur è subjecto: eò quòd quando accidens creatur, cum fiat sine concursu subjecti, dependentia quam naturaliter ab illo habet in fieri, suppleri debet. Ergo etiam major influxus necessarius est, ut conservetur extra subjectum, quam ut conservetur in illo: quandoquidem dependentia quam habet à subjecto in conservari, supplenda est.

*Probatur 2.* Nam accidentia existunt in subjecto naturaliter, extra subjectum vero supernaturaliter; ergo concursus qui sufficit ut existant in subjecto,

DE EUCHARISTIA CAP. VI. 147

non sufficit ut extra illud existant. Sequela patet, quia prior concursus est ordinarius & naturalis, posterior verò extraordinarius, & supernaturalis esse debet; ergo ille præcisè non sufficit.

*Nec refert 1.* Quòd idem utrobique sit terminus materialiter spectatus: nam quamvis homo idem sit quoad substantiam, sive à Deo creetur, sive per generationem naturalem producat, tamen si creetur, Deus majorem & efficaciorum exhibebit concursum, quam si modo ordinario generetur: quia causalitas causarum secundarum supplenda erit. Ita licet idem sit accidens productum in subiecto, & extra illud, id non impedit, quò minus dum extra subiectum producit, exigat potentiorum influxum, quàm dum educitur è subiecto; eò quòd causalitas subiecti supplenda est.

*Nec refert 2.* Quòd subiectum non concurrat effectivè ad conservationem accidentis: verè enim & physicè ad illam concurrat, in genere causæ materialis & subiectivæ; quare hæc conservatio suppleri debet à Deo, non quidem in eodem genere, cum id dicat imperfectionem Deo repugnantem, sed in genere causæ efficientis. Aliàs cum levitas non concurrat effectivè in igne, ad motum sursum, non deberet Deus novo influxu supplere concursum levitatis, quod dici non potest.

**RESOLUTIO IV.** *Accidentia separata possunt eodem modo agere, ac ante. Item possunt alterari & corrumpi, & ex iis corruptis potest aliquid generari.* ] **PRIMA PARS PROBATUR,** nam in primis in hostia consecrata remanent eadem qualitates, cum eadem virtute immutandi sensus, & alterandi corpora, quàm habebant ante consecrationem, & cum modo existendi proportionato ad inducendos ejusmodi effectus, quare possunt edere eosdem effectus sive intentionales, sive reales quos ante producebant, ut etiam patet ipsa experientia.

*Deinde, species separatae possunt generare, & corrumpere*

rumpere ea quæ prius generare, & corrumpere poterant. Nam cum possint alterare aliquod subiectum, ea alteratio adeò intendi potest, ut tandem sequatur corruptio subiecti: porro corruptio unius est generatio alterius. Hinc si aquæ pars exigua misceretur speciebus vini consecratis, ea tandem in vinum converteretur.

*Secunda pars ostenditur*, nam agentia naturalia possunt agere in ipsam quantitatem specierum consecratarum, eodem modo ac antea, & ex ea educere qualitates oppositas qualitatibus panis & vini, quæque earum temperamentum dissolvant. Unde constat quando dicimus, species sacramentales posse corrumpi, nos minimè loqui de ipsa quantitate, sed de qualitatibus ei inhaerentibus: quantitas enim est earum subiectum, quod iis pereuntibus remanet, saltem ex probabiliori sententia, negantium resolutionem usque ad materiam primam.

*Tertia pars* satis vel ipsa experientia probari potest: videmus enim species, si diu asserventur putrefieri, & ex iis vermes generari. Dubium est autem non exiguum, quomodo id fiat, nam cum panis substantia desit, difficile est explicare, qua ratione generatio substantiæ alicujus fieri possit: cum enim Christi corpus sit incorruptibile, non potest ex eo aliquid generari. Qua in re dicendum videtur, eodem instanti quo Christus desinit esse sub speciebus, à Deo creari materiam quam supponit quantitati, aliisque dispositionibus ab agente naturali introductis; quarum beneficio fit ultimò disposita ad susceptionem formæ substantialis, quæ eodem instanti ex ea educitur. Licet enim hoc non fiat sine miraculo; id tamen necessarium est, supposita sacramenti Eucharistiæ institutione, & eam sequitur juxta suavem dispositionem, qua Deus hæc inferiora moderatur: quia cum per consecrationem materia panis & vini pereat, æquum est ut denuo producat, ne hujus sacramenti institutio vergat in detrimentum naturæ,  
cujus

DE EUCHARISTIA CAP. VI. 149

cujus materia prima tandem magna ex parte deperderetur. Imò cum eadem remaneat quantitas, verisimile est eandem numero reproduci materiam, quia majorem cum illa proportionem videtur habere, quam cum alia.

RESOLUTIO V. *Quando apparet caro, aut sanguis in Eucharistia, probabile est id quod videtur, non esse carnem, aut sanguinem Christi.* ] PROBATUR ab effectu, nam si species ita immutatae diu asservantur, tandem corrumpuntur, & tabescunt ut docuit experientia: hoc autem sine magno incommodo, & indecentia credi non potest, de ipsa carne aut sanguine Christi; quia alias sequeretur Christum, ut est in sacramento, non esse beatum quantum ad corpus, quod dici non potest.

Deinde, etsi supponas ejusmodi immutationem durare per breve tempus, & species statim redire ad pristinum statum; praeterquam quod verisimile est tunc species ipsas verè non immutari, sed totam mutationem fieri in oculo videntis: ex hypothese tamen quod illae mutantur, neque etiam tunc probabile est veram Christi carnem, aut sanguinem videri. Quia non decet, carnem Christi in frustra dissectam, aut sanguinem illius extra venas effusum, quomodo tunc apparet, existere, etiam per breve tempus: sed quod nullibi ita existit, aut stante beatitudine existere potest.

Dices primò, si in speciebus re ipsa non fit illa immutatio, quae exterius apparet, qui eas vident, decipiuntur: putant enim se videre carnem, aut sanguinem Christi, quod falsum est. Quis autem in sacramento veritatis deceptionem admittat?

Respondeo nullam hic deceptionem contingere, si immutatio fiat in speciebus, modo praedicto, si vero iis non mutatis, tota mutatio fiat in oculo videntis. Quia ut docet S. Thomas 3. p. q. 76. art. 8. ejusmodi participatio fit in figuram cujusdam veritatis, scilicet ad ostendendum corpus, & sanguinem Christi verè



esse in Eucharistia. Quod confirmat ex Augustino, qui *lib. 2. de quaest. Evang. cap. ult.* ait, fictionem nostram quando refertur ad aliquam significationem, non esse mendacium, sed figuram veritatis.

*Dices secundò*, quando Christus apparet sub specie pulcherrimi pueri, tunc saltem negandum non esse, quin ipse Christus videatur: quia alioqui esset periculum adorandi infantem apparentem pro Christo. *Respondeo* hoc periculum facillè caveri posse, quia adoratio debet tendere ad ipsum Christum, vel sub forma illa latentem, si adhuc ibi existit; vel ad eundem in coelo existentem, si non est amplius sub specie quæ apparet. Porro Christus tunc desinit esse sub speciebus sacramentalibus, quando illæ ita sunt immutatae, ut substantia panis non posset sub illis naturaliter conservari.

## CAPUT VII.

*De ministro hujus Sacramenti.*

**R**ESOLUTIO I. *Nullus nisi Sacerdos validè potest Eucharistia Sacramentum conficere. Plures tamen Sacerdote illud simul validè conficere possunt.* ] PRIOR PARS est de fide, definita in variis Conciliis, Nicæno *can. 14.* Lateran. sub Innoc. III. *cap. 1.* Florent. in decreto Eug. & Trident. *sess. 22. cap. 1.* Ratio autem illius est, quia conficere sacramentum Eucharistiæ, in quo Christus verè & realiter continetur, est effectus omnino supernaturalis, qui procedere non potest nisi ab habente potestatem ejusdem ordinis; qualem Christus solis Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus concessit. Quare soli Sacerdotes Eucharistiam validè conficere possunt.

*Posterior pars* sufficienter ostenditur ex consuetudine recepta, & à summis Pontificibus approbata Latinarum Ecclesiarum, qua Sacerdotes recens ordinati, solent verba consecrationis simul cum Episcopo celebrante proferre, idque super eandem materiam. Cùm enim Ecclesia in re tanti momenti errare

DE EUCHARISTIA CAP. VII. 151

ti errare non possit; hinc manifestum est, plures simul Sacerdotes eandem materiam valide consecrare posse.

*Dubium est* autem non leve, quomodo id licite possit fieri? *Et ratio* dubitationis est, quia moraliter loquendo impossibile est, ut plures Sacerdotes formam consecrationis eodem instanti absolvant; quare semper evenit in dicto casu, ut materia tantum ab uno consecretur, nimirum ab illo qui prius formam absolvit. Unde ulterius sequitur, alios nihil efficere, & verba consecrationis proferre super materiam consecratam, quod sacrilegium redolet. Imò sæpe contingere potest, ut ipse Episcopus celebrans non consecret, si nimirum aliquis ex ordinatis prius formam perficiat: hoc autem magnum est inconveniens, quia celebrans tunc non sacrificat.

*Respondeo*, ad cavenda prædicta incommoda. Sacerdotes recens ordinatos debere habere intentionem consecrandi, non absolutam, sed conditionatam: si nimirum verba simul cum Episcopo absolvant, aliàs non. Inde enim fit, Episcopum qui est principalis minister, semper consecrare, sive alii consecrent, sive non; & consecratione peracta, si aliorum verba nondum peracta sunt, ea non nisi materialiter proferri super materiam consecratam: qua cautela magis vitatur periculum sacrilegii, aut irreverentiæ, quam si formaliter, & cum intentione consecrandi recitarentur.

*Neque dicas* fieri non posse, ut idem simul proferat verba consecrationis & materialiter, ita ut non sufficiant ad consecrationem, & formaliter ita ut ad eam sufficiant. Oppositum enim manifestè colligitur ex baptismo sub conditione collato: nam si infans est baptizatus, verba proferuntur tantum materialiter, sine animo baptizandi: si verò non est baptizatus, proferuntur formaliter, & cum intentione eum baptizandi. Quis autem neget baptismum eo modo validè, imò & interdum licitè

conferri? Quia tamen plerumque contingit, ut ordinati prædictas intentiones accuratè distinguere nesciant, optimum erit consilium quoad praxim, ut qui libet ordinatus habeat intentionem generalem, proferendi verba consecrationis juxta sensum & mentem Ecclesiæ, quæcunque illa sit.

**RESOLUTIO II.** *Solus Sacerdos habet ex jure divino, potestatem ordinariam dispensandi alius hoc sacramentum.* ] **RATIO EST,** quia sicut solus Sacerdos habet ex jure divino, potestatem ordinariam conficiendi corpus Christi; ita solus habet potestatem, eodem jure, illud legitimè administrandi: siquidem Christus conficiens hoc sacramentum, illudque dispensans, dixit solis Apostolis, Hoc facite in meam commemorationem: quibus verbis ex communi sensu Patrum, & Ecclesiæ, dedit illis potestatem, eorumque in sacerdotio successoribus, non tantum conficiendi Eucharistiam, sed etiam illam dispensandi.

*Ubi observandum 1.* Sacerdotem posse in casu necessitatis, committere Diacono potestatem distribuendi corpus Christi, ut si ipse Sacerdos ægrotet, & aliquis in extremis positus Eucharistiam postulet, neque adsit alius Sacerdos à quo eam recipere possit.

*Observandum 2.* Non posse Sacerdotem in ullo casu, clericis Diacono inferioribus, & multò minus laicis committere facultatem dispensandi sacramentum Eucharistiæ; quia jura tantum docent, dispensationem illius posse committi Diacono, nec de aliis loquuntur: favet etiam praxis Ecclesiæ, quæ non permittit ut Eucharistia à clericis Diacono inferioribus, vel à laicis administretur.

*Observandum 3.* Possè sacerdotem in extrema necessitate, propriis manibus Eucharistiam alias confectam sumere. Quod intellige, nisi adsit Sacerdos, vel Diaconus à quo eam sumere possit. Idem dicendum de Diacono, non autem de inferioribus  
cleri-

clericis, aut laicis, quos satius est à communione abstinere, quàm Eucharistiam propriis manibus, etiam in extrema necessitate sumere; ob vigentem in Ecclesia oppositam consuetudinem, quæ habet vim legis.

RESOLUTIO III. *Ille tantum Sacerdos potest legitime Eucharistiam aliis distribuere, qui habet in eos potestatem ordinariam vel delegatam.* ] RATIO EST, quia pascere gregem Christi doctrina & sacramentis, maxime verò Eucharistia, quæ præstantissimus est animæ cibus; pertinet ad Pastorem ratione officii sui, quod exigit ut cognoscat vultum pecoris sui, & statum illius spirituales; sciatque quid illi prodesse, quid nocere possit. Hoc autem non assequeretur, si illius subditi sacramenta à quovis Sacerdote indiscriminatim recipere possent. Quare recta gubernatio Ecclesiastica postulat, ut nemo possit Eucharistiam aliis distribuere, nisi habeat in eos potestatem ordinariam, aut delegatam.

*Nota 1.* Ad peccatum hac in re vitandum, satis est si quis Sacerdos habeat in genere facultatem sacramenta administrandi: talis enim potestas æquivaleret expressæ, & speciali de administrando hoc sacramento; inò dans alicui facultatem celebrandi sacramentum in sua Ecclesia, tacite censetur illi dare facultatem distribuendi Eucharistiam iis omnibus, quæ communicandi gratia ad eum accesserint.

*Nota 2.* Illud esse discrimen ex communi sententia, inter sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quòd Parochus non potest concedere facultatem alicui Sacerdoti audiendi confessiones in sua Parochia, nisi ille sit ab Episcopo approbatus, ut colligitur ex Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15. de reformat.* Ut autem illi concedat facultatem distribuendi Eucharistiam, non requiritur prædicta approbatio, nisi usus loci aliud obrineat.

*Nota 3.* Contra jam dicta non peccare Religiosos, qui ex privilegio summi Pontificis, Eucharistiam

adminiftrant in fuis Ecclefijs, quibufcunq; fidelibus eò accurrentibus. Imò in cafu extremæ neceffitatis, poffet Sacerdos religiofus fine alio privilegio, Euchariſtiam distribuere, fi alius non adeffet qui id præſtare poſſet; cum probabile non fit, piam matrem Eccleſiam velle, ut fidelis fine viarico intereat, quando præſto eſt Religiofus, qui illi Euchariſtiam adminiftrare poteſt.

RESOLUTIO IV. *Deneganda eſt communio peccatori publico eam petenti, ſtem peccatori occulto privatim petenti; non ſi petat publicè.* ] PRIMA PARS PROBATUR, quia Sacerdos tenetur ſancta ſanctè tractare, idque ex virtute Religionis ad quam pertinet, ſacramenta indignis non adminiftrare, quales maximè ſunt publici peccatores.

Hoc autem intellige, de loco in quo peccatum eſt publicum, non de eo in quo ignotum eſt, niſi ob viciniam brevi in eo ſit divulgandum. Intellige etiam niſi conſtet de emendatione illius qui Euchariſtiam petit: nam ſi publicè conſtet eum eſſe emendatum, communio ei publicè adminiftrari debet: ſi verò eam petat privatim, ſufficit quod illius pœnitentia privatim innotefcat.

Porro quod dictum eſt de publico peccatore extendi ſolet ad eos qui de crimine aliquo ſunt ſuſpecti, quando ſuſpicio eſt violenta, ſeu qua talibus conjecturis nititur, ut moralem certitudinem inducant, neque ex aliqua rei circumſtantia probationem ullam in contrarium admittant. Ea enim ſuſpicio ferè æquivalet manifefto crimini; quare ſi publica ſit, Euchariſtia publicè negari debet, ſi occulta, occultè duntaxat.

*Secunda pars probatur*, quia nulla fit injuria peccatori occulto. Euchariſtiam occultè petenti, ſi ea illi denegetur, & alioqui conſulitur honori ſacramenti. Quod tamen intellige, ſi peccatum illius à miniſtro notum ſit extra confessionem: ſi enim non aliter innotefcat quàm per confessionem, non poteſt

DE EUCHARISTIA CAP. VII. 155

Sacerdos propter illud communionem negare; tum quia hæc esset tacita exprobratio peccati in confessione auditi, ac proinde indirecta violatio sigillorum quia probabile est omnino non licere, ad regimen externum animarum, uti scientia per solam confessionem parata, ut dicitur ubi de pœnitentia.

*Tertia pars suadetur*, tum ex facto Christi, qui Judæ proditori Eucharistiam non denegavit, eò quòd peccatum illius nondum aliis erat notum; tum ex usu communi Ecclesiæ, quæ peccatores occultos publicè Eucharistiam petentes, ab illius communione non rejicit: tum denique ex gravibus incommodis quæ passim orirentur, si peccatorem occultum publicè petentem Eucharistiam liceret repellere. Pravi enim Sacerdotes inde occasionem fumerent, eam denegandi iis quos odio haberent, fingentes eos crimen aliquod occultè perpetrasse, neque de eo adhuc pœnitentiam egisse; & ita communio redderetur valde onerosa, & ab illius præcepto sæpe homines essent liberi.

CAPUT VIII.

*De modo, & necessitate suscipiendi Eucharistiam.*

**R**ESOLUTIO I. *Quatuor modi sumendi Eucharistiam distinguuntur.* ] IN primis ea sumi potest spiritualiter tantum, quod tunc fit, quando quis ex fide viva, quæ per charitatem operatur, habet propositum efficax comedendi illum panem coelestem, fructumque spiritualem ex eo proposito recipit: qua ratione hoc sacramentum à solis hominibus justis sumi potest.

*Secundo* Eucharistia sumi potest spiritualiter & sacramentaliter simul; si nimirum aliquis rectè dispositus, & veste nuptiali (id est gratia sanctificante) indutus, accedat ad divinum hoc sacramentum & illud realiter cum fructu percipiat: qua ratione à solis hominibus justis realiter sumi potest, ut perspicuum est.

*Tertio* Eucharistia sumi potest sacramentaliter tantum; quod tunc evenit, quando baptizatus ad hoc sacramentum accedit re ipsa: sed nullum fructum ex ea receptione percipit. Et hic modus manducandi iis competit, qui ad Eucharistiam accedunt, cum conscientia peccati mortalis; illi enim verè sacramentum recipiunt sine fructu; & eatenus dicuntur illud sumere sacramentaliter tantum, non autem simul spiritualiter.

*Quarto* Eucharistia sumi potest materialiter, quare dicitur sumi ab eo, qui panem consecratum comedit, ad modum panis communis, putans esse talem. Imò si contingat canem, aut murem comedere hostiam consecratam, ea sumptio non erit propriè sacramentalis, sed purè materialis. Unde Christus ipse dicitur manducari materialiter, quatenus comeduntur species panis, sub quibus ille latet.

**RESOLUTIO II.** *Extat præceptum divinum sumendi Eucharistiam, quod homines obligat in articulo mortis.* **PRIMA PARS PROBATUR** ex verbis illis Christi *Joan. 6.* Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: ibi enim agitur de reali Christi manducatione supra ostensum est. Tanta autem imposita obligatio accedendi ad Eucharistiam, ut sine ea absolute vitam æternam habere non possimus: quod certè verum non esset, si hujus sacramenti sumptio non caderet sub præceptum. Porro cum ipse Christus prædicta verba prætulerit, præceptum accedendi ad Eucharistiam, divinum esse fatendum est.

*Secunda pars ostenditur*, quia cum præceptum divinum sumendi Eucharistiam, sit affirmativum, videatur obligare, saltem pro eo tempore, quo illius usus est magis necessarius: at usus Eucharistiæ est magis necessarius in articulo mortis, quàm quovis alio tempore; ut nimirum homo tunc magis Deo uniatur, & novas vires ad superandas tentationes,  
& *finis*

DE EUCHARISTIA. CAP. VII. 157.

& finaliter perseverandum assequatur. Ergo præceptum divinum de sumptione Eucharistiæ, pro articulo mortis obligat. Et hoc *confirmat* Ecclesiæ praxis, quæ semper magna sollicitudine curavit, ut extrêmè laborantibus conferretur viaticum.

Hic tamen *notandum est*, multos Doctores sentire, eum qui in Paschate Eucharistiam sumpsit, si post paucos dies incidat in periculum mortis, non teneri ad communionem de novo accedere: eò quod præcedens communio habuit rationem viatici. Ea siquidem potest ægrotum confortare adversus tentationes, paulò ante mortem, eumque magis unire cura Christo, in quem finem præcepta est in eo casu Eucharistiæ sumptio. Atque hæc sententia est probabilis, & practicè secura. Consulendum tamen est ut communio iterum sumatur si fieri possit, etiam si Eucharistia fuisset sumpta præcedenti die: quia per illam homo accipiet augmentum gratiæ, & magis disponetur ad transitum ex hac vita.

*Notandum etiam* adultos omnes ratione utentes, comprehendi sub allato præcepto, siue sint baptizati siue non: quia verba Christi sunt generalia, & extenduntur ad omnes qui sunt capaces præcepti: cum Christus eos omnes potuerit obligare. Neque refert quod non baptizatus non possit Eucharistiam sumere: hinc enim non sequitur, quod non obligetur præcepto sumendi Eucharistiam, sed quod teneatur baptismum suscipere, ut tali præcepto satisfacere possit.

Loquor de *adultis* ratione utentibus: nam quod attinet ad infantes, nondum ratione utentes, certum est eos non comprehendi sub præcepto illo generali, ob defectum libertatis, ut definitum est in Concil. Trident. *sess. 21. can. 4.* Licet autem illi sint capaces fructus Eucharistiæ; non tamen Ecclesia solet eos ad Eucharistiam admittere, propter varia incommoda quæ in ea administratione occurrere possunt: et hæc oppositum olim in usu fuerit.



RESOLUTIO III. *Omnes adulti ratione utentes veniuntur ex præcepto Ecclesiæ, communicare singulis annis in Paschate.*] Hoc patet ex cap. Omnis utriusque sexus, de pœnitentiis, & remissionibus, & ex sess. 13. Concil. Trident. can. 9.

Ubi nota 1. nomine Paschatis iis locis intelligi, tēpus currens à Dominica Palmarum, usque ad octavam Paschæ inclusivè, ita ut præcepto Ecclesiæ satisfaciatur, qui communicat intra illos quindecim dies. Porro tempus prædictum non ita est determinatum, quin ex consilio proprii Sacerdotis, communicatio extra illud possit differri, interveniente rationabili causa: dicitur autem proprius Sacerdos, quicumque potest licitè Eucharistiam administrare in Paschate, ita ut illius sumptione servetur Ecclesiæ præceptum.

Nota 2. Quando prohibetur Regularibus, ne tempore Paschali Sacramentum Eucharistiæ secularibus administrarent, id intelligi de communione, qua eo tempore servatur præceptum Ecclesiæ, non autem de illa quæ fit tantum ex devotione. Quo fit ut ille qui, ut servaret præceptum communicandi, sumpsit Eucharistiam in propria Parochia die Palmarum, aut Parasceves; possit iterum ex devotione communicare in Ecclesiis Regularium, aliquo ex sequentibus diebus intra octavam Paschæ, ut authores communiter tradunt.

Nota 3. Eum qui prævidet impedimentum superventurum in Paschate, ita ut tunc communicare non possit, non teneri tempus illud prævenire, & anticipare communionem. Quia aliàs per communionem sic anticipatam, satisfaceret præcepto Ecclesiæ, cuius tamen oppositum contingeret; eò quòd si impedimentum prævisum non occurreret tempore Paschali, teneretur ille eo tempore ad communionem accedere. Verùm etsi quis propter rationem allatā, non teneatur in dicto casu ex præcepto communionem anticipare, negari non potest quin utilius sit,  
& tu

DE EUCHARISTIA. CAP. VIII. 159

& tutius eam anticipare, & ita in praxi consulendum existimo.

*Nota 4.* Ex probabili sententia, eum qui cum conscientia peccati mortalis, accedit ad Eucharistiam, tempore Paschatis, satisfacere præcepto Ecclesiæ, ita ut non teneatur iterum communicare, ex vi præcepti Ecclesiastici. *Ratio* est, quia Ecclesia tantum præcipit, ut Eucharistia sumatur: ea autem sumitur, etsi communicans sit in peccato mortali. Quare etsi ille graviter peccet; implet tamen præceptum Ecclesiæ quoad substantiam; sicut ille qui audit sacrum in peccato mortali, satisfacit præcepto Ecclesiastico, de audienda Missa.

**RESOLUTIO IV.** *Qui ad Eucharistiam accedunt, non tenentur ex præcepto divino, eam sumere sub utraque specie, nisi Missam celebrent.* EST DE FIDE, definita in Concil. Constant. sess. 13. & in Trident. sess. 21. cap. 1. & can. 1. Probatum autem, tum quia si utriusque speciei sumptio esset necessaria ex præcepto divino, sequeretur unius sumptionem ad salutem non sufficere: at hoc falsum est, cum Joan. 6. vis conferendi gratiam, & vitam æternam uni speciei tribuatur.

Tum quia licet initio nascentis Ecclesiæ, daretur aliquando communio laïcis sub utraque specie; usus tamen etiam erat, ut interdum non daretur, nisi sub una, ut vel ex eo constat, quod fideles panem consecratum manu, viri quidem nuda, foeminae verò Dominicali, id est linteo quodam mundissimo, sic olim vocato, cooperta accipiebant, domumque asportabant, ut statuto tempore eam sumerent, non deferrebant autem simul calicem consecratum, neque extra templum eum unquam sumebant: sola etiam panis species tunc temporis ad ægrotos mitti solebat, ut patet ex variis historiis. Posterioribus verò sæculis, non tantum sumptio Eucharistiæ sub una specie fuit in usu; sed etiã Ecclesia justis de causis adducta fuit, ut laïcis sacri calicis usum denegaret, qua  
in re

in re eam errasse sine hæresi affirmari non potest: at certè errasset, si communio sub utraque specie, fuisset à Christo singulis præcepta.

*Neque obstat illud Matth. 26. Bibite ex hoc omnes: ea enim verba diriguntur ad solos Apostolos. Neque illud Joan 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui enim sumit unam speciem, sub ea carnem, & sanguinem Christi accipit, cum Christus sub singulis totus contineatur.*

*At neque refert si dicas, fieri laicis injuriam, eò quòd sacramentum mutilatum ipsis porrigitur, & privantur gratia quæ per alteram speciem ipsis conferri posset. Ad primum enim respondetur, hostiam consecratam per se solam esse sacramentum integrum, quoad rem contentam: cum integrum Christum contineat. Ad secundum verò, utramque speciem non majorem gratiam conferre in una communione, quàm alteram tantum, ut infra dicitur; & quamvis majorem conferret, non propterea Ecclesia in simulanda esset injustitiæ, quia ad illam spectat non tam curare, ut hoc sacramentum sumentes majorem quàm absolute possunt, ex ea sumptione utilitatem capiant, quàm ne aliquid eveniat contra reverentiam tanto sacramento debitam. Quod certè vitari non posset, si Eucharistia omnibus indiscriminatim sub utraque specie administraretur, ut per se clarum est.*

*Vbi adverte, ex speciali dispensatione summi Pontificis, posse laicum communicare sub utraque specie. Imò in casu necessitatis, eundem posse sine alia dispensatione, sumere species vini consecrati, ut si verbi causa, contingeret Sacerdotem peracta calicis consecratione expirare, & periculum esset ne sacramentum in manus hæreticorum deveniret, illud quæ alio modo non posset conservari, nisi statim sumeretur, incredibile quippe est præceptum humanum, quo prohibetur ne laici ejusmodi speciem sumant, obligare*

DE EUCHARISTIA. CAP. IX. 161

obligare in eo casu, in quo illius observatio vergeret in contumeliam sacramenti.

Hoc autem intellige de necessitate ipsius sacramenti; nam si contingeret necessitas ex parte suscipientis; ita ut ob infirmitatem non posset deglutire species panis, sed vini duntaxat, non propterea ei danda esset communio sub specie vini; eo quod præceptum sumendi Eucharistiam non censetur tunc obligare, cum non possit impleri, nisi recedendo à consuetudine, & præcepto Ecclesiæ, quo cavetur ne species vini sumantur à laicis, sine speciali dispensatione, aut privilegio.

CAPUT IX.

*De dispositionibus requisitis ad sumptionem Eucharistia.*

**R**ESOLUTIO I. *Eucharistia communiter sumenda est à jejuno.* Hoc sufficienter ostenditur ex usu Ecclesiæ Catholicæ, quæ tantum jejunos ad Eucharistiam admittere solet, nisi in certis casibus, de quibus infra. Et ne quis putet hunc morem esse novum, aut particularem, legendus August. *Epist. 118. cap. 6.* ubi ait, placuisse Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi, talemque consuetudinem per universum orbem observari. Unde aperte colligitur, in Ecclesia vigere præceptum, ut Eucharistia tantùm à jejunis ordinariè sumatur.

*Notandum autem 1.* Præceptum illud non esse divinum positivum, cum neque ex Scriptura, neque ex traditione constet, ejusmodi præceptum fuisse à Christo impositum. Non etiã est naturale, cum ratio naturalis non dicat, tantam reverentiam esse huic sacramento debitam, ut illud sumere soluto jejunio, sit peccatum mortale: moderatum enim cibum sumere ante communionem, non est per se malum, ut satis colligitur ex factò Christi, qui post cœnam  
hoc

hoc sacramentum discipulis porrexit. Itaque dicendum est, præceptum illud esse Ecclesiasticum, & à temporibus Apostolorum semper observatum; ut ex antiquissimis Patribus facile deduci potest.

*Notandum 2.* Jejunium esse duplex, Ecclesiasticum & naturale, inter quæ illud est discrimen, quòd Ecclesiasticum non solvitur, etsi aliquid sumatur per modum medicinæ; naturale verò talem sumptionem non patitur. Et hoc posterius jejunium servandum est ei, qui vult accedere ad communionem, ut constat tum ex communi sensu Doctorum, tum ex ipsa consuetudine Ecclesiæ, quæ non solet ad Eucharistiam admittere eos, qui vel minimum cibum aut potum, etiam per modum medicinæ, sumpserunt. Quod signum est, jejunium ex præcepto in eo rigore esse servandum: cum consuetudo optima sit legum interpres.

Non tamen solvitur hoc jejunium, primò si quis aromata ori apponat, eaque dentibus terat, verbi causa, ad vitandum aërem noxium, dummodò nihil deglutiat. Secundò si aliquid trajiciatur in stomachum per modum salivæ, ut si post lotionem oris, aliqua particula aquæ salivæ admixta deglutiat. Item si reliquiæ cibi dentibus adhærescentes, ex commestione diei præcedentis, casu trajiciantur in stomachum.

**RESOLUTIO II.** *Sacerdos potest interdum ad perfectionem sacrificii, sumere Eucharistiam non jejunus. Item existens in periculo mortis, potest viaticum sumere, etsi jejunus non sit.* ] Utraque pars est communis, & quantum ad primam, notari solent varii casus, in quibus Sacerdos Eucharistiam, soluto jejunio, sumere potest.

*Primus est,* quando celebrans incautè misit aquam in calicem, & postea eam sumit, putans se vinum consecrasset: tunc enim de novo infundendum est vinum in calicem, & consecrandum, ac sumendum, etsi celebrans sumptione aquæ jejunium violaverit. Quod simili-

similiter sentiendum est, quando Sacerdos post consecrationem moritur, vel alio modo impeditur, ne possit consumere species: tunc enim Sacerdos non jejunos, si alius non adsit, tenetur sacrum perficere.

*Secundus casus est*, quando post sumptionem sanguinis, remanent in calice particulae quaedam hostiae consecratae: tunc enim Sacerdos potest, vel digito ejusmodi particulas ad labrum calicis deducere, vel vino infuso, eas simul cum illo trajicere. Utrumque enim permittitur in Missali Rom. ubi agitur de defectibus in Missa occurrentibus.

Porro hic nota, id quod dictum est de particulis consecratis calici adhaerentibus, dicendum etiam de iis quae palato post sumptionem calicis, adhaerescunt; eas nimirum sumi posse jejuniis soluto, seu post ipsam ablutionem. Et idem dic de particulis, quae post communionem supra patenam remanserunt. Potest enim Sacerdos, ex communi sententia, eas sumere, quamdiu est ad altare. Quod si postquam inde discessit, illas advertat, debet eas servare, si commodè fieri potest, ut postea inter celebrandum à jejuno sumantur: si autem honestè servari non possunt, statim sumi debent.

*Tertius casus est*, quando Sacerdos peracta consecratione, recordatur se non esse jejunum: tunc enim ex communi sententia, debet sacrificium perficere, quia perfectio sacrificii, cum sit de jure divino, arctius obligat quam praeceptum Ecclesiasticum, de jejuniis servando ante communionem. Vel quia ut alii dicunt, minus malum est communicare jejuniis soluto, quam sacrificium post consecrationem, imperfectum relinquere.

*Sed quid si Sacerdos ante consecrationem advertat, se non esse jejunum? Respondeo cum distinctione.* Nam vel non potest recedere ab altari, sine gravi infamiae nota, vel potest: si non potest, non tenetur sacrificium inchoatum relinquere; sed illud perficere potest: quia ex communi sententia, praeceptum  
Eccle-

Ecclesiæ de jejuniis servando, minimè nos obligat cum tanto nostro incommodo. Quòd si nullum sit periculum incurrèdi infamiae notam, S. Thom. 3. p. q. 83. art. 6. ad 2. docet, & cum eo plures alii, tutius esse sacrum inceptum relinquere; quo loquendi modo indicat, id non esse necessarium.

Jam quod spectat ad secundum caput suprà propositum, unus est casus in quo, ex communi consensu Doctorum, potest quis sumere Eucharistiam sumpto aliquo cibo: nimirum si versetur in periculo mortis, neque commodè expectare possit, ut alio tempore jejunus communicet. In qua re diutius immorandum non est, cum satis de ea constet ex praxi Ecclesiæ. Solùm adverte in primis id quod jam dixi, intelligi tam de his qui ex morbo, aut vulnere versantur in discrimine mortis, quam de his qui ultimo supplicio sunt afficiendi.

*Adverte etiam id locum habere, quando jejunium commodè servari non potest: nam qui capite plectendus est, si antequam cibum sumat, sciat se ea die moriturum, tenetur jejunare donec Eucharistiam sumperit. Et similiter agrotus qui absque periculo, vel gravi incommodo potest communionem differre usque ad alium diem, in quo ante cibum Eucharistiam sumere possit, tenetur communicare jejunus. An autem periculum aliquod, aut incommodum futurum sit in mora, id medici, aut alterius viri prudentis arbitrio determinandum est.*

**RESOLUTIO III.** *Accedere ad Eucharistiam cum peccato mortali, per se loquendo peccatum est mortale.* Ita sumitur ex Paulo 1. Cor. 11. & ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 7. Ratio verò est, quia duo tantum sunt sacramenta pro mortuis per se instituta, seu quæ dant vitam animæ, & ad quæ homo potest accedere, etsi spiritualiter sit mortuus per peccatum mortale; talemque suum statum non ignoret, nimirum Baptismus, & Pœnitentia. Alia verò dicuntur sacramenta vivorum,

vivorum, quia non sunt per se instituta, nisi ad conferendum augmentum gratiæ; adeoque supponunt suscipientes vivere spiritualiter, seu in gratia constitutos esse. Quod specialiter habet locum in Eucharistia; quæ per se primò est instituta per modum cibi, & potus ad nutriendam animam, non autem ad illam primò vivificandam; quare qui ad illam accedit cum peccato mortali, facit contra ejus finem & institutionem, ac proinde graviter peccat.

*Nota 1.* Eum peccare venialiter, qui probè sciens se habere aliqua peccata venialia, & hoc advertens, quando accedit ad Eucharistiam, nihilominus communicat sine ullo proposito emendæ: ille enim non accedit cum egrè reverentia, quam actus tam sacer ex natura sua postulat, etsi alioqui non habeat actualem affectum ad prædicta peccata. Quod à fortiori dicendum est de eo, qui actu peccat venialiter in ipsa sumptione Eucharistiæ, vel quia communicat ob vanam gloriam, vel quia voluntariè distrahitur peccatum enim actuale est magis voluntarium, adeoque magis malum, cæteris paribus, quàm habituale.

*Nota 2.* Eum qui habet conscientiam peccati mortalis, debere prius sacramentaliter confiteri, quàm ad Eucharistiam accedat, ut statutum est in Concilio Trident. *sess. 12. cap. 7. & can. 11.* Unde colligi potest, hoc præceptum fuisse in usu, longè ante prædictum Concilium; adeoque obligare etiam in iis locis, ubi illud non est receptum; eo quòd non præcipit aliquid de novo, sed tantum declarat ex praxi Ecclesiæ, quid antea præceptum esset circa sumptionem Eucharistiæ.

*Nota 3.* Præceptum peccata mortalia confitendi, ante sumptionem Eucharistiæ, non esse naturale, seu ex natura ipsa & institutione utriusque sacramenti ortum. Nam etsi ex naturali jure teneamur sancta sanctè tractare, maximè verò sacramentum Eucharistiæ, quod totius sanctitatis authorem continet; huic oblige-

oblige-



obligationi sit satis, si homo per contritionem, de qua moraliter sit certus, se disponat ad sumptionem tanti sacramenti; esto non adhibeat summam quam potest diligentiam, ut se constituat in statu gratiæ. Quare probabilius videtur, præceptum allatum esse tantum ex jure Ecclesiastico: præsertim cum Trident. sess. 21. cap. 2. doceat, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi magis expedire judicaret.

**RESOLUTIO IV.** *Homo peccato mortali obstrictus, potest non præmissa confessione sacramentali, ad Eucharistiam accedere, quando adest necessitas communicandi, & deest copia confessarii.* ] Ita sumitur ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 7. & ex communi Theologorum sententia, quæ ut melius intelligatur, nonnulla circa prædictas conditiones sunt observanda.

Quo ad primam attinet, homo censetur constitutus in necessitate accedendi ad Eucharistiam, non præmissa confessione, tum quando versatur in periculo mortis, neque adest Sacerdos qui illius confessionem excipere possit, tunc enim sine confessione potest Eucharistiam à Diacono accipere; tum quando tenetur ex officio celebrare, neque habet copiam confessarii, quod sæpe contingere potest in pagis, in quibus est tantum unus Sacerdos, qui alios longius distantes non facile convenire potest, ut ab iis absolvatur.

Tum quando non potest omitti sacrum, sine gravi infamiæ periculo, ut facile contingeret, si Sacerdos esset publicè indutus vestibus sacris, ad celebrandam Missam necessariis. Qui enim viderent illum statim iis exui, & inde recedere, facile judicarent eum ob grave aliquod peccatum memoriæ occurrens, ab incepto desistere; quare ad vitandam talem

infamiam,

DE EUCHARISTIA. CAP. IX. 167

infamiam, posset ab eo sacrum celebrari sine confessione.

Tum quando Sacerdos post cōsecrationem unius, vel utriusque speciei recordatur peccati mortalis non confessi: tunc enim omnium consensu, debet sacrum persequi & Eucharistiam sumere, non præmissa confessione; quia actio cui operam dat, est tanti momenti, ut minus inconueniens censeatur confessionem omittere, quàm illam actionem interrompere, rebus alijs vacando. Dummodo Sacerdos probabiliter credat, se cum vera contritione postea accessurum ad Eucharistiam: quod etiam in alijs casibus observandum est.

Quod spectat ad aliam conditionem, confessarius deesse censetur, tum quando Sacerdos tam longè distat, ut commodè adiri non possit, spectatis circumstantiis personarum, locorum, & temporum: tum quando adest quidem Sacerdos: sed ille caret jurisdictione necessaria, ad absolvendum à peccato mortali: hoc enim perinde est ac si nullus Sacerdos adesset, nisi qui peccavit, constitutus esset in periculo mortis: tunc enim à quolibet Sacerdote absolvi potest, ex jure communi, ut dicitur infra, ubi de pœnitentia.

Tum quando probabile periculum est, ne Sacerdos peccatum revelet, aut pœnitentem ad simile peccatum pertrahat: tunc enim omnium iudicio, non censetur haberi copia confessarii, & potest qui tale periculum timet, sine confessione in necessitate, ad Eucharistiam accedere. Si tamen habet alia peccata, ex quibus nullum tale periculum timet, debet ea subicere clavibus Ecclesie, & reliqua  
omittere.

*De effectibus sacramenti Eucharistie.*

**R**ESOLUTIO I. *Eucharistia per se primam gratiam non confert, sed tantum per accidens: habet tamen vim preservandi à mortalibus.* ] PRIMA PARS patet ex supradictis, quia Eucharistia instituta est per modum cibi: at cibus non vivificat mortuum, ergo Eucharistia per se non dat vitam animæ mortuæ, quod fit per primam gratiam sanctificantem, *Confirmatur*, nam si per Eucharistiam conferretur prima gratia, Ecclesia non repelleret à communione eos, qui peccati mortalis sunt rei, sicut eis non denegat sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ.

*Secunda pars suadetur:* nam si quis ad Eucharistiam accedat, probabiliter putans se esse in statu gratiæ, cū tamen sit in peccato mortali, & aliunde verè sit attritus de peccatis quæ commisit, in ea hypothesi prima gratia illi confertur per Eucharistiam; quia sacramenta novæ legis ita à Christo sunt instituta, ut vi sua, non spectato merito operantis conferant gratiam, si suscipiantur sine obice. At qui modo prædicto communicat, non ponit obicem gratiæ, cū non peccet in ea susceptione; & aliunde per attritionem sufficienter animum avertat à peccato lethali. Quidni ergo sumptione Eucharistiæ primam recipiet gratiam?

*Dices 1.* Eucharistia datur per modum cibi: at cibus nunquam mortuum vivificat. *Respondeo* minorem falsam esse de cibo spirituali, qui in eo distinguitur à materiali, quod materialis non vivit, adeoque nunquam tribuit vitam homini mortuo: ac spiritualis cibus Eucharistiæ non modo vivit, sed etiam ipsum auctorem vitæ continet; quare potest justificare animas peccatorum, qui bona fide eum sumunt, cum dispositione prædicta.

*Dices 2.* Ex doctrina istâ confundi distinctionem illam

illam valde receptam, de Sacramentis vivorum, & mortuorum. Nam dicendum erit baptismum, & poenitentiam esse non modo sacramenta mortuorum, sed etiam vivorum: contra verò Eucharistiam, & alia quatuor sacramenta, esse non tantum sacramenta vivorum, sed etiam mortuorum. *Respondeo* distinctionem illam semper ratam manere, si ut par est intelligatur; nam ad summum dici potest, ex nostra assertionem sequi baptismum, & poenitentiam esse per se sacramenta mortuorum, per accidens vivorum. Alia autem sacramenta esse per se sacramenta vivorum, per accidens mortuorum; quòd minimè absurdum est.

*Tertia pars* sumitur ex Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 2.* ubi docetur, Eucharistiam esse institutam ut antidotum, quo à peccatis mortalibus præservamur. Hæc autem præservatio fit primò per gratiam habitualement, vi Eucharistiæ ex opere operato infusam; secundò & maximè, per varia auxilia, quibus Deus mentem illuminat, & voluntatem accendit, cum id opus est ad tentationem superandam, & peccatum mortale cavendum. Tertiò per externam protectionem qua arcentur Dæmones, aut occasiones amoventur, quæ in peccatum inducere possunt.

RESOLUTIO II. *Eucharistia per se confert gratiam secundam, seu augmentum gratiæ.* Ita habetur in Concilio Florent. *in instruct. Armenor.* & in Trident. *sess. 13. cap. 2.* Ratio autem sumitur ex prædictis: nam Eucharistia cum sit sacramentum novæ legis, hoc habet commune cum aliis sacramentis, ut gratiam habitualement per se, & ex propria institutione conferat: at non confert gratiam primam, nisi per accidens: ergo secundam per se conferre debet. *Confirmatur*, nam Eucharistia instituta est per modum cibi; atqui cibus materialis nutrit corpus, & ad illius augmentum conducit. Ergo Eucharistia cum sit cibus spiritualis, nutrit animam per augmentum

h sanctifi-

sanctificantis gratiæ. Denique Eucharistia inter sacramenta vivorum numerari solet, quod signum est eam in suscipiente supponere gratiam, ac proinde ad augmentum gratiæ institutam esse.

Sed hinc *notandum* est unum discrimen inter Eucharistiam, & cibum materiale: & aliud inter ipsam, & sacramenta alia vivorum, quæ ad augmentum gratiæ sunt instituta. Nam cibus corporalis, etsi semper nutriat, quamdiu vivens existit, non tamen semper illi dat incrementum; quia viventia tandem attingunt terminum accretionis, ultra quem non amplius augentur. At verò Eucharistia non tantum confert ad nutritionem spiritualem hominis, sed etiam augmentum spirituale semper illi confert. Quod certe nemini absurdum videri debet: nam si per bona opera, justi indies magis ac magis sanctificantur, & in gratia crescunt: quid mirum, si ille qui ritè dispositus, sæpe accedit ad Eucharistiam, crescit quotidie in sanctitate, & justitia apud Deum?

In hoc autem differt Eucharistia ab aliis sacramentis vivorum, quod etsi gratia sanctificans ab omnibus producta, sit ejusdem rationis; finis tamen illorum est diversus, ac proinde varia auxilia quæ suo tempore conferuntur ad ejusmodi fines assequendos, & ad quæ homo jus aliquod acquirit, quando sacramenta ipsa suscipit, ut alias monuimus. Hinc docet S. Thom. 3. p. 9. 79. art. 1. ad 1. in Confirmatione augeri, & perfici gratiam ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi: per hoc autem sacramentum augeri gratiam, & perfici spiritualem vitam, ad hoc ut homo in seipso perfectus existat, per conjunctionem ad Deum.

*Nota* Eucharistiam conferre augmentum gratiæ sumentis, etsi ille actuali devotione præditus non sit: qui enim sic accedit, non ponit obicem augmento gratiæ; quia alias cum distractione actuali Eucharistiam accipiens, per se loquendo peccaret mortaliter, quod omnino incredibile est. Accedit, quod  
actua-

DE EUCHARISTIA. CAP. X. 171

actualem devotionem necessariam esse ad Eucharistiae effectum, id neque colligi potest ex praecepto aliquo positivo, cum tale praeceptum nullibi extet; neque ex ipsa institutione talis sacramenti, quatenus institutum est per modum cibi, quo anima nutritur: ista enim nutritio fieri potest per augmentum gratiae habitualis, ex vi & efficacia ipsius sacramenti, etsi non concurrat ulla operatio vitalis ex parte suscipientis: ut manifestum est exemplo parvulorum, qui sunt capaces effectus hujus sacramenti, etsi per actua-lem devotionem ad illum se praeparare nequeant.

RESOLUTIO III. *Eucharistia confert augmentum gratiae quando sumitur, seu manducatur, non autem post ipsam sumptionem.* ] PRIMA PARS colligitur ex verbis illis Joan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Ratio autem est, quia cum Eucharistia sit sacramentum permanens, & habens totam suam vim ante usum, operari debet quando applicatur suscipienti; censetur autem illi proprie applicari, quando ab illo comeditur: ergo in ipsa manducatione gratiam producit. Neque ulla ratio est, cur effectus differri debeat usque ad finem manducationis.

Dices, in aliis sacramentis non conferri gratiam, nisi finita susceptione: & idem dicendum de Eucharistia. Respondeo negando consequentiam: nam sacramentum operari non potest, antequam perfectum sit, quia operati sequitur esse: quare cum reliqua sacramenta quae in usu consistunt, non sint perfecta nisi finita sufficienti susceptione, non mirum est quod non nisi tunc operentur. At verò Eucharistia cum sit sacramentum permanens, & quoad suam essentiam independens ab usu, & prius illo, operatur cum debite suscipienti applicatur: quod tunc proprie fit, quando ab illo comeditur.

Secunda pars probatur, tum quia sacramenta gratiam producant tantum, quando iis utimur, seu in ipso usu actuali: at non utimur Eucharistia, quando

species remanent in stomacho ; sed tantum quando eam sumimus, seu manducamus : tum quia si Eucharistia gratiam produceret , quamdiu est in stomacho , sequeretur utilius esse per se loquendo, sumere majorem hostiam , quàm minorem : & plures, quàm unam : quia quo major est hostia, eò diutius illa manet in stomacho : & consequenter virtus productiva gratiæ longiori tempore in eo perseverat.

*Dices 1.* Absurdum esse dicere, Christum esse veluti otiosum, quamdiu est in stomacho. Verùm hoc refellitur , quia cùm Christus in ipsa manducatione gratiam produxerit , jam obtinuit effectum ad quem institutum est hoc sacramentum ; adeoque dici non potest , quòd postea otiosè sub speciebus maneat ? quemadmodum non est otiosè , etsi ibi nihil corporaliter videat, vel audiat.

*Dices 2.* Sententiam nostræ oppositam, esse aptissimam ad excitandos homines ad devotionem , & reverentiam exhibendam huic sacramento : saltem eo tempore quo in ipsis permanet , propter spem majoris fructus. *Respondeo* homines ad devotionem, & reverentiam esse excitandos, iis proponendo quæ vera sunt, & certa. At certissimum est, Christum remanere sub speciebus, quamdiu incorruptæ permanent. Et hoc satis est ut homo efficaciter moveatur ad reverentiam huic sacramento exhibendam : quâdiu probabiliter purat, species nondum esse consumptas. Præsentia etiam Christi potest objectivè in eo excitare devotionem actualem, ex qua majorem gratiæ fructum percipiat ex opere operantis, quod satis est.

RESOLUTIO IV. *Dua species sive ejusdem, sive diversa rationis separatim sumptæ in eadem communi-  
one, non plus gratiæ conferunt ex operato, quam una.* ]  
PRIOR PARS PROBATUR, quia licet sumptio posterioris hostiæ sit physicè distincta à sumptione prioris, moraliter tamen censetur una & eadem manducatio

ducatio cum illa. Quare non major utriusque effectus respondet, quam si altera tantum sumeretur.

*Confirmatur:* nam si duæ ejusdem hostiæ partes divisæ, simul sumantur: non major tribuitur gratia, quàm si tantum una formula sumeretur: ut docet S. Thom. q. 79. art. 7. ad 3. & cum eo alii Theologi. Ergo si separatim in eadem communione sumantur, non majorem producent effectum, quàm si altera tantum reciperetur: gratia enim non est promissa præcisè speciebus, sed manducationi: quare ubi una tantum est moraliter manducatio seu communio, unus est effectus, etsi plures sint & distinctæ species. Sicut vice versa ubi diversæ sunt sumptiones seu communiones diversi sunt effectus, etsi sumptiones illæ fiant ex diversis ejusdem speciei partibus.

*Nota* gratiam in dicto casu non conferri per partes, sed totam simul, sicut dum unica species sumitur. Quod enim plures partes ejusdem speciei successivè sumantur, hoc non obstat quin moraliter sit unica sumptio, etsi physicè tot sint sumptiones, quot partes distinctis temporibus sumuntur. Aliunde verò gratia quantumlibet intensa in instanti produci potest, Quare nulla ratio est, cur effectus in unica sumptione non perficiatur.

*Investigabit aliquis,* quænam sit illa sumptio in qua gratia confertur, an prima, an secunda. *Respondeo* gratiam dari in prima sumptione. *Ratio* est, quia gratia promittitur sumenti Eucharistiam: ergo gratia illi conferri debet. *Confirmatur,* nam in illa parte est integra, & efficax causa gratiæ: ergo statim atque applicatur subjecto ritè disposito, effectum producit. Sequela patet, quia sacramenta operantur ad modum agentium naturalium, & gratiam producant in subjecto non ponente obicem.

*Posterior pars* sequitur ex dictis, quia etsi sumptio speciei vini, physicè distinguatur à sumptione speciei panis; moraliter tamen est eadem sumptio, & eadem



communio: ergo non major debetur effectus pro utraque sumptione, quàm pro earum altera.

*Confirmatur*, nam qui simul, aut successivè sumit in eadem communione, duas species ejusdem rationis, non percipit plus gratiæ ex opere operato, quàm si unam tantùm speciem reciperet, ut ante ostensum est. Ergo quando species panis & vini sumuntur per modum unius communionis, non intensior conferitur gratia, quàm si una tantum ex illis speciebus sumeretur.

*Dices* non sequi, quia dum sumuntur plures, verbi causâ, species panis, sumitur tantùm cibus: at verò dum sumuntur species panis & vini, fit perfectum convivium, consistens in cibo & potu: Quare sicut cibus & potus magis nutriunt, quàm cibus solus: ita species panis & vini majus gratiæ augmentum conferunt, quàm sola species panis.

*Retorqueo* argumentum, Duo cibi magis nutriunt per se loquendo, quàm unus: at duæ hostiæ sunt duo cibi; ergo magis per se nutriunt, quàm una; ergo majorem gratiam conferunt. Si ergo Adversarii non admittunt consequentiam, eò quòd licèt duæ hostiæ physicè sint duo cibi; moraliter tamen se habent per modum unius, quatenus sumuntur in eadem communione. Pari modo, licèt cibus, & potus magis per se nutriant, quàm cibus solus, aut potus solus; tamen quando in eadem communione sumuntur simul species panis & vini, ea non magis nutriunt, quàm si altera tantum ex illis usurparetur. Quia nimirum unica est sumptio, cui unicus indivisibilis effectus respondet.

**RESOLUTIO V.** *Eucharistia delet peccata venialia ex opere operato.* ] Patet ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 2. ubi dicitur, hoc sacramentum esse antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur: per culpas enim quotidianas intelliguntur sine dubio peccata venialia.

*Notandum.*

DE EUCHARISTIA. CAP. X. 175

*Notandum* autem hoc non ita debere intelligi, ut Eucharistia per seipsam immediatè remittat ejusmodi peccata, sed in primis mediante gratia habituali quam confert: quia hoc sacramentum institutum est per modum cibi, ut nutriat & vires reficiat; quare æquum est, ut gratia Eucharistica id in nobis reparet quod ex calore concupiscentiæ, per peccata venialia deperditur.

*Deinde*, mediantibus actibus charitatis, quos in nobis excitat per gratias actuales, quia Eucharistia cum sit sacramentum unionis, instituta est ut per ferventes actus charitatis, specialiter nos Deo conjungat; adeoque peccata venialia fervori charitatis opposita expellat.

Verùm contra priorem modum *objicies*, gratiam habitualem quantumvis intensam, posse consistere cum peccatis venialibus; adeoque non posse Eucharistiam excludere peccata venialia, mediante gratia habituali. *Respondeo* satis esse, quod gratiæ habituali sit adjuncta specialis condonatio Dei qua peccata venialia expellantur.

Contra posteriorem verò *objiciet*, remissionem peccatorum venialium factam per ferventes actus charitatis, non esse effectum sacramenti: cum fiat ex opere operantis. *Respondeo* actus charitatis esse ex opere operato, quatenus auxilia gratiæ per quæ producuntur, dantur ex opere operato, seu virtute sacramentiantæ suscepti. Quo fit, ut ipsa remissio peccatorum, quæ sequitur amorem Dei, dicatur etiam tribui ex opere operato.

RESOLUTIO VI. *Dici potest Eucharistiam habere vim remittendi pœnas temporales, peccatis remissis debitas; idque ex opere operato, & directe.* ] PROBATUR ex dictis: nam cum Eucharistia habeat vim ex se, & ex opere operato excitandi in nobis actus charitatis, & per hos actus utpote valdè satisfactorios, remittatur pœna directè, & immediatè; quidni dicemus remissionem pœnæ competere Eucharistiæ

directè, & ex opere operato, quamquam non immediatè, sed mediatè?

*Confirmatur*, nam ex communi sententia Eucharistia remittit peccata venialia directè, & ex opere operato: neque tamen illa remittit, nisi mediante gratia habituali, aut actu charitatis, vel contritionis. Si ergo etiam remittit pœnas temporales, mediante ejusmodi actu; quæ ratio est cur non dicatur eas remittere directè, & ex opere operato?

Addo, valde probabile mihi videri, Eucharistiam, cum vim habeat delendi maculam ipsam peccati venialis habere etiam vim delendi aliquam saltem partem pœnæ, tali peccato debitæ. Illud enim videtur consentaneum, ut qui offensam alicui condonat, ei simul remittat aliquid pœnæ cui obstrictus erat. Quod intellige in hoc mundo: nam in alio culpæ quidem veniales delentur, non tamen propterea aliquid pœnæ ipsis debitæ remittitur; sed integra satisfactio in purgatorio facienda est, nisi aliunde pœna remittatur. Porro hic tantum agitur de Eucharistia ut sacramentum est: si enim spectetur ut sacrificium, Catholici omnes concedunt, eam habere vim remittendi pœnas temporales, iis pro quibus offertur. Qua de re infra.

### CAPUT XI.

*De Eucharistia, ut est sacrificium.*

**R**ESOLUTIO I. *In Missa offertur Deo sacrificium propriè dictum.* ] EST DE FIDE, definita in Concilio Trident. *sess. 22. can. 1.* Probatur autem 1. nam oblatio panis & vini à Melchisedech Deo facta, fuit verum sacrificium, & figura oblationis quam Christus fecit instituens Eucharistiam in nocte cœnæ; & quam quotidie facit in Missa per Sacerdotes, ut Patres passim inculcant. Quare ut veritas figuræ respondeat, Christus per se in nocte cœnæ verum obtulit sacrificium, idemque per Sacerdotes quotidie in altari

DE EUCHARISTIA. CAP. XI. 177

altari præstat. Simile argumentum sumi potest ex Agno Paschali, qui habebat veram rationem sacrificii, eratque figura Eucharistiæ.

*Probatur 2.* Nam Patres multipliciter ostendunt, in Missa verum offerri sacrificium: tum quia non raro disertis terminis id affirmant; tum quia ajunt, hoc sacrificium fuisse præfiguratum, per sacrificia legis Mosaicæ, iisque multò esse præstantius: tum quia dicunt eam oblationem fieri soli Deo; non autem sanctis: tum quia docent, Eucharistiam offerri pro vivis & defunctis; tum denique quia in nova lege agnoscunt veros Sacerdotes, usumque altarium quæ non alio fine institui solent, nisi ut in iis offerantur sacrificia propriè dicta.

*Probatur 3.* Duplici ratione, quarum alia est, quia si Eucharistia non esset verum sacrificium, sequeretur in Christiana religione nullum esse sacrificium propriè dictum: hoc autem absurdissimum est, cum nulla unquam religio extiterit, sive sacra, sive prophana quæ veris sacrificiis caruerit. Altera, quia in celebratione Missæ concurrunt omnia necessaria ad veram rationem sacrificii, nempe Sacerdos, altare, res oblata, oblatio Deo facta, rei oblatae quædam immutatio, de qua infra, & hostiæ consumptio.

*Dices 1.* Eucharistia est Sacramentum, ergo non est sacrificium; sequela patet, nam per sacramentum Deus nobis aliquid donat, per sacrificium nos Deo aliquid tribuimus; quæ duo sunt opposita. *Respondeo* Eucharistiam sub ea ratione qua est sacramentum, non esse sacrificium, sed sub alia: ac priori modo nos à Deo gratiam accipere, posteriori corpus, & sanguinem Christi illi offerre; quæ duo non repugnant.

*Dices 2. ex cap. 7. epist. ad Hebr.* Christum unico sacrificio peccata omnia expiasse, ac proinde superfluum esse quodcumque aliud sacrificium. *Respondeo*, Christum per sacrificium crucis expiasse omnia peccata

hominum, quoad sufficientiam; per sacrificium verò altaris nobis applicari virtutem sacrificii crucis, adeoque hoc potius non esse superfluum.

*Infrabis*, virtutem illam posse applicari per alia media; *sed quare* non etiam per sacrificium? Imò valde congruum fuit, inter alia media institui aliquod sacrificium, quod sit memoriale sacrificii cruenti in cruce peracti; cuiusmodi est sacrificium altaris, quod duo præter alia habet, alterum, ut sit verum sacrificium, alterum, ut sit repræsentativum sacrificii crucis præteriti. Quemadmodum Agnus Paschalis erat verum sacrificium, & simul repræsentatio sacrificii in cruce peragendi.

RESOLUTIO II. *Res oblata in Missæ in sacrificio est Christus, non ut in propria specie existit; sed, quatenus est sub speciebus sacramentalibus.* ]PRIMA PARS ostenditur, tum ex Patribus, qui frequenter docent, Christum hinc offerri, immolari, &c. tum ex Concilio Trident. *sess. 22. cap. 1.* ubi traditur Christum in nocte cœnæ, corpus & sanguinem suum, sub speciebus panis & vini obtulisse, & ut nos etiam offerremus, præcipisse.

*Secunda pars ostenditur 1.* Quia immutatio quædam spectat ad rationem rei in sacrificio oblata: at Christus ut in cœlo existens, nullo modo immutatur. *2.* Quia in sacrificiis offerri solet res præsens, & quæ est super altare: at Christus ut in propria specie existit, non est præsens in altari, sed est tantum in cœlo.

Ex his jam probatur *tertia pars* resolutionis. Nam si Christus offertur in Eucharistia, & non in propria specie, necesse est ut offeratur, quatenus est sub speciebus panis & vini; cum his tantum modis existat.

*Dices*, in sacrificiis hostia supponitur actioni sacrificandi; in hoc autem sacrificio Christus, ut sub speciebus existens, non supponitur actioni sacrificandi; quia actio sacrificandi est ipsa consecratio, cuius

jus

DE EUCHARISTIA. CAP. XI. 179

ius vi Christus sub speciebus constituitur. *Respondeo*, majorem veram esse in sacrificiis animalium quia in iis res corrupta nobilior est producta: adeoque non hæc, sed illa offertur. Secus res habet in sacrificiis, in quibus hostia sic destruitur, ut ex illius destructione sequatur aliquid præstantius re destructa, ut patet in oblatione thuris: vapor enim ille qui ex thure per actionem ignis exprimitur, est multo præstantior, & gratior ipso thure, eratque olim res oblata in sacrificiis. Cum ergo in sacrificio altaris Christus sub speciebus productus, sit multo perfectior pane destructo, consequens est non panem, sed Christum ipsum, ut sub speciebus existentem, habere rationem principalis hostiæ.

*Quæret* hic aliquis, an Christus dici possit materia hujus sacrificii. *Respondeo* per distinctionem: nam si per materiam nihil aliud intelligas quam hostiam, seu rem oblatam, hoc modo Christus verè est materia in hoc sacrificio, quia verè offertur & immolatur: si verò per materiam intelligas rem aliquam, circa quam versatur actio sacrificandi, sic Christus non est materia hujus sacrificii, seu terminus à quo, sed potius terminus ad quem, ut ex dictis patet.

Inde tamen colligi non potest, in hoc sacrificio nullam esse hujusmodi materiam: siquidem substantia ipsa panis & vini, cum sit terminus à quo transubstantiationis, non immeritò materia transiens sacrificii dici potest. Atque in eo sensu loquuntur Patres quando dicunt, in Missæ sacrificio panem & vinum offerri. Neque putes hinc sequi in Missa plura esse sacrificia, sed unum duntaxat, ut patet ex aliis sacrificiis.

RESOLUTIO III. *Essentia sacrificii consistit in sola consecratione.* ] PROBATUR I. quia sacrificium Eucharistiæ tale est ex institutione sua ut repræsentare debeat modo mystico mortem Christi atqui sola consecratio hoc facit, cum vi illius solum Christi corpus

ponatur sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini.

*Probat* 2 Quia nihil aliud occurrit, in quo essentia huius sacrificii consistere possit. Non enim consistit in oblatione verbali facta ante consecrationem, aut in alia quæ fit post consecrationem, tum quia in illis oblationibus, nulla fit realis immutatio circa rem oblatam, tum quia eiusmodi oblationes verbales non semper fuerunt in usu.

At neque fractio hostiæ est essentialis sacrificio, quia si casu accidat, ut hostia consecrata in calicem cadat, omittenda est, ex communi sententia, fractio illius. Idemque dicendum de sumptione sacramenti à Sacerdote facta, tum quia non est ex fide certum, Christum sumpsisse Eucharistiam, etsi certum sit eum sacrificasse; tum quia per sumptionem hostia non occiditur, sed occisa supponitur, cum non manducetur nisi occisa sit.

Denique essentia sacrificii non potest constitui, etiam partialiter in distributione sacramenti laicis facta, cum in Trident. *sess. 22. cap. 6* approbentur, & ut validæ, & utiles commendentur Missæ illæ, in quibus solus Sacerdos communicat. Unde *can. 8.* anathema dicitur contra hæreticos huius temporis, qui damnant eiusmodi Missas, quas privatas, & angulares appellare solent.

*Neque refert* quod Christus in nocte cœnæ, Eucharistiam Apostolis distribuerit, & subjunxerit. Hoc facite in meam commemorationem: iis enim verbis præcepit illis tantum, ut id deinceps facerent quod ipse fecit, quantum ad substantiam sacrificii, & sacramenti: alia verò quæ spectant ad circumstantias minimè substantiales, & veluti extrinsecas illius actionis, non præcepit.

*Ex dictis collige*, ad essentiam huius sacrificii: incruenti spectare, ut consecratio fiat sub utraque specie: quia si altera tantum consecraretur, non representaretur satis expressè, etiam modo incruento  
ipsum

ipsum sacrificium crucis, quatenus in eo sanguis Christi ab illius corpore fuit realiter separatus. Unde sequitur, nunquam licere rem divinam facere, cum sola unius speciei consecratione. Imò cum non possit licitè Sacerdos Eucharistiam conficere, nisi in memoriam passionis Christi; hinc non licet quacunque ex causa privatim extra sacrum consecrare, sub una tantum specie.

RESOLUTIO IV. *Sacrificium Missæ offerunt* *quanquam à diversimode, Christus, Sacerdos celebrans & fideles omnes.* ] IN primis Christus Dominus in Missæ sacrificio est principalis offerens, ut patet, tum ex Concilio Trident. *sess. 22. cap. 2.* cum ait, Christum offerre Sacerdotum ministerio. Tum ex Concilio Florent. in decreto Eugenii, ubi statuitur, Sacerdotem in consecratione gerere personam Christi, nimirum dicendo, Hoc est corpus meum, non autem, hoc est corpus Christi.

Deinde, soli Sacerdotes novæ legis possunt validè sacrificium altaris per se offerre, ut colligitur ex Trident. *sess. 22. cap. 1.* quatenus docet, Christum per illa verba, Hoc facite in meam commemorationem, præcepisse Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut Missæ sacrificium offerrent. Eo enim præcepto Christus Apostolos instituit Sacerdotes, eisque dedit potestatem faciendi quod ipse fecerat, nempe offerendi sacrificium incruentum. Quare cum hoc sit opus omnino supernaturale, non nisi ab habentibus potestatem; adeoque à solis Sacerdotibus perfici potest.

*Confirmatur*, nam sacrificium, & Sacerdotium sunt correlata; ita ut nemo sit Sacerdos, nisi in ordine ad sacrificium; & nullum sit sacrificium, quod non postulet Sacerdotem à quo offeratur, tanquam à ministro ad id muneris specialiter deputato. Porro quòd omnes Sacerdotes, etiam hæretici, excommunicati, &c. validè consecrare, & Missæ sacrificium offerre possint, intelligi potest ex dictis, ubi de Sacramentis in genere.



Rursus, *fideles omnes* dicuntur aliquo modo offerre sacrificium, per manus Sacerdotis, ut colligitur ex Concilio Trident. loco proximè citato, ubi dicitur, Christum dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, sacrificium reliquisse; ut nempe illud offerat per Sacerdotes, qui sunt ministri publici ad hoc munus specialiter deputati: sicut enim qui olim dabat agnum Sacerdoti, ut illum offerret, dicebatur agnum offerre per manus Sacerdotis; ita cum Christus se Sacerdotibus tanquam victimam, pro fidelibus offerendam reliquerit, non minùs singuli offerre dicuntur per Sacerdotem, quàm si unusquisque victimam ei dedisset. Speciatim verò illi offerunt, qui sacro intersunt, aut Sacerdoti celebranti inserviunt, vel aliquod aliud ministerium exercent, circa celebrationem Missæ.

**RESOLUTIO V.** *Sacrificium Missæ offerri potest pro fidelibus baptizatis, pro catechumenis, pro paganis, pro hæreticis non excommunicatis, pro existentibus in purgatorio, licet non pro sanctis, aut damnatis.* ] IN primis quòd offerri possit pro fidelibus baptizatis, patet ex Concilio Trident. *sess. 22. cap. 3.* & ex usu Ecclesiæ. *Ratio est*, quia illi sunt capaces fructus sacrificii. Namine autem fidelium intelligimus, non tantum iustos, sed etiam peccatores; quia etsi peccator, quando versatur in peccato mortali remissionem poenæ obtinere non possit: per sacrificium tamen illi possunt impetrari auxilia gratiæ, per quæ disponatur ad justificationem. Nec tantum adultos, sed etiam infantes baptizatos, quia etsi nulla poena eis solvenda sit, per modum tamen impetrationis illis obtineri potest sanitas, vitæ prorogatio, protectio à periculis externis, &c.

*Secundò*, quòd offerri possit pro Cathecumenis nondum baptizatis, probatur, tum quia ut plerique Patres referunt, Ecclesia olim inter Missarum solemnias, pro Catechumenis publicè orare solebat.

Hoc

DE EUCHARISTIA CAP. XI. 183

Hoc autem argumento est, eam judicasse Catechumenos esse capaces alicujus fructus sacrificii Missæ. Tum quia in Ordine Romano, ubi agitur de scrutiniis Catechumenorum, qui ad suscipiendum baptismum destinati erant, habetur Missa quæ celebrari solebat pro iis Catechumenis, qui ad baptismum eligebantur.

*Dices*, cur ergo Catechumeni ante consecrationem jubebantur exire de templo? *Respondeo* causam esse potuisse, quia cum nondum essent baptizati, non censebantur satis fundati in fide, ut possent sine periculo interesse huic mysterio, quod captum humanum longissimè superat.

*Tertiò*, quòd etiam offerri possit pro paganis, seu infidelibus probatur, tum ex antiquo usu Ecclesiæ, qui sufficienter colligitur ex Tertulliano *lib. ad scapulam cap. 1.* tum quia sacrificium altaris non est speciatim à Christo institutum pro his, vel illis hominibus, sed generatim pro omnibus; sicut ille pro omnibus mortuus est, & cupit ex se omnes salvos fieri. Aliunde verò sicut pro omnibus orare, ita & sacrificium offerre per se bonum est, unde neque id illicitum esse potest, nisi à Christo, vel ab Ecclesia prohibitum sit: nulla autem ejusmodi prohibitio assignari potest; quare meritò credendum est, licitum esse sacrificium offerre, etiam pro infidelibus.

*Neque refert* imprecatio quæ fit in quadam Missa contra paganos: ea enim intelligenda est de iis tantum, qui nolunt converti ad fidem, & Christianæ religioni nocent, quales olim erant Tyranni, qui Christianos persequebantur, & in crucem agebant.

*Quartò*, quòd possit offerri & pro hæreticis, à fortiori ex jam dictis colligi potest. Illi enim cum sint baptizati, ut supponimus, sunt membra Christi per baptismum, & characterem, licet non per fidem, & charitatem. Et quamvis non possint pro eo statu, consequi remissionem poenæ eorum peccatis

catia

catis debitæ, sunt capaces auxiliorum gratiæ, quibus homo disponitur ad fidem, & justificationem. Loquor de hæreticis ut sic, nam si sint excommunicati majori excommunicatione, & nominatim denunciati, seu non tolerati, sacrificium licitè pro eis offerri non potest, propter prohibitionem Ecclesiæ.

*Quintò*, quòd possit offerri pro existentibus in purgatorio, certum est ex fide, ut patet ex Concilio Trident *sess. 22. can. 3.* Licet enim ibi generatim agatur de defunctis, quod id debeat intelligi de existentibus in purgatorio; constat *ex cap. 2.* Idemque sumi potest *ex sess. 25.* decreto de purgatorio, & ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ frequenter sacrificium offert pro existentibus in purgatorio. *Ratio* idem suadet, quia cum fideles qui hic militant, & ii qui purgantur, sint ejusdem Ecclesiæ membra, inter ipsos est communio Sanctorum, atque adeò sibi invicem opitulari possunt.

*Sextò*, quòd sacrificium Missæ propriè pro beatis offerri non possit, probatur: quia talis oblatio iis prodesse non potest, sive ad culpæ, aut pœnæ remissionem, sive ad gratiæ, aut gloriæ essentialis augmentum, sive ad aliquid aliud quod directè ipsis possumus impetrare. Possumus tamen Deo sacrificare in gratiarum actionem, pro gloria aliisque beneficiis in sanctos collatis, quod non est propriè offerre pro sanctis ipsis, ut notum est, etsi tale sacrificium valde illis gratum sit.

*Ultimò*, quòd nec pro damnatis offerri possit, ea ratione ostenditur, quia cum in inferno nulla sit redemptio, neque remissio culpæ aut pœnæ, neque auxilia gratiæ ad conversionem disponentia, aliudve bonum damnatis impetrari potest. Quare frustra pro eis sacrificium offerretur, vel alia suffragia fierent. Et hoc *confirmat* usus Ecclesiæ, quæ nunquam sacrificium offert pro iis, quos constat in peccato mortali diem obiisse. Quod autem referri hic solet

ex

DE EUCHARISTIA CAP. XI. 185

ex Damasceno de anima Trajani Imperatoris, precibus S. Gregorii Papæ ab inferno liberata, fabulosum esse tradunt communiter Theologi, alique viri docti.

RESOLUTIO VI. *Sacrificium Eucharistia non confert immediatè gratiam sanctificantem, ex opere operato, mediatè tamen eam confert: per se verò remittit pœnas peccatis remissis debitas, in hominibus justis.* ] PRIMA PARS PROBATUR, nam duplex est gratia sanctificans, prima, & secunda: at hoc sacrificium neutram confert per se immediatè: non quidem primam, quia aliàs Sacerdos per ipsam consecrationem ex attrito fieret contritus, recipiendo habitum gratia: adeoque esset rectè dispositus ad sumendam postea Eucharistiam, etsi confessionem sacramentalem non præmitteret.

Non etiam secundam, quia si eam conferret, sequeretur licitum esse offerre hoc sacrificium pro infantibus baptizatis, eo fine ut consequerentur augmentum gratia: atque ita illi possent sine ullo actu elicito, in dies evadere justiores, & magnum gratia: cumulum comparare. Unde si ante usum rationis morerentur, magnam gloriam reciperent, præter eam quæ gratia: baptismali respondet.

*Secunda pars ostenditur, de prima gratia ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 1.* Ubi dicitur, hoc sacrificium institutum esse, ut virtus sacrificii cruenti in remissionem peccatorum nobis applicaretur. Porro illa applicatio non ita fit, ut hoc sacrificium per se immediatè primam gratiam conferat, ut dictum est: ergo ita intelligi debet fieri, ut virtute hujus sacrificii dentur auxilia gratia:, quibus homo ad justificationem disponi valeat. Idem sumitur *ex cap. 1.* cum dicitur, Deum hac oblatione placatum, & donum pœnitentia: concedere, & peccata ingentia nobis dimittere.

Hinc aliud membrum probatur, de gratia secunda: nam si virtute hujus sacrificii, dantur peccatoribus

bus

bus auxilia gratiæ, quibus ad Deum converti, & primam gratiam consequi valeant: quid mirum si illius vi tribuatur hominibus justis, auxilium sufficiens ad eliciendos actus pios, quibus augmentum gratiæ obtineant?

*Tertia pars suadetur*, ex Concilio Trident. loco proximè citato, ubi dicitur, hoc sacrificium offerri pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus fidelium. Idemque colligitur ex sequentibus, quando dicitur, hoc sacrificium pro defunctis in Christo, nondum ad plenam purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offerri: non enim potest aliter hæc oblatio prodesse animabus detentis in purgatorio, quàm remittendo illis pœnam aliquam temporalem. Atque hic est maximè proprius effectus hujus sacrificii, ad quem nullum sacramentum per se, & ex peculiari ratione ordinatur. Habet etiam legem infallibilem, non modo pro vivis, sed etiam pro existentibus in purgatorio; cum non minùs pro istis, quàm pro illis fuerit institutum.

*Quæret* hic aliquis, an Missæ sacrificium utile sit ad bona temporalia consequenda. *Respondeo affirmativè* ut patet, tum ex Concil. citato, tum ex consensu Patrum, qui vulgò docent illud offerri pro pace, pro sanitate, pro fructibus terræ pro animalibus, &c. tum ex praxi Ecclesiæ quæ Missas quotidie celebrat pro bonis temporalibus, quatenus illa sunt aliquo modo utilia ad salutem.

Hic autem effectus non pendet à sacrificio Missæ ex opere operato: nam si bona temporalia spectentur secundum se, nullam habent dignitatem, vel utilitatem ratione cujus mereantur per tam augustum sacrificium infallibiliter obtineri, ut verò conducunt ad bona spiritualia, non ad eò necessaria sunt, ut sine illis homo non possit gratiam, & salutem assequi; quare superest ut bona illa per sacrificium, quod efficacissimum orationis genus est, impetrentur.

DE EUCHARISTIA CAP. XI 187

RESOLUTIO VII. *Sacrificio Missæ ut offertur à Sacerdote tantum, responder effectus ex opere operato, quæ non nisi iis conceditur, quibus ab ipso Sacerdote applicatur.* RATIO prioris partis est, quia Christus vero & reali sacrificio promisit effectum ex opere operato: at solus Sacerdos verè & realiter sacrificat, sicut solus verè & realiter consecrat: alii verò fideles non offerunt sacrificium, nisi modo spirituali, seu per affectum. Quare huic sacrificio non nisi ut à Sacerdote offertur, responder effectus aliquis ex opere operato.

*Ratio posterioris partis est, quia cum neque ex institutione hujus sacrificii, neque ex actuali voluntate Christi, determinata sit persona cui ejusmodi fructus conferri debet: consequens est ut illi tantum detur, cui Sacerdos offerens per intentionem suam illum applicaverit. Ille enim est dispensator mysteriorum Dei, & sicut ordinatione sua accipit potestatem offerendi sacrificium pro vivis, & pro defunctis, ita etiam potestas pro iis apud Deum intercedendi, ipsisque applicandi fructum sacrificii, illi eadem ordinatione confertur.*

*Ex quibus collige 1. Sacerdotem posse validè, etsi iniquè fructum sacrificii, alicui applicare, contra prohibitionem Ecclesiæ, aut contra superioris præceptum. 2. Fructum nemini obvenire ex sacrificio minimè applicato, sed manere in thesauro Ecclesiæ. 3. Ex hypothese quòd ille pro quo sacrificium offertur, non sit dispositus ad fructum illius recipiendum, posse Sacerdotem habere intentionem vel sibi, vel alteri fructum applicandi. 4. Improbendam esse praxim quorundam Sacerdotum, qui dum non habent stipendium Missam celebrant pro illo, quem Deus prævidet illis stipendium oblaturum, eique fructum tunc applicare intendunt; quia fieri potest ut ille tunc non egeat eo fructu, quem aliàs ex sacrificio sperabit; adeoque fiet ei injuria, si sacrum de novo pro illo non celebretur.*

RESOLUTIO VIII. *Per hoc sacrificium non confertur nisi effectus finitus tam intensivè, quàm extensivè: ita ut pro pluribus oblatum, non tantum profit singulis, quantum prodesset si offerretur pro paucioribus.* ] PRIMUM efficaciter suadetur à posteriori ex praxi Ecclesiæ, probantis consuetudinem fidelium, qui curant plura sacra fieri pro eodem defuncto. Hinc enim sequitur, per unicum sacrificium animas in purgatorio existentes, non semper remissionem totius poenæ, etsi finitæ assequi: ac proinde effectum hujus sacrificii non esse infinitum, quoad intensiorem.

A priori verò idem ostenditur, quia scilicet Christus instituens hoc sacrificium, non ei, sicut nec sacramentis, alligavit sua merita, ut produceret effectum infinitè intensum: tum quia homo non est capax infiniti effectus: tum quia quamvis esset, talis institutio non videretur rationi consentanea, ut perspicuum est.

*Secundum* ex dictis colligitur, nam si sacrum fiat pro uno tantum homine, totus fructus sacrificii illi applicatur: hic autem fructus est finitus quoad intensiorem: quare si in plures distribuatur, necessario singuli minùs ex eo participabunt, quàm si daretur paucioribus. *Confirmatur*, nam si sacrificium multis æqualiter prodesset, ergo & æqualem singulis conferret fructum et si offerretur pro longe majori multitudine. Unde sacrum nunquam esset specialiter celebrandum, pro hoc tantum particulari homine, sed generatim pro omnibus, eò quod talis intentio multum prodesset aliis, & non noceret illi qui sacrum fieri curaret. Hoc autem repugnat praxi Ecclesiæ, & communi piorum sensui. Unde collige, non posse Sacerdotem unius sacri celebratione, multis satisfacere, à quorum singulis accepit justum stipendium.

*Dices 1.* Videtur spectare ad dignitatem hujus sacrificii, in quo res oblata est infinita, & primarius offerens

DE EUCHARISTIA CAP. XI 189

offerens infinita dignitate pollet, ut effectus illius, saltem extensivè, sit infinitus. *Respondeo*, id non sequitur, quia aliud est valor sacrificii, aliud effectus illius: & quamvis ille sit infinitus, idem de isto dici non potest: quia sacrificium non habet vim agendi ex opere operato, nisi ex institutione Christi, qui agit liberè, & quantum vult. Aliàs æquè concluderetur, effectum huius sacrificii esse infinitè intensum.

*Dices 2.* Quando plures Sacerdotes eandem hostiam, & eundem calicem simul consecrant, possunt applicare cui voluerint, tantum fructum sacrificii, quantum applicarent si soli celebrarent. Unde si infiniti celebrarent, per idem sacrificium effectus extensivè infinitus conferretur. *Respondeo* id non sequitur, quia ibi essent tot sacrificia, quot Sacerdotes celebrantes; cum singuli consecrent independentè ab aliis & ut totales ministri. Nec refert quòd eadem sit hostia: oblationes enim quæ in actione consistunt, distinctæ sunt.

CAPUT XII.

*De quibusdam circumstantiis, & ceremoniis ad hoc sacrificium spectantibus.*

**R**ESOLUTIO I. *Singuli Sacerdotes tenentur aliquando in vita sacrum celebrare.* ] Ita colligitur ex Concilio Trident. *sess. 22. cap. 1.* *Observandum tamen 1.* præceptum hoc non esse ex jure divino, vel Ecclesiastico ad certos dies determinatum; adeoque probabiliter ei satisfacere Sacerdotem, qui aliquoties in vita sacrificat, etsi rutiùs sit pluries etiam singulis annis, sacrificium offerre, & ita consulendum sit.

*Observandum 2.* Feria V. ante Pascha, & Sabbatho Sancto licere quibuscunque Sacerdotibus Missam celebrare, ut patet ex praxi Ecclesiæ. Oppositum autem dicendum est de die Veneris Sancti, ex consensu Doctorum, & consuetudine ubique recepta. Porro officium quod peragitur ea die, non est sacrificium, quia

quia



quia Sacerdos non consecrat, sed utitur hostia præcedenti die consecrata, quam sumit cum vino non consecrato.

*Observandum 3.* Non licere Sacerdoti pluries in die sacrum facere, nisi in die Nativitatis Domini, & aliàs in casu necessitatis, ut patet ex Innoc. III. cap. Consulisti, de celebr. Missar. Verùm quia Pontifex non explicat, qualis debeat esse illa necessitas, varii casus ab authoribus notari solent, in quibus sacrum pluries posse fieri putant. Ut quando alicui imminet mortis periculum, nec potest Eucharistiam recipere, nisi Sacerdos iterum celebret: deinde quando Sacerdos præest duabus Parochiis, nec potest habere Vicarium qui in altera celebret: tunc enim ille potest, saltem diebus festis in utraque celebrare; item quando in die festo finito sacro, superveniunt peregrini qui Missam non audierunt. Ita tamen & similia non carent difficultate, saltem quoad praxim, ut intuenti patebit, supposita communi sententia qua docetur, non posse sacrum celebrari quacumque ex causa, nisi à jejuno.

*Observandum 4.* Non licere ordinariè sacrum facere ante auroram, ut patet ex regulis Missalis, & ex consuetudine. Dico *ordinariè*; nam ex privilegio potest tempus illud præveniri. Potest etiam Sacerdos in die Natalis Domini tres Missas celebrare, statim post mediam noctem, ut constat ex praxi.

Item aliàs ex rationabili causa, potest tempus auroræ paululum anticipari, ut ad iter faciendum, ad excipiendas confessiones, &c. Imò si danda esset communio graviter agrotanti, posset sacrum fieri una, aut altera hora ante auroram. Caterum licet Missa communiter ante meridiem inchoanda sit, potest interdum ex rationabili causa, sacrum paulò post meridiem inchoari. Et si Eucharistia in extremis posito administranda sit, poterit sacrum fieri hora prima, aut secunda post meridiem. Quod semper intellige, modo Sacerdos sit jejunos.

RE.

DE EUCHARISTIA. CAP. XII. 191

RESOLUTIO II. *Certus locus destinatus est ad celebrationem Missæ, extra quem sacrum fieri non potest.* ] Ut hoc intelligas, notandum est ex Theologis, talem locum esse triplicem; communem, proprium, & propriissimum. Communis est Ecclesia, proprius altare, propriissimus calix, in quo proximè sanguis Christi continetur.

Circa primum locum *notandum est 1.* Ad celebrationem Missæ satis esse, quòd locus sit consecratus, aut benedictus, aut certè ad cultum divinum ab Episcopo diœcesano designatus. Imò ex justa necessitate, potest sacrum fieri extra ejusmodi loca; ut contingit in castris. In nulla tamen occasione celebrare licet nisi habeatur saltem altare portatile ab Episcopo consecratum.

*Notandum 2.* Non licere sacrum facere in Ecclesia polluta, antequam purificetur. Potest tamen Episcopus ex gravi causa, dare facultatem celebrandi in ejusmodi Ecclesia. Imò tanta celebrandi necessitas occurrere potest, ut si non possit peti facultas ab Episcopo, sine illa celebrare liceat; ut si aliàs Moniales, verbi causa, non essent auditura sacrum die Paschatis. Polluitur autem Ecclesia per homicidium voluntarium & injuriosum, quale non est quod casu fit, aut per amentiam, aut ex justa defensione. Item per injuriosam sanguinis effusionem, si sit in magna quantitate. Et quando in ea sepelitur fidelis nominatim excommunicatus, aut publicus clerici percussor, vel paganus, seu infidelis non baptizatus, aut infans mortuus ante baptismum; aliisque de causis quæ apud Summistas videri possunt.

*Circa secundum locum dicendum est 1.* Ad celebrationem Missæ requiri altare lapideum, ab Episcopo consecratum. Non est autem de essentia hujus consecrationis, ut reliquiæ apponantur in lapide consecrato. Unde si appositæ postea deperdantur, non perit consecratio. Deperditur tamen quando lapis ita frangitur, ut calix & hostia in nulla illius

illius

illius parte aptè simul cohærere possint. Quòd si in aliqua parte utrumque sine periculo debite aptari potest, ea manet consecrata. Deperditur etiam consecratio in altari fixo, quando lapis superior ab inferioribus, quibus agglutinatus est, amovetur.

*Dicendum 2.* Multa requiri ad ornatum altaris, in quo sacrum fieri debet. In primis apponi debent duæ pallæ lineæ, super aram extensæ, vel saltem una plicata quæ duabus æquivalet: non tamen requiritur ut sint benedictæ. 2. Requiritur corporale benedictum ab Episcopo, vel alio habente privilegium. 3. Requiritur filiola ad cooperiendum calicem, quæ lineæ esse debet, & benedicta qua parte tangit calicem. 4. Requiritur lucerna ardens, quamvis autem ordinariè duæ candelæ accendi soleant; una tamen sufficit, & in gravi necessitate si candela cerea deficiat, potest sacrum fieri cum lucerna ex oleo accensâ, imò uti tunc licet candela ex sevo confecta, ut aliqui docent. 5. Altare cruce ornari solet, quanquam non sit peccatum mortale, sine scandalo aut contemptu eam prætermittere. 6. Requiritur Missale, propter periculum omittendi aliquid grave, ex lapsu memoriæ.

*Circa tertium locum* duo similiter statuenda sunt 1. Calicem cum patena necessarium esse, ut sacrum fiat. Licet autem calices ex auro, vel argento fieri soleant; non tamen id est necessarium, sed ex stanno fieri possunt. Sufficit etiam quòd cuppa sit ex dicta materia. licet pes sit ex alia, verbi causa, ex plumbo, vel aurichalco. Pixis fieri potest ex plumbo, & tunc debet intus apponi linteum benedictum, quod ab hostiis consecratis immediatè contingatur.

*Statuendum 2.* Requiritur ut calix sit consecratus ab Episcopo, vel ab alio cui hæc potestas à Summo Pontifice demandata sit. Hæc porrò consecratio deperditur 1. Si cuppa notabiliter frangatur, aut integra à pede per fractionem separatur. 2. Quando cuppa inte-

DE EUCHARISTIA CAP. XII. 195

rius inauratur, quo casu calix de novo consecrari debet. Eo quod auri substantia de novo addita, à speciebus sanguinis proximè contingi debet. Quod attinet ad Pixidem, etsi congruentius sit eam benedicere, nullo tamen jure id præceptum est.

RESOLUTIO III. *Ad celebrationem Missæ vestes quadam sacra requiruntur.* ] UT hoc clarus explicem. *Observandum 1.* Sacerdotem non posse, per se loquendo, citra peccatum mortale, sacrum facere nisi sit indutus quibusdam vestibus sacris; nimirum amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, & casula seu planeta.

*Observandum 2.* In gravi necessitate celebrandi, posse Sacerdotem sine aliqua ex minoribus vestibus, nempe cingulo, vel manipulo, aut etiam stola sacrum facere. Potest tamen Sacerdos in eo casu, uti stola pro manipulo; & vice versa, manipulo loco stolæ.

*Observandum 3.* Nunquam licere nisi in extrema necessitate, seu ob periculum propria mortis, sacrum facere omnes prædictas vestes prætermittendo. Si quis tamen in contemptum religionis, vellet cogere Sacerdotem ad celebrandum sine vestibus sacris, teneretur potius Sacerdos mortem sustinere, quam sine vestibus sacrum facere.

*Observandum 4.* Omnes ejusmodi vestes debere benedici, vel ab Episcopo, vel ab alio potestatem habente, antequam Sacerdos iis utatur. In gravi tamen necessitate, sicut licet sacrum facere sine aliquo ex minoribus indumentis, ita & cum aliquo ex illis, quod benedictum non sit.

*Observandum 5.* Harum vestium benedictionem deperdi, quando ita franguntur, ut amplius non sint aptæ ad usum, ad quem assumi solent. Unde si reficiantur, de novo sunt benedicendæ.

*Observandum 6.* Sacerdotem privatim communicantem laicorum more, non teneri, sub peccato mortali, stola uti. Nec refert quod in Concil. Brachar.

*can. 3.* præcipiatur Sacerdoti, ut oratione seu stola utatur rã in sumptione Eucharistiæ, quàm in oblatione sacrificii: lex enim illa communiter sic intelligitur, ut obliget sub mortali quoad usum stolæ in Missæ sacrificio, non autem in privata sumptione Eucharistiæ.

*Quæres,* quid dicendum sit de ministro, qui intervit ad altare. *Respondeo* 1. Unum ministrum sufficere, ut patet ex usu. Nec refert quod Sacerdos dicat, Dominus vobiscum, quia refert intentionem suam ad omnes fideles, qui sunt membra Ecclesiæ, sive sacro intersint, sive non. 2. In casu necessitatis posse Sacerdotem sine ullo ministro celebrare, & sibi ipsi ministrare; ut si periculum esset, ne quis moreretur sine viatico. 3. Etsi Moniales è choro respondere soleant, iis tamen non licere proximè ministrare, porrigendo aquam & vinum, aliaque præstando quæ à ministris fieri solent.

**RESOLUTIO IV.** *Ut sacrum dignè celebretur, requiritur per se loquendo status gratiæ: non tamen tenetur Sacerdos sub peccato mortali, recitare officium matutinum antequam celebret.* ] **PRIOR PARS** non habet difficultatem; tanta enim est divinitas hujus sacrificii, ut meritò ad debitam illius oblationem status gratiæ requiratur. Quò fit ut Sacerdos peccati mortalis reus, teneatur per se loquendo conteri, ut dignè hoc sacrificium offerat. Imò quia sumpturus est sacramentum Eucharistiæ, debet confessionem peccati mortalis præmittere, & secus faciens peccat mortaliter. Quando tamen confitetur, non est necessaria contritio, sed attritio vera & supernaturalis sufficit ad consequendam gratiam ut infra dicetur.

*Posterior pars ostenditur,* quia si tenetur Sacerdos sub peccato mortali, recitare Matutinum ante Missam, hoc fit ex vi alicujus præcepti hac de re impositi, quod cum aliquo fundamento dici non potest, cum tale præceptum nullibi extet.

*Dices* 1. In Missali Romano præcipi, ut Sacerdos  
sacrum

DE EUCHARISTIA CAP. XII. 195

sacrum non faciat, nisi absoluto matutino penso. *Respondendo* ibi nullum esse verbum ex quo præceptum colligi possit; sed sicut monentur Sacerdotes, ut orationi vacent antequam Missam celebrent, ita & ut Matutinum recitent. Unde sicut non est peccatum mortale, preces illas omittere ante sacrum, ita neque ille peccat mortaliter qui Missam celebrat antequam horas matutinas recitaverit

*Dices* 2. Præceptum illud videtur consuetudine introductum: cum matutinum recitari soleat ante sacrum *Sed contra*: nam multi viri docti & pii existimant, ordinem illum non esse consuetudine receptum, ut obligantem sub mortali: & oppositum efficaciter probari non posse. *Confirmatur*: nam alias cum ex recepta consuetudine, ordo seruetur inter horas Canonicas, dicendum esset eum qui talem ordinem invertit, recitando verbi causa, Sextam post Nonam, peccare mortaliter; quod tamen communi Theologorum sensui repugnat.

RESOLUTIO V. *Defectus essentialis in Missa occurrens, aut sumptionem impediens, suppleri debet. Imò interdum accidentalis, quamvis non semper.* ]

PRIMA PARS est manifesta, quia quòd sacrificium essentialiter imperfectum maneat, est res per se mala, atque ad eò vitanda, suppledo defectum essentialē qui cōtigit.

Hinc si Sacerdos post consecrationem advertat, in calice non esse nisi aquam, debet curare ut vinum apponatur, illudque statim consecrare, incipiendo à verbis illis, Simili modo, &c. Quòd si id non advertat, nisi post sumptionem hostiæ consecratæ, satis est si consecretur vinum, quia sola illius consecratio omissa fuerat. Si verò id non observet, donec aquam in ore habuerit, debet eam deglutire, & vinum nihilominus consecrare, & sumere, esto non sit jejunus.

*Secunda pars suadetur*, quia licet sumptio non sit de essentia sacrificii, pertinet aliquo modo ad integritatem illius, & cadit sub præceptum divinum;

quare sacrificans curare debet, in utraque species consecrata consumatur.

Hinc si aranea in calicem consecratum cadat, debet Sacerdos eam lavare, & comburere, illiusque cineres cum aqua in piscinam projicere, species verò consecratas, si eas sine periculo sumere nequeat, stappa imbibere, quæ postmodum exsiccata comburenda est, illiusque cineres in piscinam projiciendi. Porro ad perfectionem sacrificii, Sacerdos aliud vinum cum aqua in calicem infundat, illudque consecret & sumat.

Deinde quando totus sanguis effunditur, vinum de novo consecrandum est. Quod si sanguis cadat supra alinteamina altaris. Sacerdos ea ter abluat calice supposito, & abluitionem sumat, vel in piscinam projiciat. Si supra lapidem consecratum, eum lambat, & decenter abstergat. Si verò sanguis super terram fluat, ille stappa aut panno imbibendus, terraque radenda, & rasuræ in ignem projiciendæ, earumque cineres in piscinam mittendi.

Rursus si Sacerdos post consecrationem moriatur aut aliter nequeat sacrum perficere, tenetur alius Sacerdos si adsit, esto jejunus non sit, defectum illum supplere. Unde si hostia tantum est consecrata, sufficit quòd alter vinum consecret, & reliqua persequatur usque ad finem. Si verò utraque species est consecrata, nihil consecrandum est, sed consumptio utriusque facienda, vel tantum alterius; si una consumpta fuit.

*Tertia pars ostenditur, quia inter defectus accidentales, unus est altero gravior, quòd fit ut unus interdum supplendus sit, non alius. Exemplis declaratur, si Sacerdos Latinus ante consecrationem advertat, panem quem habet esse fermentatum, curare debet ut afferatur azimus, & si illius copia non sit, à perficiendo sacro desistere. Et idem dicendum si aqua vino admixta non fuerit, neque aliunde haberi possit. Quia satius est sacrum, nondum substantialiter inchoatum*

DE EUCHARISTIA CAP. XII. 197

choatum minime perficere, quam illud cum gravi defectu, et si non substantiali absolvere.

Rursus si quis recitato Evangelio, probe advertat se omisisse epistolam, non debet defectum illum supplere, sed reliqua persequi: quia alias epistola esset ordine præposito recitanda, aut certe Evangelium repetendum esset, quod valde incongruum est, & vix scandalum vitare potest, si quis sacro intersit. Idem dic de aliis omissionibus, si ve verborum non essentialium, si ve actionum quarundam ad ritum accidentalem attinentium, qualis est genuflexio, aut capitis inclinatio, & sic de reliquis.

RESOLUTIO VI. *Sacerdos ratione justis stipendii accepti, tenetur ex justitia sacrum facere.* ] RATIO EST, quia contractus onerosus hic intervenit, do ut facias. Neque propterea Sacerdos simoniam committit, quia non accipit stipendium in pretium ipsius Missæ, sed ob ipsi debitam ex jure naturæ, convenientem sustentationem.

*Ubi nota 1.* Sacerdotem teneri unum facere sacrum pro uno stipendio, si justum & adæquatum sit, ita ut ipsi non liceat duobus ejusmodi stipendiis acceptis, unico sacro satisfacere. Dicitur autem alicubi justum stipendium, vel quod à superiore taxatum est, vel quod communiter ibi dari solet, ab iis qui Missas fieri curant.

*Nota 2.* Etiam Sacerdotes divites posse justum stipendium pro sacro accipere; non enim stipendium datur pauperi quia pauper est: sed quia illi debetur ex justitia, eò quòd in gratiam alterius Missæ celebrationi vacat; hæc autem ratio æquè habet locum in divitibus.

*Nota 3.* Parochos ut sic non teneri sacra facere pro suis subditis, adeoque posse stipendia accipere pro Missis quas celebravit. Non enim constat eos sustentari ex bonis subditorum in eum finem, cum multa alia peragant, propter quæ sustentatio congrua justè iis debetur. Tenentur tamen per se, vel per alios



sacrum facere in propria Parochia, iis saltem diebus quibus alii tenentur audire sacrum.

*Nota 4.* Ex Concilio Trident. *sess. 25. cap. 4.* de reformat. quando tantus est sacrorum numerus ut unicuique non respondeat justum stipendium, aut ob paucitatem Sacerdotum illis omnibus satisfieri non possit, Episcopos in Synodo diocesana, & Abbates ac Generales Ordinum in suis capitulis re diligenter perspecta, posse pro sua conscientia statuere, quicquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire: *Verum quidem advertunt*, Summum Pontificem Urbanum VIII. tunc existentem, potestatem illam sibi reservasse, simulque prohibuisse, ne Sacerdos qui Missam suscepit celebrandam sub certa eleemosyna, eandem Missam alteri, parte eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

**RESOLUTIO VII.** *Fideles adulti tenentur ex præcepto audire Missam Dominicis, & festis diebus.* ] DE hoc non est difficultas. Quare *notandum* 1. Præceptum illud esse de re gravi: adeoque peccare mortaliter eum, qui sine justa causa voluntariè illud omittit. 2. Per illud homines obligari ad audiendam Missam integram, ita ut peccatum sit mortale, omittere partem illius notabilem, verbi causa, Evangelium cum iis quæ præcedunt. 3. Probabile esse eum huic præcepto non satisfacere, qui audit unam partem unius Missæ, & aliam partem alterius; quia hoc non est audire Missam in rigore loquendo. 4. Præceptum illud non impleri, quando voluntariè non habetur attentio, vel ad ea quæ peraguntur, vel ad sacrum aliquod mysterium.

*Quæres*, quanam causæ excusent à peccato, eos qui diebus præcepti Missam non audiunt. *Respondet* multa esse, nempe 1. Impotentiam corporalem, ut dum quis propter aegritudinem non potest ad Ecclesiam se conferre. 2. Impotentiam moralem, ut dum quis Missam audire nequit, sine jactura boni temporalis. 3.

ralis. 3. Impotentiam spiritualem, ut si quis sit excommunicatus, vel interdictus 4. Obedientiam, ut dum famulus nequit, Missam audire, & simul exequi quod ipsi ab hero suo præceptum est. 5. Consuetudinem in Ecclesia receptam & approbatam, ut dum mulier aliquot diebus à partu, ab ingressu Ecclesiæ abstinet. 6. Charitatem, ut dum quis omittit sacrum, ut inserviat ægroto, quem sine incommodo deferere non potest. Plura videri possunt apud Summistas.

## LIBER III.

DE POENITENTIA  
ET EXTREMA  
Vnctione.

## CAPUT I.

*De Sacramento Pœnitentiæ secundum se.*

**R**ESOLUTIO I. *Pœnitentiæ est Sacramentum nova legi, à Baptismo distinctum.* QUOD sit Sacramentum patet, tum ex Concilio Trident. *sess. 14. can. 1.* tum quia ad constituendum novæ legis Sacramentum, duo sunt necessaria, & sufficiunt; nimirum promissio gratiæ, & symbolum externum cui gratia annexa est. Hæc autem duo in pœnitentiâ reperiuntur, ut apertè colligitur ex verbis illis Christi *Joan. 10.* Quorum remisistis peccata, remittuntur eis: promissio enim gratiæ continetur in remissione peccatorum; eò quòd peccata non remittuntur sine infusione gratiæ. Symbolum etiam externum apertè subintelligitur, tum ex parte absolventis, quia homines non possunt intelligere sibi remitti peccata: nisi signo aliquo externo ejusmodi remissio fiat,

tum ex parte pœnitentis, quia à peccato absolvi nequit, nisi qui signo aliquo se reum esse peccati testatur, & de illo dolere. Ergo nihil deest pœnitentiæ ad rationem sacramenti.

Quòd verò pœnitentiæ sit sacramentum distinctum à baptismo *probat*, tum ex eodem Concilio *sess. 14. can. 25.* tum ratione: nam ea distincta sunt sacramenta, quæ habent partes essentielles, effectus, & fines distinctos: atqui pœnitentiæ habet partes essentielles, effectus, & finem distinctum à partibus essentialibus, effectu, & fine baptismi: ergo pœnitentiæ, & baptismus sunt sacramenta distincta. Major est indubitata: Minor suadetur quoad singulas partes, in primis Pœnitentiæ sacramentum constat ex actibus pœnitentis, & Sacerdotis absolutione, ut ex partibus essentialibus, ut postea ostendemus. At Baptismus essentialiter componitur ex ablutione, & verbis illis, Ego te baptizo, &c. Deinde Pœnitentiæ remittit tantum peccata actualia post baptismum commissa, & ut plurimum partem pœnæ duntaxat: Baptismus verò remittit tam peccatum originale, quam actualia ante illius susceptionem patrata, & præterea totam pœnam illis debitam. Hinc tertio Baptismus institutus est, ut nos primò in Christo generet: Pœnitentiæ verò ut nos, amissa gratia seu vita baptismali, spiritualiter regeneret: quæ propterea à Patribus merito appellatur, secunda post naufragium tabula.

*Nota* ex communi sententia, hoc sacramentum fuisse institutum, *Joan. 20.* quando Christus post Resurrectionem dedit Apostolis peccata remittendi, & retinendi potestatem, ut patet ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 1.* ubi dicitur, tunc præcipue institutionem illam fuisse peractam; quo loquendi modo aperte indicatur, eam alias fuisse inceptam; nimirum quando Christus *Matth. 18.* dixit ad Apostolos. Quicumque alligaveritis super terram, &c. Et in nocte cœnæ, quo tempore illos de futuro Ecclesiæ statu, & de

DE POENITENTIA CAP. I. 201

de sacramentis vel à se hæctenus institutis, vel instituendis instruxit.

RESOLUTIO II. *Materia remota sacramenti Poenitentia, sunt peccata actualia post baptismum commissa.*

DICO primo, peccata actualia, ut comprehendam tum peccata mortalia, ad quæ præsertim tollenda institutum est hoc sacramentum, ex Concil. Trident. *sess. 14.* per varia capita, tum peccata venialia, quæ ut ait idem Concil. *cap. 5. sess.* citatæ rectè. utiliter, citraque omnem præsumptionem dici possunt in Confessione, ut patet ex piorum hominum usu; esto sine culpa tacere, & multis aliis remediis expiari queant. Tum denique peccata aliàs confessa, quæ etiam non sint materia necessaria hujus sacramenti; sunt tamen materia sufficiens etiam per se sola, ut liquet ex *praxi*, de qua infra *resol. 4.*

*Dico secundo, post baptismum commissa*, ut excludam tum peccatum originale, quod cum propria voluntate commissum non sit, non est materia hujus sacramenti, utpote instituti per modum iudicii, adeoque exigit materiam propriæ accusationis; tum peccata actualia ante baptismum patrata: cum enim non baptizatus ad Ecclesiæ jurisdictionem non pertineat, illius peccata clavibus Ecclesiæ subdi nequeunt: tum denique pœnam temporalem ex remissione præcedentium delictorum relictam; accusatio enim fieri debet de culpa commissa, qualis non est pœna illa.

*Nota primò* materiam proximam hujus sacramenti esse actus poenitentis; videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, ut sumitur ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 3.* Ratio idem ostendit: nam in primis cum in hoc sacramento peccata remittantur, ratio postulat ut ea displiceant, & cum dolore recitentur, non autem per modum cuiusdam historię. Item quia hic intervenit iudicium voluntarium, institutum ad salutem peccatoris, requiritur ut ipsemet peccata per confessionem manifestet.

settet. Et tandem quia iudicium non est undequa- que perfectum, nisi à iudice pœna infligatur ob commissam delictum: idcirco imponitur satis- factio.

*Nota secundò ex communi sententia, contritio- nem aliquam & confessionem esse de essentia hu- jus sacramenti, non tamen satisfactionem: quia hæc interdum non imponitur, ut si moribundus ab- solvatur; & gratia confertur per absolutionem, etsi nondum imposita sit satisfactio, vel executioni man- data. Verùm etsi hinc probetur actualem injunctio- nem, aut executionem satisfactionis non esse de es- sentia huius sacramenti: puto tamen ad illius essen- tiam spectare preparationem quandam animi, qua pœnitens paratus sit pœnam aliquam subire pro peccatis commissis; siquidem in hoc iudicio non in- tervenit mera peccatorum indulgentia; sed quædam adjuncta est vindicatio, de cuius ratione est, ut reus paratus sit pœnam aliquam subire, si ipsi à iudice imponatur.*

**RESOLUTIO III.** *Forma absolutionis sunt verba illa, Ego te absolvo à peccatis tuis, &c. Sufficiunt autem ad essentiam dua illa voces, absolvo te, qua proferri debent circa præsentem, ut licita sit absolutio, imò & valida.* ]  
PRIMA PARS constat tum ex Conciliis Florent. & Trident. tum ex usu Ecclesiæ.

*Secunda pars ostenditur, quia si verba illa non suffi- ciunt, ideò est quia verbum absolvo, non est satis de- terminatum, cum possit significare absolutionem à censura, vel à culpa, vel à pœna. Verùm hæc ratio est parvi momenti, quia supposita confessione peccato- rum, absolutio super illam cadens sufficienter intel- ligitur de peccatis confessis; neque opus est in ipsa absolutionis forma, expressam eorum mentionem fieri.*

*Nota verborum illorum, Ego te absolvo, &c. sen- sum esse, ego tibi conferò gratiam sanctificantem, quæ ex se peccata remittit; quia videlicet remissio*  
pecca-

DE POENITENTIA CAP. I. 203

peccatorum, quæ tribuitur in hoc sacramento, quæque explicitè per verba formæ significatur, non fit nisi per gratiam. Unde colligitur veram esse formam, et si accedens ad hoc sacramentum, à peccatis liber fit; quia sensus est, ego tibi confero gratiam sanctificantem, quæ ex se peccata, si quæ sunt in subiecto, remittit.

*Tertia pars suadetur*, ex definitione Clementis VIII. qui hanc propositionem, Licet per litteras aut internuncium, confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; ad minus ut falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, & prohibuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & sibi reservata, ne deinceps publicis, privatisve lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur; neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.

*Quarta denique pars* etsi non sit tam certa, ac præcedens, ea ratione probatur: quia ex communi sensu Ecclesiæ, & Theologorum verba propriè dicta ad essentiam hujus formæ requiruntur: verba autem non diriguntur ad absentes, sed ad præsentem, qui audire possunt. Quod maximè verum est de verbis absolutionis, in quibus continetur particula, te, quæ personam præsentem denotat; ad eum modum quo aliàs diximus pronomen, hoc, in forma consecrationis, in absentem materiam cadere nō posse.

Idem etiam colligitur ex citata definitione Clement. VIII. qua etsi videantur damnari tantum illi, qui docent licere absentem absolvere, verisimile tamen est eam etiam procedere contra illos, qui dicunt absolutionem datam absenti, etsi illicitam valere; quia si valida esset hujusmodi absolutio, non prohiberet Pontifex eam dari absenti, saltem in extrema necessitate. Quare cum in nullo casu eam dari velit, manifestum est indicium ejusmodi ab-

di absolutionem non habere, quicquid ad valorem illius necessarium est.

RESOLUTIO IV. *Hoc sacramentum iterari potest, quoties homo peccaverit; imò absolutio pluries dari potest super idem peccatum; licet non super eandem illius confessionem.* ] PRIMA PARS PROBATUR, tum ex Concilio Lateran. cap. 1. de summa Trinit. & fide Catholica, & ex Trident. sess. 14. can. 1. tum quia regula generalis est, nulla peccata mortalia remitti post baptismum, nisi in ordine ad claves Ecclesiae, quod non magis de primo, quam de sequentibus peccatis intelligi potest; cum verba illa Joan 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, ad omnia peccata se extendant.

Tum quia ante sacramentorum institutionem; quoties homo peccabat, toties illi licebat ad virtutem poenitentiae, ut ad sacram anchoram confugere, imò peccatorum remissio aliter obtineri non poterat, cum poenitentia nullam habeat vim ad obtinendam futurorum peccatorum remissionem; sed ad eam tantum delenda quae prius patrata fuerant. Ita ergo cum hoc sacramentum virtuti poenitentiae succederet; quoties homo peccat, toties ad illud accedere potest, ut peccatorum remissionem consequatur.

*Secunda pars probatur:* nam sicut homo sapius dolere potest de eodem peccato, illudque confiteri, & pro eo satisfacere; ita potest semel & iterum, & saepius absolutionem illius obtinere. Licet enim ex suppositione idem peccatum sit, non est tamen eadem illius confessio; & sic plures formae non cadunt in eandem materiam proximam, sed in diversas; quod non minus licitum est, quam eadem aqua numero plures homines baptizare. Et hanc assertionem efficaciter confirmat Ecclesiae praxis, qua videmus homines doctos & timoratos, idem peccatum saepius confiteri, & confessarios eis semper absolutionem impertiri, qui maximus esset

error

DE POENITENTIA. CAP. II. 205  
error, si nefas esset idem peccatum pluries Ecclesie  
clavibus subicere.

*Tertia pars ostenditur*, quia absolutio semel valide  
prolata circa unam confessionem, habet totum ef-  
fectum quem habere potest. Quare sicut Sacerdos  
post verba consecrationis semel ritè prolata super  
materiam præsentem, perperam ageret, si iterum  
eadem verba proferret; quia nimirum priora ver-  
ba habuerant totum effectum ad quem sunt institu-  
ta. Ita qui unicam confessionem pœnitentis audi-  
vit, non debet nisi semel absolutionem illi impen-  
dere; cùm ea unica sit materia sacramenti pœniten-  
tiæ, cui unica tantum forma respondere debet.

## C A P U T II.

*De prima parte Sacramenti Pœnitentiæ, qua est  
contritio.*

**R**ESOLUTIO I. *Ad valorem sacramenti sufficit  
contritio illa imperfecta, qua dicitur attritio.* PRO-  
BATUR I. ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 4.* quate-  
nus ait, per attritionem disponi hominem ad gratiã  
in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam: non enim  
ad hoc disponderet, si sacramentum ex ea constans nõ  
esset validum. 2. *Ratione*, nam hoc sacramentum in-  
stitutum est, ad primam gratiam conferendam per  
se, & vi sua, seu ex opere operato. At nunquam con-  
ferret primam gratiam, si ad valorem illius esset  
prærequisita, ex parte pœnitentis, vera contritio;  
quia ex communi sententia eodem instanti quo quis  
conteritur, gratia sanctificans ipsi infunditur. Quare  
cùm confessio dolorosa semper præcedat absolutio-  
nem, si dolor ille necessariò est contritio, aperte se-  
quitur pœnitentem nunquam justificari per absolu-  
tionem, sed per eam semper accipere augmentum  
gratiæ; quod à communi sensu alienum est.

*Dices 1.* Dolor requisitus ad valorem hujus sacra-  
menti, est supernaturalis, ex dicendis; atqui attritio



non est dolor supernaturalis, cum quis naturæ viribus de peccato commisso, ob illius foeditatem, aut metum pœnæ dolere possit. Ergo ut sacramentum valeat, necessaria est contritio.

*Respondeo* nos posse habere attritionem aliquam naturalem de peccatis, ex motivo naturali. At verò præter illam, datur alia etiam imperfecta respectu contritionis, quæ tamen non concipitur, nisi ex motivo supernaturali. Unde Concilium Trident. de ea attritione agens loco citato, dicit, eam Dei donum esse, & Spiritus sancti impulsu, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis. Et de hac posteriori nos tantum agimus.

*Dices 2.* Dolor necessarius ad valorem sacramenti, debet se extendere ad omnia peccata commissa, ut infra probabitur; sola autem contritio se extendit ad omnia peccata, ex vi sui motivi; quia in eis consideratur rationem aliquam communem, quod scilicet amicitiam divinam dissolvant. Attritio verò orta ex foeditate alicujus peccati, ex vi motivi non se extendit ad alia peccata, cum non repugnet aliquem simul ebrietatem detestari; & de peccato avaritiæ, aut luxuriæ minimè dolere. Ergo ejusmodi dolor est insufficientis ad valorem sacramenti.

*Respondeo*, hoc argumentum nihil concludere contra attritionem illam, quæ concipitur ex metu gehennæ, aut ex amore beatitudinis, vel ex foeditate peccati in genere. Cum enim peccata omnia mortalia id habeant commune, ut singula æternis suppliciis hominem addicant, & privent beatitudine, & foeditatem quandam rationi fide illustratæ repugnantem habeant; hinc fit ut qui ex metu gehennæ, aut ex amore beatitudinis, vel ex ipsa peccati foeditate in genere, unum peccatum detestatur, censeatur ex vi motivi illius detestari virtualiter omnia; & idem dic de aliis similibus motivis.

RESOLUTIO II. *Ut sacramentum valeat, necessaria est contritio seu attritio formalis, eaque efficax, seu*  
*conjuncta*

DE POENITENTIA CAP. II. 207

*conjunctum habens propositum non peccandi de cetero.]*  
 PRIOR PARS PROBATUR, quia Concilia expresse docent contritionem, confessionem, & satisfactionem esse partes hujus sacramenti, atqui actus virtualiter continens contritionem, non solet appellari contritio: Ergo id de formali contritione accipiendum est: aliàs dici posset sufficere confessionem virtuales, quod falsum est.

*Accedit ratio:* nam ille dolor necessarius est ad valorem sacramenti, qui requiritur ad effectum illius: at non potest quis peccatorum suorum memor, qualis ille est qui ea confitetur, justificari sine dolore formali: ergo neque hoc sacramentum sine tali dolore validum est. Major tum ex dictis, tum ex dicendis satis intelligi potest. Minor suadetur: nam si quis actus præter dolorem formalem, sufficit ad justificationem peccatoris, ille sine dubio est actus amoris Dei super omnia, atqui memor suorum peccatorum non potest elicere actum amoris Dei super omnia, quin statim quadam veluti necessitate inductus, formaliter peccata sua detestetur; quia actus ille cum sit perfecta ad Deum conversio, eminenter continet formalem aversionem à peccato, & cum efficax sit, statim atque peccatum memoriæ occurrit, voluntatem inclinât ad illud detestandum: sicut efficax intentio finis movet illam, ad media necessaria eligenda.

Et sanè credi vix potest, eum diligere Deum super omnia, qui actu cogitans se eum graviter offendisse, non illico movetur actu aliquo formali ad delendâ, quantum fieri potest, ejusmodi offensam: amor enim si verus est, & efficax, ut hîc supponitur, sine mora movet voluntatem ad destruendum id quod rei amata displicet, ejusque amicitiam dissolvit. Hinc ergo evidens relinquitur, non posse hominem justificari in sacramento Pœnitentiæ, sine dolore aliquo formali: atque ad eò talem dolorem esse de essentia hujus sacramenti.

*Posterius*

*Posterior pars ostenditur, tum ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. tum quia dolor requisitus ad valorem sacramenti, talis esse debet, ut sufficiat ad illius effectum, ut dictum est: at dolor qui non habet adjunctum firmum propositum vitandi de cætero peccata: sed solam velleitatem, non est talis ut sufficiat ad effectum hujus sacramenti, qui in reconciliatione consistit: ergo non sufficit ad valorem illius. Probatur minor, tum quia Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. inter dispositiones ad justificationem necessarias, numerat propositum servandi divina præcepta, seu non peccandi mortaliter: tum quia omnes docent hominem non justificari, nisi prius ad Deum convertatur: non dicitur autem converti per detestationem peccati præteriti, nisi ea adjunctum habeat propositum emendandi vitam: siquidem conversio propriè est mutatio continens terminum à quo, & ad quem, quorum prior est recessus à malo per detestationem, posterior verò accessus ad bonum, per propositum servandi legem divinam. & peccata cavendi: tum denique quia hoc Deus præcipue intendit in sacramento Pœnitentiæ, ut homo in posterum vitam rectè instituat. Quare merito in justificatione, ab illo exigit propositum novæ vitæ.*

*Objicies, confessio quæ fit cum velleitate non peccandi, habet rationem accusationis dolorosæ: atqui talis accusatio ad valorem sacramenti sufficit. Ergo, &c. Resp. ad valorem sacramenti nõ sufficere quamcumque accusationem dolorosam: sed eam tantum quæ tendit ad reconciliationem. Ea autem non verè tendit ad reconciliationem, quæ cum peccandi voluntate, atque adeò cum actuali peccato mortali conjuncta esse potest: cujusmodi est illa confessio, quæ fit cum sola velleitate non peccandi.*

**RESOLUTIO III.** *Ut sacramentum valeat, requiritur contritio seu attritio supernaturalis, quæque verè, & non tantum quoad existimationem talis sit.]*

PRIOR

PRIOR PARS probatur evidenter ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 4.* ubi in primis dicitur, hanc attritionem esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsam: non quidem inhabitantis, sed tantum moventis. Secundo eam in sacramento disponere hominem, ut divinam gratiam consequatur: non disponderet autem ad gratiam, nisi esset supernaturalis, ut liquet ex dictis in tract. de gratia.

*Ratione etiam ostenditur;* nam illud haud dubiè requiritur ad valorem sacramenti, quod necessarium est ad veritatem formæ; atqui ad veritatem formæ sacramenti Pœnitentiæ requiritur, ut pœnitens effectum consequatur, ut patet ex supradictis: non potest autem via ordinaria illum recipere, quin habeat attritionem supernaturalem. Ergo de primo ad ultimum, ad valorem hujus sacramenti, necessaria est attritio supernaturalis.

*Dices,* in aliis sacramentis materia est res aliqua naturalis ordinis, ut inductione constat. Idem ergo dicendum de materia sacramenti Pœnitentiæ. *Respondet* non sequi, quia cum sacramenta liberè à Christo instituta sint, ex eo quòd aliqua instituit in materia naturali, non potest inferri, idem sentiendum esse de sacramento Pœnitentiæ. Argumentum enim à simili non valet, in iis quæ pendent à voluntate alterius; aliàs dicendum esset, quòd sicut in aliis sacramentis est materia quædam externa & sensibilis, omnino distincta ab actibus suscipientis; ita sacramentum Pœnitentiæ ex aliqua ejusmodi materia constare debet.

*Posterior pars* sequitur ex dictis: nam attritio requisita ad valorem sacramenti, est donum Spiritus sancti, quod dici non potest de attritione naturali, quæ falsò existimatur supernaturalis, sed de ea tantum quæ verè talis est.

Deinde ut quis gratiam consequatur, necessaria ipsi est attritio, quæ sit verè supernaturalis, & non tantum

tantum

tantum quoad existimationem. Cùm ergo valere nequeat hoc sacramentum, nisi gratia per illud conferatur; perspicuum est ad valorem illius, attritionem verè supernaturalem esse necessariam.

*Objicies*, esto dolor naturalis non sufficiat per se loquendo; negari tamen non debet, quin per accidens sufficiat. Nimirum, si adhibita sufficienti diligentia, existimetur supernaturalis & sufficiens, falsaque existimatio ex invincibili ignorantia oriatur. Etenim qui ita dispositus ad sacramentum accedit, non tenetur postea confessionem iterare; aliàs nunquam essemus securi de confessione ritè peracta, & conscientia nostra continuò scrupulis agigaretur. Cùm ergo per talem confessionem satisfiat præcepto confessionis, signum est eam ad valorem sacramenti sufficere.

*Respondeo*, falsam illam existimationem excusare quidem à culpa, non tamen efficere, ut dolor qui ex se non sufficit ad valorem sacramenti, à parte rei ad illum sufficiat. Quemadmodum aqua non sufficit ad calicis consecrationem, etsi quis existimet esse vinum album. Unde qui cum tali dolore confiteretur, manet per se loquendo obligatus ad confessionem iterandam. Verùm si semper in bona illa fide permaneat; sicut non peccavit cum ea ad sacramentum accedens, ita ab iteranda confessione excusabitur. Hocque sufficit ad pacandas conscientias; præsertim cum peccata invalidè tunc confessa, per sequentes confessiones, aut per contritionem tolli possint.

RESOLUTIO IV. *Ut hoc sacramentum valeat, necesse est ut dolor se extendat ad omnia peccata mortalia, quæ in confessione proponuntur, & ad alia commissa, si quæ inculpabiliter in confessione omittuntur.* ] RATIO prioris partis sumenda est ex dictis: nam sacramentū Pœnitentiæ valere nequit, nisi forma illius sit vera: adeoque nisi adsit sufficiens attritio ad justificationem obtinendam. Atqui ea attritio quæ non se extendit

DE POENITENTIA. CAP. II. 211

tendit ad omnia peccata mortalia confessa, non est dispositio sufficiens ad justificationem: siquidem, nullum peccatum mortale remittitur ex lege ordinaria, nisi de eo quis doleat: uno autem peccato mortali non remisso, cætera de quibus habetur dolor, ex eadem lege remitti nequeunt. Quare sacramentum Pœnitentiæ stare nequit, nisi dolor se extendat, saltem virtualiter, ad omnia peccata mortalia confessa.

*Cæterum* in ista assertionem loquimur tantum de peccatis mortalibus: nam quod spectat ad venialia, eorum confessio valida esse potest, etsi attritio ad ea omnia se non extendat, sed tantum ad aliqua: sicut enim unum remitti potest sine alio, ita attritio se extendens ad unum, non ad aliud, valere potest; ut vera sit forma sacramenti, quæ significat actualem remissionem & collationem gratiæ. Si verò non habetur attritio, vel unius peccati venialis confessi, sacramentum est invalidum, & qui ita confitetur, per se loquendo, peccat mortaliter: quia etsi non teneatur absolute confiteri venialia; ex hypothesi tamen quod ea confitetur, debet apponere ex parte sua, quæ requiruntur ad valorem sacramenti.

*Ratio posterioris partis* eadem est ac præcedentis, qua nemo potest consequi remissionem peccati etiam inculpabiliter omissi, nisi de eo doleat; Ergo si talis dolor non adfit, forma sacramenti nequit esse vera, atque adeo sacramentum ipsum valere non potest.

*Hinc collige*, eum qui commisit adulterium, & furtum; & solum adulterium confitetur, ac de eo dolet. propter specialem foeditatem illius, non absolvi valide, etsi furtum inculpabiliter omittat. *Cujus ratio est*, quia dolor conceptus ex speciali turpitudine adulterii, non se extendit, etiam virtualiter ad peccatum furti: quoniam fieri potest ut quis detestetur adulterium, ratione specialis foeditatis quam secum trahit,

trahit,

trahit, & tamen ad furtum affectus sit. Quare qui o-  
mittit aliquod peccatum mortale in confessione,  
ut sacramentum valeat, debet detestari peccata  
quæ confitetur, ex motivo aliquo generali, quod  
saltem virtualiter se extendat ad peccata etiam præ-  
termissa.

RESOLUTIO V. *Confessio valet, etsi attritio eam  
tempore præcedat. Imò ut valeat, attritio debet eam præ-  
cedere, idque non modo natura, sed etiam tempore.* ] PRI-  
MA PARS PROBATUR ex praxi: nam cum aliquis  
conscientiam examinat, & de peccatis commissis at-  
teritur, in ordine ad confessionem instituendam; si  
postea contingat, ut dum peccata Sacerdoti recitat,  
aut ab eo absoluitur, nullum actum doloris eliciat;  
omnes existimant eum validè absolvi, eo quod do-  
lor præcedens, cujus virtute fit confessio, censetur  
virtualiter perseverare, & confessio ipsa est verum  
illius signum. Quare sicut validè quis hodie absol-  
vitur, etsi hesternæ die confessus fuerit; ita validè  
confessionem instituit, etsi attritio ad valorem il-  
lius necessaria præcesserit; quia nimirum in his mo-  
ralibus, conjunctio moralis sufficit, ex communi sen-  
tentia.

*Secunda pars ostenditur*, quia ut valeat confessio,  
ea debet esse signum doloris interni, & vice versa  
dolor internus per eam significari debet. Confessio  
enim non est valida, nisi sit dolorosa, lachrymabilis,  
& ad reconciliationem tendens, quod non habet  
per seipsam, ut est nuda peccatorum narratio, sed  
quatenus jungitur cum dolore interno, eumque  
exteriùs manifestat. Hoc autem fieri non potest, nisi  
dolor ipse confessionem præcedat: ut enim confes-  
sio sit interni doloris signum, ab eo procedere de-  
bet, quia si actus illi sint omnino disparati, nec at-  
tritio sit causa confessionis; non magis dici poterit,  
confessionem esse signum attritionis, quàm cujus-  
vis actus interni, cum quo nullam connexionem  
habet. Siquidem simplex & historica peccatorum  
narratio,

DE POENITENTIA. CAP. II. 213

narratio, ex se formaliter non magis dolorem, quàm alium actum significat; si ergo dolorem significat, hoc habet quatenus ab eo procedit, quod fieri non potest, nisi dolor ipse aliqua ratione præcedat.

*Tertia pars probatur ex jam dictis: nam ut valeat confessio, necesse est ut pœnitens velit confiteri, non quavis ex causa, sed ex motivo attritionis. Hoc autem fieri non potest, nisi attritio præcedat saltem naturam voluntatem confitendi. Rursus, voluntas ista confessionis instituendæ, est prior ipsa actuali confessione, non solum natura, sed etiam tempore: siquidem actus voluntatis elicitur in testanti, & confessio non potest fieri nisi in tempore. Cum igitur attritio sit prior voluntate confitendi, à fortiori ea debet esse prior actuali ipsa confessione.*

*Verum contra jam dicta arguitur, ex usu communi confessariorum, & pœnitentium qui post absolutam peccatorum confessionem, ad generalem eorum attritionem excitari solent: idque censetur ex hac parte sufficiens, ut ritè & rectè detur absolutio, sive dolor confessionem præcesserit, sive non.*

*Respondeo, ut praxis ista sit utilis, quando confessio sine sufficienti dolore facta est, non tantum curandum esse, ut pœnitens dolorem concipiat de peccatis antea confessis, sed etiam ut saltem virtualiter ipsam confessionem repetat; quod paucissimis verbis fieri potest: si verbi causa ex jam elicitâ attritione dicat, se dolere de peccatis confessis, & eorum absolutionem postulare: aliàs si attritionem tunc tantum eliciat cum confessio præcedens non fuerit illius signum concipi non potest quâ ratione absolutio super illam validè cadere possit. Quare cum sæpe contingat pœnitentem non esse sufficienter attritum, quamdiu peccata recitat, consultissimum est curare, ut ante absolutionem, non modo eliciat actum aliquem veræ attritionis, sed etiam generatim confessionem repetat modo ante dicto.*

RESOLUTIO VI. *Sacramentum Pœnitentiæ non potest*



*potest esse validum, & simul informe, seu carens effectu.]*  
 RATIO petenda est ex suprà dictis : nam eò ipso quòd hoc sacramentum caret effectu , forma illius vera esse nequit; forma autem falsa existente , sacramentum ipsum non potest esse substantialiter validum, ut per se notum est. Ergo implicat quòd hoc sacramentum sit validum substantialiter , & informe, seu carens effectu.

*Dices 1.* Cum nonnullis, ex nostra sententia sequi magnam perturbationem animorum : si enim ut in ea supponitur, minor attritio non sufficit ad valorem, quàm ad effectum hujus sacramenti , sicut nemo certus esse potest , an habeat attritionem sufficientem ad gratiam : ita meritò quisque dubitare potest, an validè confessus sit , & iteranda sit confessio, nec ne.

*Verim* hæc ratio est parvi momenti: nam qui adhibita sufficienti diligentia, accedit bona fide, & inculpabiliter ad hoc sacramentum sine dolore, qui à parte rei sit sufficiens ad valorem illius : non tenetur quamdiu illa bona fides perseverat, confessionem iterare, quod sufficit ad peccandas fidelium conscientias: præsertim cum peccata confessa per sequentes confessiones indirectè tolli possint. Quòd si postea prædictus error ipsi innotescat; tenetur quidem tunc peccata iterum confiteri, in quo nullum est inconveniens; sicut neque esset, si constaret sacramentum fuisse nullum, defectu jurisdictionis, aut intentionis ministri.

*Dices 2.* Cum aliis, ad effectum sacramenti requirè attritionem universalem de omnibus peccatis commissis, & non retractatis: aliunde verò confessionem valere, quando quis atteritur de peccatis confessis, et si ea attritio, non se extendat ad peccata inculpabiliter prætermissa. Hinc autem sequitur sacramentum esse validum, juxta posteriorem doctrinam, & informe, juxta priorem.

At neque hæc ratio urget; nam et si concedi possit,  
 in tali

DE POENITENTIA. CAP. III. 215

in tali confessione reperiri quicquid necessarium est, & sufficit ad valorem ipsius confessionis per se sumptæ, in ratione partis: negatur tamen ibi inveniri, quicquid necessarium est ut forma sit vera.

C A P U T III.

*De secunda parte Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est Confessio.*

**R**ESOLUTIO I. *Non est de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, ut confessio fiat voce humana: est tamen de necessitate præcepti, ut qui loqui potest voce confiteatur.* PRIOR PARS sufficienter colligitur ex praxi Ecclesiæ. nam videmus non tantum mutos, sed etiam illos qui vi morbi ita impediuntur, ut loqui nequeant, absolvi sacramentaliter à peccatis, si ea nutibus, aut aliis signis sufficienter declarent. Quod non fieret, si confessio quæ voce humana non fit, esset per se invalida: talis enim esset etiam in extrema necessitate, quemadmodum in simili casu invalida est consecratio facta in milio, vel alia simili materia; quæ non fit triticum.

*Dices, Concilium Florent. in instructione Armenor. agens de materia hujus sacramenti, requirere oris confessionem. Respondeo eo loco agi de confessione prout communiter fieri solet & debet: non autem de eo prout absolutè est necessaria, & sufficiens ad valorem sacramenti: quia ad hoc satis est, si ore, aut nutibus, vel aliis signis fiat.*

*Posterior pars ostenditur, quia etsi nullum extet præceptum positivum, sive divinum, sive Ecclesiasticum de hac re, tamen Ecclesiæ consuetudo invaluit, ut pœnitens si loqui potest, sine incommodo, non aliter quam ore peccata confiteatur contra quam consuetudinem sine gravi causa, agere, est peccatum mortale.*

*Dico, sine gravi causa: nam si verbi causa, contingat puellam præ nimia verecundia, nulla ratione adduci*

adduci

adduci posse, ut peccatum aliquod ore confiteatur, quod tamen parata sit scribere in charta, & legendum offerre Sacerdoti, & ab eo absolutionem postulare; non dubito quin tunc puellæ liceat: ejusmodi peccatum scripto confiteri; quia consuetudo vocaliter confitendi, non censetur cum eo rigore admissa, & acceptata ab hominibus, ut nequidem ob prædictam, vel similem causam aliter confiteri liceat.

*Ubi observandum est*, quando præceptum confessionis urget, eum qui loqui non potest, teneri aliis signis confiteri: quia ejusmodi præceptum generale est, & eos obligat qui aliquo modo sufficienti possunt peccata sua Sacerdoti manifestare. Quod intellige, nisi adsit periculum evulgationis, ut si non aliter potes confiteri, quàm scripto, & probabiliter putas Sacerdotem non redditurum chartam, si illi tradas, aut vi ablaturum, si eam præ manibus tenens, solum legendam illi offeras. Si tamen huic, incommodo, adhibita cautela aliqua, sufficienter occurrere potes, teneris confiteri scripto: quia talis confessio in ea hypothese nimis gravis censi non potest.

RESOLUTIO II. *Non est de necessitate sacramenti, ut confessio fiat secreto neque etiam de necessitate præcepti nisi per accidens.* ]PRIOR PARS patet ex praxi: nã in primis etsi nemo teneatur ex vi præcepti confessionis Sacerdoti confiteri per interpretem: nullus tamen dubitat, quin si id fiat valida sit confessio. Nõ esset autem valida, etiam in extrema necessitate, si secretum quod tunc non servatur, esset de essentia illius. Deinde in naufragio aliaque simili necessitate, multi simul peccata confitentur eidem Sacerdoti, idque alta voce, ita ut unus pœnitens distinctè confessionem alterius audiat. Nullus autem meritò negare potest quin tunc sacramentum valeat, modo reliqua necessaria interveniant, esto secretum desit.

*Ratio*

DE POENITENTIA. CAP. III. 217

*Ratio idem suadet:* nam nihil pertinet ad essentiam hujus sacramenti, nisi quod ex ejus institutione colligi potest: atqui non potest colligi ex institutione sacramenti Pœnitentiæ, confessionem secreto faciendam esse: ex ea enim tantum colligitur, peccata esse manifestanda Sacerdoti, ut de iis iudicium ferat. Porrò hæc manifestatio fieri potest, sive quis peccata sua confiteatur Sacerdoti, aliis audientibus, sive nemine præter illum audiente: quare uterque modus confitendi ad valorem sacramenti sufficere potest.

*Posterior pars ostenditur,* quia in primis ex institutione præcisa sacramenti, nullum sequitur præceptum naturale divinum, instituendi confessionem secreto. Deinde neque ex Scriptura, aut traditione constat, hujus rei latum esse à Christo præceptum positivum. Tandem dici non potest, quòd Ecclesia præceperit, ut confessio non nisi secreto fiat, cum nullibi tale præceptum reperitur.

*Dixi, per se loquendo:* nam interdum per accidens contingere potest, ut sit peccatum mortale publice confiteri, quia est contra propriam charitatem seipsum infamare; potest etiam grave scandalum nasci, ex publica confessione quorundam peccatorum. Unde extra gravem necessitatem, vix modus ille confitendi probari potest.

*Objicies Concilium Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 6.* damnare hæreticos qui docent, confessionem secretam à divino mandato alienam, & humanum inventum esse. Porrò si ea confessio non est aliena à divino mandato, debet illi esse conformis; atque adeò confessio debet fieri secreto, ex vi præcepti divini.

*Respondeo sensum Concilii esse,* confessionem secretam non esse contrariam præcepto divino; quia scilicet nullum reperitur præceptum divinum, de confessione publice facienda: imò potius esse illi valde conformem, nõ quòd Christus positivè statueris

confessionem fieri secretò; sed quod conformius est iis qua Christus instituit de hoc sacramento, ut confessio fiat secretò, quàm si fiat publicè. Christus enim hoc sacramentum instituit, ut omnino necessarium iis, qui post baptismum in peccatum mortale lapsi sunt: nemo autem potest per hoc medium salutem consequi, nisi peccata omnia mortalia confiteatur, etiam valde secreta, & gravia. Quare si tenerentur homines omnia ejusmodi peccata palam manifestare, illud onus esset certè gravissimum ipsis pœnitentibus; & plerumque in magnum eorum detrimentum aliorumque scandalum cederet: quod non contingit ex eo, quòd confessio secretò instituitur.

RESOLUTIO III. *Si Titius det generalia signa doloris coram Sacerdote, neque aliter possit confiteri, talis confessio sufficit ad valorem sacramenti.* ] Est communis; cujus ratio est, quia Titius in eo casu confitetur meliori modo quo potest, quod coram Deo sufficit. *Confirmatur*, nam ibi intervenit accusatio dolorosa sui ipsius, ex qua Sacerdos statum pœnitentis sufficienter cognoscere potest, quantum requiritur ut judicet eum validè absolvi posse.

*Dices 1.* in Concilio Trident. *sess. 14. cap. 5.* statuitur, ut confessio fiat de peccatis in particulari. *Respondeo* ibi etiam præcipi, ut confessio fiat de omnibus peccatis mortalibus, sicut ergo interdum sufficit unicum peccatum confiteri, quando alia, adhibita sufficienti diligentia non occurrunt memoriæ, aut quando post unius confessionem, homo sensibus destituitur: ita satis est ea confuse declarare per signa, quando aliter fieri nequit.

*Dices 2.* Judex non potest validè proferre sententiam, sine nova cognitione causæ: atqui ibi non intervenit nova cognitio causæ; quia Sacerdos antea sciebat Titium esse peccatorem. *Respondeo* negando minorem: nam antea Sacerdos cognoscebat tantum in foro externo, ut homo particularis, Titium esse peccatorem; jam verò id cognoscit in foro animæ, ut

judex

judex à Deo constitutus ad remissionem peccatorum.

*Dices 3.* Nunquam Titius damnabitur in foro externo tanquam homicida, nisi probetur aliquem hominem in particulari ab eo fuisse occisum. Ergo neque Sacerdos eum absolvere debet tanquam peccatorem, nisi ille declaret se peccatum aliquod in particulari perpetrasse. *Respondeo* non sequi: nam in priori casu condemnatio non fit in favorem Titii, sed in odium illius; odia autem sunt restringenda. In posteriori verò iudicium fit in favorem illius: at favores sunt ampliandi. Quare ad validitatem hujus iudicii satis est, quòd se peccatorem modo possibili ostendat.

**RESOLUTIO IV.** *Et si Titius dederit generalia illa signa doloris, absente Sacerdote, potest Sacerdos deinde accedens, et si rationis usu destitutum, valide absolvere. Imo in eo casu Titius licite absolvi potest, & debet.* ] **PRIMA PARS** est communior apud recentiores, & hac ratione probatur: nam hoc Sacramentum institutum est per modum iudicii: at iudicium constare potest, etsi accusatio non fiat coram iudice; ergo idem dicendum de hoc sacramento. *Confirmatur:* nam confessio facta modo prædicto sufficere potest, tum ad declarandum poenitentis statum, tum ut Sacerdos sufficientem de eo statu cognitionem recipiat. Quidni ergo ejusmodi confessio valebit ad constituendū sacramentum? Præsertim cum non requiratur ad valorem confessionis, ut ea fiat in particulari de aliquo peccato, sed sufficiat in necessitate, si dentur generalia doloris signa, ut ante dictum est.

*Secunda pars suadetur:* tum ex Leone Mag. epist. 91. tum ex Concil. Carthaginensi 4. cap. 67. & Arausicano 1. cap. 11. tum ex Rituali Romano Pauli V. quibus locis aperte sententia nostra probatur. *Ratio* idem ostendit; nam cum ejusmodi confessio sit valida, incredibile est quòd in illa extrema necessitate sit illicita.

*Dices* Clementem VIII. damnasse propositionem illam qua asseritur licere per litteras vel internuncium confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.

*Respond.* Pontificem damnasse propositionem complexam, qua dicit, licere confiteri absenti, & ab eo item absente absolutionem accipere. Nos autem hoc non dicimus, sed tantum, licere absenti confiteri & ab eo non quidem absente, sed praesente absolutionem recipere. Et ne quis hac in re superfit scrupulus, ipsemet Clemens VIII. declaravit coram Eminentissimo Cardinali Bellarmino, & Reverendis Archiepiscopo Armacano, se suo illo decreto non comprehendisse casum illum, de quo agimus, ut recentiores testantur. Et quamvis id Pontifex non declarasset, ita intelligendum esse ipsius decretum, satis constaret ex ante dictis: maxime vero ex Rituali Romano, quod à viris piis & doctis collectum est, & à Paulo V. approbatum, quem nefas est asserere in re tanti momenti errasse, eumque errorem universali Ecclesiae sequendum proposuisse.

*Tertia pars ostenditur:* nam si in eo casu valida est, & licita absolutio. cum illa sit necessaria ad salutem aegrotantis, profecto charitas postulat, ut Sacerdos ei tunc absolutionem impendat, ne forte illius defectu in aeternum sit periturus. Eò vel maxime, quòd et si opposita sententia esset aequè probabilis ac nostra. in extrema necessitate, & periculo damni irreparabilis nostra sequenda esset, utpote poenitenti multò favorabilior.

**RESOLUTIO V.** *Qui in confessione negat, se fecisse peccatum veniale quod fecit, aut affirmat se fecisse quod non fecit, non peccat mortaliter. Qui tamen negat se fecisse peccatum mortale quod fecit, aut affirmat se fecisse quod non fecit, peccat mortaliter.* ] **RATIO PRIMÆ** partis est, quia cum nemo teneatur confiteri peccatum veniale, non peccat contra integritatem  
sacra-

sacramenti, qui negat se illud fecisse: si enim omnia peccata mortalia manifestentur, confessio erit materialiter, & formaliter integra. Aliunde verò cum res sit levis, incredibile est tale mendacium constituere peccatum mortale. Etsi autem sit peccatum veniale, id non obstat effectui sacramenti, ut constat ex dictis de Eucharistia; ac proinde ex eo capite non destruit veritatem formæ, quæ ad valorem sacramenti necessaria est.

*Ratio secunda* est, qui cum tali mendacio stare potest, ut poenitens omnia peccata mortalia confiteatur, quod sufficit ad valorem sacramenti, si aliunde necessaria adsint ut suppono. Nam quod confessarium decipiat, ea deceptio est exigui momenti, cum in peccata mortalia sententia validè proferri possit. Quod etiam falsam materiam apponat, hoc non obstat quo minus forma in veram materiam cadat; sicut forma consecrationis validè cadit in panem triticeum, cui aliquod granum milii, quod est materia falsa, appositum sit.

Si tamen poenitens nullam aliam apponeret materiam, præter illud peccatum veniale quod non fecit, peccaret mortaliter, & nullum esset sacramentum defectu materiæ, sicut peccaret mortaliter, & sacramentum non conficeret, qui verba consecrationis proferret supra panem hordeaceum.

*Ratio tertia partis est*, quia ad integritatem confessionis, sine qua sacramentum valere nequit, spectat ut poenitens confiteatur omnia peccata mortalia, nunquam aliàs confessa, quorum habet conscientiam. Ergo unum ex illis scienter, & sine rationabili causa omittens, peccat mortaliter, & nullum est sacramentum.

*Ratio ultima partis est*, quia sibi falsò tribuens in confessione, peccatum mortale quod non fecit, Sacerdotem decipit in re gravi, pertinente ad essentiali ipsius iudicii: iudicat enim Sacerdos eum præcisè



ratione talis peccati, quamvis aliorum ratio habenda non esset, esse inimicum Dei, reum æternæ pœnæ, hac vel illa curatione egere, ut ab eo peccato corrigatur, tantam vel talem illi imponendam satisfactionem, ut pro ea culpa satisfaciatur, &c. quæ omnia falsa sunt. Quare cum hæc sint magni momenti, ejusmodi deceptio est peccatum mortale, & contra valorem sacramenti.

Quod intellige, *per se loquendo*: nam ex accidenti contingere potest, ut quis bona fide & inculpabiliter existimet, sibi utile esse ad majorem gratiam consequendam, cum peccatis mortalibus commissis, alia nunquam patrata confiteri. In quo casu, cum illa deceptio excusetur à peccato mortali, nihil ob stare potest quin sacramentum sit validum.

RESOLUTIO VI. *Ad valorem sacramenti, species peccatorum mortalium declarande sunt in confessione, eorumque numerus.* PRIOR PARS PROBATUR ex verbis illis Concilii Trident. *sess. 14. cap. 5.* Constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. In quibus verbis non tantum includitur prædicta assertio, sed etiam ratio illius; nimirum quia Sacerdos est iudex à Deo in hoc foro constitutus, ut ex justitia & æquitate sententiam ferat, & juxta peccatorum gravitatem pœnas decernat: hoc autem observari non potest, nisi pœnitens peccatorum species manifestet: quia cum alia aliis sint graviores, non idem de singulis judicium ferri debet, aut eadem pro omnibus pœna imponi.

Cæterum hoc intelligendum est de iis speciebus, quæ diversa sunt in genere moris, etsi in genere natura unica sit species, verbi causa, Titius peccavit contra castitatem, sciendum est an solutam, an nuptiam, an consanguineam, &c. carnaliter cognoverit.

Contra

DE POENITENTIA. CAP. III. 223

Contra verò, si Titius occidit Fabricium, non inter-  
est scire an illum occiderit gladio, an hasta, an vene-  
no, & modis similibus: ista enim non mutant speciẽ  
homicidii in genere moris: pensandæ tamen sunt  
circumstantiæ homicidii, de quibus postea.

*Posterior pars* sequitur ex dictis: nam Trident. do-  
cet peccata esse declaranda quoad species & sigilla-  
tim, seu quod numerum. *Ratio* etiam quam tradit 1-  
dẽm confirmat: nam aliter judicandum de eo qui u-  
num tantum hominem, aliter de eo qui plures occi-  
dit, ut per se notum est: posterior enim per se loquẽ-  
do gravius offendit Deum, & majorem pœnam me-  
retur. Deinde praxis universalis Ecclesiæ non modo  
priorem, sed etiam hanc posteriorem resolutionis  
partem satis confirmat.

*Hinc primò collige*, plusquam falsam esse quorun-  
dam Canonistarum sententiam, qui putant sufficere  
ad confessionem, si quis peccatorum numerum  
confusè declaret hoc modo, sapius adulterium,  
sapius furtum commisi: tam enim ille qui tantum  
decies furatus est, dicere potest sapius furatus sum,  
quàm ille qui centies; & tamen longe diversum de  
utriusque peccato iudicium ferendum esse perspi-  
cum est.

*Collige 2.* Peccata merè interna esse confitenda,  
juxta varias interruptiones quæ in iis accidunt: quia  
tot sunt actus distincti à libera voluntate elicitæ, &  
consequenter tot peccata numero distincta, quot  
sunt ejusmodi interruptiones. Porro quia vix illæ  
interruptiones certò deprehendi possunt, ideò ut  
plurimum satis est si pœnitens dicat, se verbi causa,  
per unam horam in prava aliqua cogitatione versa-  
rum.

*Collige 3.* Idem dicendum de peccatis quæ exterius  
prodeunt, quoties interrumpuntur quantum ad a-  
ctum internum & externum: tales enim censentur  
multiplicari quoad numerum. Quòd si actio externa  
non interrumpitur, censetur unum numero peccatum.

etsi actus internus voluntatis, vel ob distractiones occurrentes, vel alia ex causa interrumpatur. Quia scilicet cum actio externa excitata ab actuali voluntate perseveret, ipsamet actualis voluntas censetur permanere.

RESOLUTIO VII. *Ea circumstantia aperienda sunt in confessione, quae aut speciem mutant, aut notabiliter aggravant, vel minuant.* ] PRIMA PARS sumitur ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 5.* ubi ea ratio additur, quia aliàs peccata ipsa neque à poenitentibus integrè exponuntur, neque iudicibus innotescunt, adeò ut de eorum gravitate rectè censere non possint, neque pro illis poenam debitam imponere.

Hinc si quis furatus est calicem consecratum, non sufficit si dicat, se furatum esse calicem, vel aurum, sed debet exprimere eum calicem esse consecratum; quia in tali actu est duplex malitia, furti & sacrilegii. Item si quis occidit clericum, non sufficit si dicat se hominem necasse, sed debet dicere se clericum occidisse. Unde si talis circumstantia invincibiliter prætermissa est, in sequenti confessione est declaranda, quod ut plurimum fieri non potest, nisi peccatum ipsum, cui adjuncta erat, iterum manifestetur.

*Secunda pars* sequitur ex dictis, quia nisi illæ circumstantia patefiant, non potest Sacerdos cognoscere gravitatem peccati, & poenam illi debitam. Interdum enim propter circumstantiam aggravantem, unum peccatum multis æquivalet, & æqualem poenam meretur, ut patet exemplo illius qui una vice furatur decem nummos: ille enim non minus nocet, quàm si una vice furaretur quinque nummos, & alia totidem: & prius illud furtum his posterioribus æquivalet, & æqualem poenam meretur. Ut ergo valeat illius confessio, non satis est si dicat se furatum esse, sed dicere debet, se decem nummos furatum esse. Nam sicut longè aliud iudicium ferendum est de

DE POENITENTIA. CAP. III. 225

est de eo, qui decem peccata commisit, quàm de eo qui unum; ita longè aliter judicandum est de illo, qui peccatum commisit decies gravius, ut ita loquar, quàm alter.

*Tertia pars ostenditur*, quia ad confessionem requiritur ut sit vera: non est autem vera, nisi peccata explicentur ut sunt: at si quis circumstantias sive aggravantes, sive minuentes reticeat, peccata non explicantur ut sunt; quia significat aliquid esse quod non est, videlicet peccatum esse aut magis, aut minus grave quàm sit. Ergo id quantum fieri potest, vitandum est.

*Confirmatur*: nam sicut circumstantiæ aggravantes mutant morale iudicium confessarii, ita & minuentes: sicut ergo priores sunt declarandæ in confessione, saltem quando malitiam notabiliter augent, ita & posteriores proponendæ sunt, quando eam notabiliter minuunt.

*Dices*, non spectat ad pœnitentem se excusare, sed accusare: ergo non modò necessarium non est confiteri circumstantias minuentes, quin id per se loquendo expediens non est. *Confirmatur*: nam non est grave incommodum, quòd Sacerdos iudicet peccatum esse paulò gravius quàm verè sit, aut si quod est, totum vergit in gravamen pœnitentis, qui juri suo cedere potest.

*Respondeo* spectare ad pœnitentem ut accuset se secundum rei veritatem, non autem supra veritatem: humilitas enim & quævis alia virtus veritati inniti debet, cum Deus non colatur falsitate, sed potius offendatur: & inter conditiones confessionis veritas primo loco constituitur.

*Ad confirmationem* dico, fallere in re gravi esse grave incommodum, in re verò levi, leve: sive autem falsitas sit gravis, sive levis, ea non tantum vergit in gravamen pœnitentis, sed etiam per illam fit quædam injuria confessioni, quæ debet esse vera, ita ut factum non excedat, neque ab eo excedatur. Et

similiter irrogatur injuria iudicio huic sacramentali, quod unde quaque verum esse nequit, nisi vera sit confessio.

**RESOLUTIO VIII.** *Variis proponi solent casus, in quibus confessio censetur valida, etsi integra non sit materialiter.* ] **PRIMUS CASUS** est, quando ex oblivione inculpabili aliquid omittitur ut patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. Idem autem de ignorantia, vel inadvertentia sentiendum est à paritate rationis. Quòd si omissio est mortaliter culpabilis, non valet sacramentum; secus si tantum venialiter, ut si quis in disquisitione peccatorum adhibuit paulò minorem diligentiam quàm debeat, & inde omissio oriatur.

*Secundus casus* est, quando propter instantem mortem periculum est, ne pœnitens omnia confiteri possit: tunc enim danda est absolutio, etsi confessio perfecta non sit. Quòd si data absolute, superest satisfactio vitæ & virium ad perficiendam confessionem, ea perficienda est, & in fine danda absolutio, quia est confessio à priori distincta.

*Tertius est*, quando Sacerdos non potest integrè confiteri, nisi revelet aliquod peccatum in confessione auditum: multò enim major est obligatio sigilli, quàm obligatio integritatis in confessione adhibenda; cū in nullo unquam casu, etiam impendentis mortis, liceat frangere sigillum confessionis; varii tamen sunt casus, in quibus peccatum mortale in confessione prætermittere licet.

*Quartus est*, quando ex confessione alicujus peccati, probabiliter oriri potest grave aliquod damnum, sive pœnitenti, sive cuicumque alteri. præcepta enim positiva etsi divina, quale est præceptum de integritate confessionis, non obligant cum tanto dispendio, ex communi sententia. Caveat tamen pœnitens, ne ob leves aliquas conjecturas, ex confessione alicujus peccati, tale quid eventurum suspicetur.

DE POENITENTIA. CAP. III. 217

*Ubi nota* in dicto casu, non differendam esse semper confessionem, donec integrè fieri possit: nam si instet præceptum confessionis, aut necessitas sumendi Eucharistiam, aut periculum mortis debet poenitens alia peccata mortalia, ex quorum confessione nullum grave periculum timet, cōfiteri. Quòd si non habet nisi venialia, non tenetur in prioribus casibus confiteri, sed tantum in ultimo, in quo ex charitate propria, tutiorem salutis viam eligere tenetur.

*Quintus casus est*, quando non potest integra confessio institui, nisi recenseatur persona complicitis, ut si quis matrem, aut sororem cognovit: tunc enim ex multorum sententia, peccatum illud in specie declarandum non est; sed satis est si poenitens dicat se matrem, aut sororem concupiisse, aut simpliciter fornicatum. Quod intellige quando tam poenitens, quàm complex sunt noti confessario, neque alius adiri potest; nam si sit copia alterius, ei confessio integrè facienda est, ut omnes sentiunt. Intellige etiam, quando complex ea confessione graviter infamatur, spectata conditione confessarii, qualitate criminis, aliisque circumstantiis quæ prudenter pensari debent.

*Ratio* autem cur in hoc casu confessio sit valida, etsi peccatum aliquod modo prædicto raceatur, sumenda est ex dictis: nam si ex communi sententia, integritas confessionis non ita obligat, ut liceat manifestare. Sacerdoti illud peccatum, ex quo grave aliquod damnum proximo obventurum est; certè cōcipi vix potest, integritatem confessionis esse necessariam, quando non potest declarari aliquod peccatum, nisi persona complicitis detegatur, & eatenus apud confessarium graviter infametur: siquidem graviter hominem infamare, est grave detrimentum illi inferre, omnium iudicio.

*Dices*, revelare peccatum complicitis in confessione, non est illum infamare, quia confessarius non

minùs tenetur sub sigillo celare peccatum complicitis, notum ex confessione, quàm ipsius pœnitentis. *Respondco* sigillum secreti non impedire, quin complex infametur apud ipsum confessarium; aliàs extra confessionem grave peccatum proximi inculpate possem revelare homini prudenti, qui secretum fideliter servaturus sit: in ipsa etiam confessione possem sine necessitate, alterius peccatum detegere, eò quòd confessarius tale peccatum revelare nequit, quæ tamen falsa & absurda sunt.

*Sextum casum* addunt aliqui, quando pœnitens habet casus reservatos; cum non reservatis: tunc enim dicunt, posse illum confiteri solos casus reservatos, superiori reservanti, & ab iis absolvi; reliquos verò posse confiteri alteri Sacerdoti, eorumque absolutionem ab eo recipere.

Verùm doctrina ista non placet, quia cùm integritas confessionis, sit ex jure divino, Sacerdos non potest nisi ex gravi causa absolutionem proferre in confessionem non integram. Quòd autem superior quædam sibi peccata reservaverit, ea ut liquet, non est causa legitima & gravis, ut absolutio ab eo possit proferri in confessionem non integram: Quare non licet pœnitenti dimidiare confessionem, ea solum ex causa, quia cum non reservatis habet quædam peccata reservata.

RESOLUTIO IX. *Confessio necessaria est ad salutem necessitate medii iis qui post baptismum in peccatum mortale lapsi sunt.* ]PROBATUR I. ex loco illo Joan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. In quibus verbis continentur duæ illæ propositiones conditionales; altera, si vos peccata remiseritis, remissa erunt; altera, si vos peccata nō remiseritis, remissa non erunt. Hoc autem posterius non esset verum, si sacramentū Pœnitentiæ non esset medium necessarium, ad peccatorum remissionem obtinendam; quia in illo obtineri posset remissio per solam contritionem, quantumcunque vellent Sacerdotes retinere, seu non remittere peccata. *Secunda*

DE POENITENTIA. CAP. III. 229

*Secundò* eadem minor propositio ostenditur ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 2.* ubi dicitur in primis, quòd Christus baptizatos in crimen lapsos, non jam repetito baptismo ablui; sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit; ut à peccatis suis per Sacerdotum sententiam possint liberari. Quo loco verba illa, sisti voluit, indicant necessitatem medii. Deinde ibidem dicitur, hoc sacramentum eo modo lapsis post baptismum esse necessarium quo baptismus nondum regeneratis; at baptismus est medium necessarium ad salutem, nondum regeneratis, ergo, &c.

Quo loco duo *observanda* sunt, primò non esse semper necessarium ad justificationem, ut hoc sacramentum realiter suscipiatur, sed interdum sufficere votum illius: quia peccator potest ad Deum verè & ex animo converti, etsi actu hoc sacramentum non suscipiat, sed proponat tempore statuto ad illud accedere: per talem autem conversionem remissio peccatorum illico obtinetur, in voto ipsius sacramenti, seu cum obligatione postea subjiciendi peccata illa clavibus Ecclesiæ.

*Secundò observandum*, votum explicitum hujus sacramenti non esse necessarium ad salutem, sed implicitum sufficere, ut colligitur ex Concilio Trident. *cap. 2. citato*, ubi æquiparat hoc sacramentum cum baptismo, quoad necessitatem, at votum implicitum baptismi sufficit, ut dictum est alibi. Qui tamen est memor necessitatis hujus sacramenti, non potest ut par est conteri, nisi eliciat votum, seu propositum illud, suo tempore suscipiendi; sicut suprà diximus in memore suorum peccatorum, non dari poenitentiam virtualem, sine formali.

*Dices*, si ad justificationem sufficit votum implicitum, seu virtuale propositum hujus sacramenti, sequitur peccata remitti sine ordine ad claves, quod falsum est. Sequela patet: nam sicut contritio includit virtualiter propositum peccata confitendi, ita &



reliqua omnia mandata servandi. Ergo sicut qui justificatur per nudam contritionem sine sacramento, dicitur consequi gratiam sine ordine ad observationem aliorum præceptorum, ita & sine ordine ad confessionem sacramentalem.

*Respondeo* non esse parem rationem: nam dum quis post baptismum versatur in peccato mortali, non potest per se loquendo, ab eo absolvi, nisi assumat hoc sacramentum, tanquam medium necessarium ad illius expulsionem. At verò non opus est, ut assumat observationem aliorum mandatorum, ad eundem effectum; quia porrectio, verbi causa, eleëmofynæ, aut honor erga parentes, & reliqua ejusmodi præcepta, non sunt à Deo instituta, ut media necessaria ad remissionem illam peccati. Quare dum quis per contritionem justificatur, ea justificatio non fit nisi per ordinem ad claves, & contritio ipsa censetur gerere vices sacramenti; non autem observantia aliorum præceptorum, quæ eatenus est necessaria ad salutem, quatenus per eam homo peccatum vitat; non autem quòd illa sit remedium, pro expulsionem peccati jam commissi.

**RESOLUTIO X.** *Confessio sacramentalis necessaria est ad salutem, ex præcepto divino.* ] Sequitur ex dictis; nam cum sacramentum Pœnitentiæ à Christo institutum sit, ut medium ad salutem necessarium; hinc manifestè sequitur, ejusdem sacramenti usum ab eo præceptum esse, sicut præcepti sunt actus fidei, spei & charitatis, ac baptismi usus; eò quòd hæc sunt media, sine quibus homo salvari nequit.

*Deinde*, qui per contritionem justificatur, sine sacramento Pœnitentiæ realiter suscepto, tenetur postea tempore constituto, ad illud sacramentum accedere, si potest; & secus faciens, peccat mortaliter, ex communi sententia. Quod evidens signum est, hoc sacramentum non tantum esse necessarium necessitate medii, sed etiam necessitate præcepti.

His

DE POENITENTIA CAP. III. 237

His adde authoritatem Concilii Trident. *sess. 14. cap. 5.* docentis, ex institutione sacramenti Pœnitentiæ, universam Ecclesiam semper intellexisse, integram peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsis, jure divino necessariam existere. *Et can. 6.* fertur anathema in eos qui docent, confessionem non esse ad salutem necessariam jure divino, aut modum secretè confitendi alienum esse, ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum.

*Denique iste semper fuit sensus SS. Patrum, qui passim loquuntur de necessitate hujus sacramenti, ad remissionem peccatorum obtinendam, ad vitandos cruciatus inferni, &c. Et cum plerique eorum sint antiquissimi, ex eorum testimonijs apertè colligitur, usum confessionis sacramentalis semper in Ecclesia viguisse. Quare cum notare non possit tempus, quo inter fideles ejusmodi consuetudo introducta primum fuit, consequens est ut confessionis institutio, & necessitas ad Christum referatur, juxta communem Theologorum regulam.*

Verum contra jam dicta, *objicit factum Nectarii Archiepiscopi Constantinopolitani, quem auctores historiæ Ecclesiasticæ narrant, occasione suborti cujusdam scandali, confessionis usum abstulisse. Respondeo Nectarium abstulisse confessionem illam, cujus occasione ortum fuerat scandalum: at illa erat confessio publica, non secreta, ut constat ex iisdem authoribus. Narrant enim matronam quandam nobilem, à Diacono fuisse construpratam, eamque ex Sacerdotis præscripto crimen illud prodidisse; quæ causa fuit cur plebs graviter ferret eam contumeliam Ecclesiæ illatam, & Sacerdotes acerbissimis convitiis & maledictis insectaretur. Cui malo volens occurrere Nectarius, quorundam consilio Diaconum ab officio deturbavit, confessarium exauthoravit, & confessionem dimovit. Quod haud dubiè de publica accipien-*  
dum

dum est, cum ea sola fuerit occasio exorti scandali.

*Nota 1.* Prædicta intelligi de iis omnibus & solis, qui post baptismum in peccatum mortale lapsi sunt: nam verba sunt generalia, & ad eos omnes se extendunt, ut constat ex sensu & praxi Ecclesiæ, atque ex Tridentino citato. Quod verò de iis solis intelligantur, patet: nam qui peccant mortaliter ante baptismum, possunt sufficienter justificari per ipsum baptismum, & peccata illa non possunt validè subjici clavibus Ecclesiæ; eò quòd homo nondum baptizatus, non spectat ad illius forum. Qui verò suscepto baptismum non peccant mortaliter, cum gratiam baptismalem conservent, ii non indigent sacramento Pœnitentiæ; sed sine illo salvari possunt, ut colligitur ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 1.*

*Nota 2.* Præceptum divinum confessionis obligare saltem in periculo mortis, qui enim per contritionem justificatur, obtinet gratiam in voto confessionis aliàs instituendæ, ac proinde remanet obligatio confitendi ante mortem, cum post illam præceptum illud servari nequeat: ergo ille confiteri debet ex præcepto divino, saltem in mortis periculo. Eò vel maximè, quòd cum præceptum illud aliquando in hac vita impleri debeat, nullum tempus congruentius assignari potest, in quo ejus obligatio vigeat, quàm periculum mortis, cum nunquam alias peccator tantopere indigeat reconciliatione cum Deo, quàm tunc.

RESOLUTIO XI. *Ex vi præcepti Ecclesiastici, tenentur fideles omnes ratione utentes, confiteri peccata sua semel in anno.* ] Est communis Theologorum, & apertè sumitur ex cap. Omnis utriusque sexus, De pœnitentiis & remissionibus; ubi præceptum confessionis annuæ imponitur omnibus fidelibus utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint. Quo statuto comprehenduntur omnes baptizati, sive sint viri, sive foeminae, modo inter bonum & malum

DE POENITENTIA CAP. III. 233

malum discernere possint, quod non tam ex annorum numero, quam ex iudicii maturitate pensandum est.

*Observandum 1.* cùm Ecclesia non præcipiat confessionem, quoad ipsam actus substantiam, sed tantum determinet tempus quo præceptum divinum confessionis obligat; eos omnes & solos teneri ad confessionem annuam, qui post baptismum in peccatum mortale inciderunt, ut liquet ex supradictis.

*Observandum 2.* Ex probabiliore sententia, illum annum intra quem tenentur confiteri, qui mortalitate peccaverunt, computandum esse à prima die Januarii, usque ad diem ultimam Decembris, ita ut quovis anni die huic præcepto satisfieri possit. Nam quemadmodum satisfacere præcepto jejunii, jejunando quovis die mensis, si præceptum esset, ut semel saltem in mense jejunarem. ita cum Ecclesia statuerit, ut fideles semel saltem in anno confiteantur, huic legi obtemperat, qui aliquo anni die, quicumque sit confitetur.

*Dices,* consuetudine videri introductum, ut confessio fiat in Paschate, seu in Quadragesima. *Respondeo* tunc fideles confiteri, non quod præceptum confessionis per se tunc obliget: sed quia debent accedere ad Eucharistiam, cui præmittenda est confessio, si sint in peccato mortali. Differunt autem plerique confessionem usque ad illud tempus, ut utrique obligationi unica confessione satisficiant.

*Observandum 3.* Eum qui non confitetur nisi peccata venialia, si postmodum incidat in mortale, teneri eo ipso anno confessionem instituere de ejusmodi peccato mortali: cum enim confessio venialium præcepta non sit, qui venialia sola confitetur, non potest censerì servare præceptum confessionis; unde si post venialium confessionem in mortale labitur, illud confiteri debet, ut præcepto satisficiat.

Contrà

Contrà verò si quis initio anni peccatum mortale confessus est, & iterum incidat in aliud mortale, non tenetur per se loquendo, hoc posterius confiteri ante finem anni.

*Observandum 4.* Eum qui non implevit præceptum confessionis uno anno, teneri statim initio sequentis anni illud exequi, si commodè potest, quia dum Pontifex statuit, ut fideles semel in anno confiteantur, eum terminum non præscribit, ut terminet obligationem confitendi ad unum annum, ita ut eo elapso obligatio desinat; sed ut præcepti executio differri possit per integrum annum, quo elapso, obligatio perseveret. Unde sicut ille qui tenetur solvere pecunias uno anno, non liberatur ab obligatione solvendi, etsi terminum illum prætergrediatur, sed prima data occasione solvere debet. Ita qui uno anno non est confessus, tenetur confiteri statim initio sequentis anni; & quo magis, sine justa causa, confessionem differt, eò gravius peccat.

*Observandum 5.* Ut satisfiat præcepto Ecclesiastico confessionis, requiri ut confessio sit formaliter integra, & conjuncta cum legitimo dolore, ac proposito peccata cavendi in futurum: ac denique ut absolutione sacramentali informetur. *Ratio est,* quia ut huic præcepto satisfiat, verum sacramentum Pœnitentiæ sumi debet, quale non esset, si aliqua ex dictis conditionibus deesset; cum omnes ad illius essentiam spectent, ut ex præcedentibus resolutionibus intelligi potest.

#### C A P U T IV.

*De tertia parte Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est satisfactio.*

**R**ESOLUTIO I. *Possunt homines in hac vita satisfacere, idque de condigno, pro pœnis remissa culpa restantibus.* ] PRIMA PARS PROBATUR, ex Concilio Trident. *sess. 14. can. 3.* ubi definitur his verbis. Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem,

DE POENITENTIA CAP. IV. 235

lem, minimè Deo per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis; sed neque sponte susceptis, ut jejuniis & orationibus, eleëmofynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit.

Ex quibus verbis pater, nos tribus modis satisfacere posse pro pœnis, quæ post remissionem culpæ remanent. Primò patienter sustinendo pœnas à Deo inflictas: quod intellige, sive pœnæ illæ in eum finem à Deo sint immixtæ, sive ex quacumque alia causa proveniant. Secundò exequendo quæ à Confessario in satisfactionem imponuntur, Tertiò opera pœnalia sponte suscipiendo.

*Secunda pars ostenditur*, quia ut patet ex tract. de gratia, potest homo mereri de condigno vitam æternam: ergo à fortiori pro pœnis restantibus de condigno satisfacere potest. Et hoc indicat Concilium Trident. *sess. 14. cap. 8.* dicens: ita non habet homo unde gloriatur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ: in quibus verbis non obscurè innuitur, vim merendi, & satisfaciendi eodem modo virtute Christi nobis communicari: sicut ergo meremur de condigno, ita & de condigno satisfacimus.

Quid autem necessarium sit, ut satisfactio nostra sit de condigno, hic breviter explicandum est. *In primis requiritur* ut satisfaciens sit viator, seu in hac vita constitutus, nam qui sunt in purgatorio, possunt satisfati, non autem satisfacere, sicut neque mereri, ut dictum est in tract. citato. Requiritur etiam ut sit in statu gratiæ, nam opera quæ fiunt in peccato mortali, sicut neque ad meritum, ita neque ad condignam satisfactionem prodesse possunt: saltem ex opere operantis.

*Secundò necesse* est ut opus per quod satisficit, sit aliquo modo liberum; ita scilicet ut à voluntate eli-

te eli-

te eliciatur, aut ab ea imperetur, aut saltem voluntas liberè acceptet pœnam ab extrinseco inflictam: idque per actum moraliter bonum, & honestum, eumque vel in se supernaturalem, vel ad finem supernaturalem relatum. Quamquam non requiratur voluntas formalis satisfaciendi, sed virtualis sufficiat; qualis continetur in voluntate aliquid agendi ex amore Dei, aut ex studio salutis æternæ, & similibus. Non requiritur autem ad satisfaciendum, ut sit opus consilii: nam sicut præcepta servando meremur vitam æternam, ita per opera quæ præcepta sunt, possumus pro peccatis nostris satisfacere. Neque per solum actum internum, aut per solum externum satisfacimus, sed per utrumque; ita ut major sit satisfactio, cæteris paribus, in utroque simul sumpto, quàm in eorum altero.

*Tertiò ad satisfactionem de condigno, requiritur promissio Dei: nam etsi opera hominis iusti, quatenus à gratia procedunt, habeant ex se citra ullam promissionem Dei, condignitatem aliquam ad satisfaciendum; ut tamen per ea infallibiliter remittantur pœnæ purgatorii, requiritur promissio Dei, qua se obstrinxerit ad remittendam pœnam illam, pro altera in hoc mundo liberè assumpta: sine tali enim promissione nulla est ratio, cur Deus teneatur ex iustitia, remittere pœnam purgatorii iustè impositam, pro pœna hujus vitæ, quæ est alterius omnino rationis, & multò remissior.*

**RESOLUTIO II.** *Confessarius tenetur per se loquendo, satisfactionem aliquam pœnitenti imponere: in variis tamen casibus ab ea obligatione est liber.* ] **PRIOR PARS** sumitur ex Concil. Trident. *sess. 14. cap. 8.* eaque ratione ostenditur: quia licet actualis satisfactio non pertineat ad essentiam sacramenti Pœnitentiæ est tamen de illius integritate. Confessarius autem tenetur integrum conficere sacramentum; quare tenetur non modo reum absolvere, sed etiam ipsi pœnitentiam injungere.

*Con-*

DE POENITENTIA CAP. IV. 137

*Confirmatur:* nam postquam Confessarius peccata audivit in confessione, si pœnitens sit ritè dispositus ad gratiam consequendam, tenetur illum absolvere à peccatis, & in amicitiam cum Deo restituere. Aliunde verò quia pœnitens Deum offendit, tenetur Confessarius illi satisfactionem aliquam imponere, ut inæqualitas illa quæ inter Deum, & peccatorem constituta fuerat per peccatum, tollatur quantum fieri potest; aliàs non servaret æquitatem in judicio ferendo.

*Ratio posterioris partis est,* quia contingere potest ut pœnitens dum absolvitur, omni sensu privatus sit, & & nihil percipere queat. in quo casu supervacaneum esset illi pœnitentiã aliquam imponere. In. o si pœnitens ante confessionem sufficienter, arbitrio Sacerdotis satisfecerit, non est necesse illi novam satisfactionem imponere, quia jam solvit quod debebat. Denique tanta esse potest pœnitentis contritio, ut eã sufficiat ad totius pœnæ debitæ remissionem. Verùm quia non facilè constare potest, an talis sit contritio, aut satisfactio præcedens, ut totam pœnam deleverit, ideo ut plurimum injungenda est in iis casibus, satisfactio aliqua saltem levis. Quòd si ægrotus auditu omnino privatus non est, curet Sacerdos ut ter nomen Jesu, aut Mariæ, voce, vel solùm corde proferrat, aut aliam ejusmodi levem pœnitentiã, pro qualitate virium, illi injungat.

**RESOLUTIO III.** *Confessarius tenetur satisfactionem aliquo modo proportionatam peccatis imponere, nisi ex rationabili causa inducatur ad leviozem injungendam.* ] **RATIO PRIORIS PARTIS EST,** quia hoc sacramentum institutum est per modum judicii, in quo Sacerdos sententiam profert; debet ergo ponderare gravitatem peccatorum, & juxta illam pœnam imponere: aliàs si pro gravissimis peccatis levissimas pœnas imponeret, non servaret æquitatem: sicut vice versa esset injuriosus pœnitenti, si propter culpas levissimas pœnas ei gravissimas injungeret.

*Ratio*



*Ratio posterioris partis est*, quia pœnitentiæ non tantum imponuntur ad vindictam, & castigationem præteritorum peccatorum; verum etiam ad novam vitam custodiam, & infirmitatis medicamentum, ut liquet ex loco citato Concilli Trident. Interdum autem contingere potest, ut si Sacerdos pœnas valde graves imponat, terreatur peccator, & præ fragilitate eas subire nolit, indeque occasionem sumat familia peccata aliàs in confessione reticendi. Quare Sacerdos prudenter spectare debet, non modo gravitatem peccati sed etiam fervorem pœnitentis, & conditionem illius; ut omnibus diligenter perspectis, eam pœnitentiam injungat, quam judicat esse magis accommodatam utilitati pœnitentis.

*Nota*, communiter pœnitentibus imponi debere opera externa, & ad quæ ex præcepto non obligantur. Interdum tamen imponi possunt actus interni, & opera quæ aliunde sub præceptum cadunt. Primum patet, quia talia opera facilius impleri possunt, maximè à rudibus qui orationi mentali, elevationibus cordis, aliisque operationibus internis minimè sunt assueti. Secundum constat, quia pœnitentia imponi debet in vindictam & gravamen: qui autem tenetur, verbi causa, aliquo die audire Missam, non gravatur de novo, si Confessarius ei præcipiat, ut tali die Missæ sacrificio intersit: quare ut plurimum, opus non præceptum ei imponi debet. Tertium patet: nam opus internum potest multum adjumenti afferre pœnitenti, ut eum à peccatis retrahat. Cur ergo non licebit tale opus ei injungere; præsertim cum pœnitentia non solum sit punitiva, sed etiam medicinalis & sanativa? Nec refert quòd actus internus per se sensibilis non sit: talis enim est per aliud, nempe per jussionem Sacerdotis, & acceptationem pœnitentis. Quartum denique ostenditur: nam cum homo satisfacere possit per opera aliàs præcepta, ut supra dictum est; nulla ratio est, cur talia opera in confessione imponi non possint.

RE.

DE POENITENTIA CAP. VI. 239

RESOLUTIO IV. *Pœnitens tenetur pœnitentiam impositam acceptare, etiam pro peccatis alias confessis, eamque per se exequi.* ] PRIMA PARS PROBATUR, tum quia in Concilio Florent. inter pœnitentis actus ponitur satisfactio operis, ad arbitrium Sacerdotis: tum quia ibidem statuitur, ad integritatem sacramenti Pœnitentiæ, requiri ex institutione divina contritionem, confessionem, atque satisfactionem: tum quia in Concilio Trid. *sess. 14. cap. 8.* docetur claves Sacerdotum, non tantum ad solvendum, sed etiam ad ligandum, scilicet per impositionem pœnitentiæ, concessas esse: non essent autem concessæ ad ligandum, nisi pœnitens iis ligari posset: atque adeò nisi teneretur pœnitentiam impositam implere.

*Notandum* autem hæc intelligi, de pœnitentia prudenter imposita: nam si ea manifestè iniqua sit, aut facultatem pœnitentis superet, ut si valde infirmo imponeretur jejunium plurium dierum, aut quid simile, non tenetur eam ille acceptare. Quare Sacerdos curare debent, ut quantum fieri potest se accommodent infirmitati pœnitentium; & in dubio potius in partem mitiorem vergant, ut quò remissior est pœnitentia, eò pœnitentes eam libentius amplectantur, quod non parum conducet ad perfectionem satisfactionis: quia sicut Deus hilarem datorem diligit, ita & hilarem satisfactorem. Dixi, *manifestè iniqua*: nam in dubio, authores docent standum esse Sacerdotis iudicio.

*Secunda pars* colligitur ex dictis: nam Sacerdos tenetur etiam illi qui peccata aliàs confessâ iterum confitetur, pœnitentiam injungere, tum ad integritatem sacramenti, tum ad servandam æquitatem iudicii, &c. Ergo etiam pœnitens tenetur pœnitentiam acceptare; maximè quia æquum est, ut quoties aliquis vult gaudere beneficio sacramenti, circa eadem peccata, toties ille ponat ex parte sua, quicquid requiritur ad integritatem sacramenti, sicut etiam toties peccata confitetur, & de iis conteritur.

*Dices,*

*Dices, hoc ad summum verum esse in eo, qui non satisfecit: at supponimus pœnitentem, qui secundo peccata confitetur, aliàs pro iis satisfecisse. Cur ergo tenebitur iterum satisfacere? Respondeo teneri iterum acceptare pœnitentiam aliquam, ut integrum sit sacramentum Pœnitentiæ: nam satisfactio aliàs exhibita pertinebat ad integritatem sacramenti eo tempore suscepti; non potest autem eadem integrare sacramentum quod nunc sumitur: quia sicut sacramentum istud numero à precedenti distinguitur, ita materiam numero distinctam postulat.*

*Tertiapars ostenditur, quia satisfactio imponitur in pœnam, & ultionem peccati; ille autem qui peccavit, debet pœnam sustinere, ut sicut culpa est personalis, ita sit & pœna. Quod intellige nisi res præcepta talis sit, ut nihil referat, etsi per alium eam exequaris. Et sic, verbi causa, si Sacerdos præcipit ut des elemosynam, satisfacis illius præcepto, si eam per servum tuum eroges: secus autem dicendum est, si jubeat ut jejunes, aut sacrum audias, vel rosarium recites; ea enim & similia per teipsum exequi debes, si fieri potest. Quòd si contingat te, vel ob supervenientem infirmitatem, vel alia ex causa rationabili, pœnitentiam posterioris generis implere non posse, non teneris eam implere per alium, aut aliud opus facere.*

**RESOLUTIO V.** *Pœnitentiam immutare potest, tum ille qui eam imposuit, tum alius quivis confessorius, si ve sit illius superior, si ve aequalis, si ve etiam inferior.] Quòd idem possit, patet, quia nihil obstat quin idem iudex possit causam ante judicatam, iterum judicare, cum eandem retineat potestatem, & pœnam impositam ratione habita variarum circumstantiarum, quæ ante non occurrerant, mutare: maxime in foro conscientie, quod in favorem rei institutum est.*

*Quòd etiam quivis alius immutare possit, probatur, quia*

DE POENITENTIA CAP. IV. 241

Quòd etiam quivis alius immutare possit, *probat*ur, quia in munere absolvendi à peccatis, Sacerdotes omnes sunt pares, eò quòd illud spectat ad potestatem ordinis, quam exercent in persona Christi, in quo unus Sacerdos non est altero superior: licet quoad jurisdictionem, quæ ad solvendum & ligandum requiritur, sint impares. Si ergo idem Sacerdos potest suam sententiam mutare, eandem poterit mutare & alius, cum omnes æqualem in hoc potestatem habeant.

*Confirmatur*: nam certum est posse Titium, peccata prius confessa iterum confiteri, & ab iis absolutio- nem petere, ut superius dictum est; non tenetur autem ea confiteri eidem Sacerdoti, sed potest alium adire si vult; & vicissim ille alius potest eum absol- vere, à peccatis aliàs confessis, quæ de novo ad ipsum defert, ac si ea amplius Ecclesiæ clavibus subjecta non fuissent. Idem ergo poterit ipsi injungere poeni- tentiam peccatis illis debitam, juxta præsentem sta- tum & dispositionem illius, ac si nulla alia satisfa- ctio pro iisdem unquam ipsi imposta fuisset. Et ex consequenti non tenebitur poenitens priori judicio stare, cum æquum non sit, ut pro iisdem peccatis bis puniatur. Atque hæc tandem confirmat commu- nis Ecclesiæ usus, qui prudenter damnari non po- test.

*Dices*, non potest judex aliquis revocare senten- tiam alterius, qui ipsi non est subordinatus: atqui unus Sacerdos non est alteri subordinatus, quoad potestatem ordinis, ergo nullus potest sententiam alterius revocare. *Respondeo* secundum confessarium non revocare sententiam prioris, si propriè loqua- mur; sed tantum sententiam suam proferre, sicut prior suam protulit, causa eadem ad ipsum delata: ea enim non datur per modum appellationis, ut fit in judiciis externis, sed per modum novi judicii, quod æquale est precedenti, utpote fluens ab æquali au- thoritate; unde sicut prior sententia per posteriorem

1

non

non irritatur, ita potest pœnitens, cui ex duabus voluerit, se conformare.

*Nota* probabile esse, prædicta etiam habere locum, quando peccata pro quibus imposita est pœnitentia, erant reservata ei qui absolvit. *Ratio est*, quia si ejusmodi peccata non fuissent reservata, posset inferior pœnitentiam pro iis impositam immutare, ut patet ex dictis. Ergo æquè potest pœnitentiam immutare etsi reservata fuerint. Sequela patet: nam post confessionem superiori factam, jam amplius non sunt reservata, & perinde est ac si reservata nunquam fuissent. Ergo nihil obstat, quin inferior Sacerdos possit, satisfactionem pro iis impositam, immutare.

*Confirmatur*: nam negari non potest, quin inferior Sacerdos possit pœnitentem, qui peccata superiori reservata legitime confessus est; ab illis absolvere, & consequenter debitam satisfactionem ei imponere. Ergo etiam ipse pœnitens poterit pœnitentiam ab eo impositam implere; atque adeo non tenebitur subire pœnam à superiore indictam, cum Deus bis non puniat in idipsum.

*Dices*, si hoc ita est, frustratur intentio Superiorum, casus aliquos sibi reservantium; quia id eò eos reservant, ut eorum subditi, pœnarum metu ab ipsis imponendarum, cautè vivant, & à gravioribus peccatis abstineant. *Respondeo* id non sequi; nam præterquam quòd multi abstinere à peccatis reservatis, non tam propter metum gravioris alicujus pœnæ imponendæ, quam ne cogantur comparere coram superiore, apud quem male audire nolunt: certè Sacerdos inferior si officio suo ritè; ut par est defungi velit, debet pœnam culpæ attemperare, neque sine rationabili causa eam mitigare potest.

RESOLUTIO VI. *Satisfactio facta in peccato mortali, sufficit ad integritatem sacramenti, & etiam probabiliter ad illius effectum ex opere operato.* PRIOR PARS PROBATUR, I. quia ex communi Doctorum consensu,

DE POENITENTIA CAP. IV. 243

sensu, confessarius potest exigere interdum à poenitente, ut poenitentiam impleat, antequam ei absolutionem impertiat: imò ex probabili sententia, potest confessarius approbare satisfactionem, à poenitente spontè exhibitam, antequam confiteretur. In quibus casibus satisfactio valet ad integritatem sacramenti, & tamen non supponit gratiam in subiecto, cum precedat absolutionem, ejus beneficio infunditur gratia.

*Probatur 2.* Nam satisfactio facta, juxta præceptum à confessario impositum; sufficit ad integritatem sacramenti: nihil enim aliud merito, ad valorem satisfactionis, exigi potest. Atqui confessarius non jubet, ut poenitens impositam poenitentiam exequatur, in statu gratiæ, sed tantum ut faciat opus injunctum, quantum ad substantiam: ad eum modum quo Ecclesia jejunium indicens, non præcipit ut jejunes in statu gratiæ, sed simpliciter ut jejunium serves: quia substantia tantum operis, & non illius modus cadit sub præcepto, ut ajunt, & latius dicitur in *Idea Theologiæ Moralis*. Ergo satisfactio sufficit ad integritatem sacramenti, etsi impleta non sit in statu gratiæ.

*Posterior pars suadetur*: nam poenitens qui implet poenitentiam in statu peccati mortalis, non peccat, sive contra præceptum confessarii, sive contra reverentiam sacramento debitam, ut est communis sententia. Ergo signum est, ejusmodi poenitentiam non carere effectu suo; quia si eo careret, poenitentiam in eo statu implens peccaret, eo quod poneret obicem effectui sacramenti. Et hoc maximè urgeri potest, adversus eos qui docent, satisfactionem sacramentalem producere gratiam sanctificantem, ex opere operato.

*Deinde satisfactio à confessario imposita, non est opus hominis, sed Christi, quod ex se vivum est, & effectum confert non ponenti obicem: atqui peccatum mortale, etsi sit obex gratiæ, non tamen est obex*

remissionis pœnæ : nulla enim ratio afferri potest, cur ille qui versatur in peccato lethali, non possit solvere pœnam debitam pro peccato, quod aliàs remissum est quoad culpam; etsi pro peccato quo nunc afficitur, pœnæ aeternæ, quæ à priori distincta est, sit obnoxius; ad eum modum quo potest solvere centum, qui aliunde debet mille.

*Dices*, nos suprà docuisse, inter conditiones ad satisfactionem necessarias, requiri statum gratiæ, non ergo ea quæ fit in peccato mortali, prodesse potest ad solutionem pœnæ. *Respondes* nos ibi egisse de satisfactione, quæ fit extra sacramentum; jam verò de ea disputare, quæ imponitur in sacramento. Licet autem ad priorem requiratur status gratiæ, non sequitur quòd ad posteriorem necessarius sit, propter rationem allatam; quia scilicet illa est opus hominis, hæc verò opus Christi, quatenus per eam illius satisfactiones nobis applicantur.

**RESOLUTIO VII.** *Satisfactio sacramentalis habet vim remittendi ex opere operato, pœnas temporales peccatis remissis debitas, non autem producendi gratiam sanctificantem.* ] **PRIMA PARS PROBATUR**, quia certum est ejusmodi satisfactionem habere vim, producendi aliquem effectum ex opere operato, aliàs non haberet majorem efficaciam quàm satisfactio, quæ fit extra sacramentum, quod dici non potest; cum sit pars sacramenti, ac proinde sacramentalem significationem habeat, & quod inde fit, effectum quem significat producere debeat, juxta regulam assignatam ubi de sacramentis in genere. Quòd si habet effectum aliquem ex opere operato, nullus ei commodius assignari potest, quàm remissio pœnæ temporalis, eam enim maximè significat, cum sit puniçio peccati, & quædam commutatio pœnæ debitæ, in eam quæ ex præcepto confessarii assumitur.

*Secunda pars ostenditur*, quia duo sunt in peccato, scatus culpæ, & pœnæ; prior perfectè tollitur per  
absolu-

DE PŒNITENTIA CAP. V 245

absolutionem sacramentalem, ergo satisfactio quæ subsequitur, non habet nisi vim remittendi pœnam. Sequela patet: nam potentia illa est superflua, quæ tribuitur ad effectum, qui perfectè ab alia causa producit, & productus supponitur.

Præterea sacramentum Pœnitentiæ per se institutum est, ad conferendam primam gratiam, non autem ad conferendam secundam, nisi per accidens, quatenus homo qui ad illud accedit, gratia sanctificante præditus est. At si satisfactio confert gratiam, confert per se secundam; quia supponit primam gratiam in absolutione collatam, & dum postea impletur, necessario secundam producit: quia non potuit concurrere ad productionem primæ, cum nondum existeret. Dicendum ergo erit, sacramentum Pœnitentiæ per se duplicem gratiam producere; primam quidem per partes essentielles, secundam verò per partem sui integram, quæ est satisfactio actualis.

Dices, satisfactio sacramentalis non est tantum in vindictam præcedentium peccatorum, sed etiam in curationem & medicinam; ad quem effectum maxime necessaria est gratia. Respondeo, ad hoc posse sufficere gratias actuales, quas non opus est conferri dum impletur satisfactio; sed quando aliqua necessitas ingruit, idque vi sacramenti præteriti. Unde constat satisfactionem sacramentalem, non modo non producere gratiam habitualem, sed neque etiam auxilia actualia.

Hæc porrò intellige de actuali satisfactione: nam quod spectat ad propositum illud satisfaciendi, quod aliàs diximus pertinere ad essentiam huius sacramenti, non dubito quin illud, ut sic, ad dictos effectus suo modo concurrat.



*De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.*

**R**ESOLUTIO I. *Nullus potest validè conferre hoc sacramentum, nisi sit Sacerdos, habeatque jurisdictionem in foro interno.*] PRIOR PARS est de fide, definita in variis Conciliis, ac speciatim in Trident. *sess. 14. can. 10.* Potestque sufficienter probari ex verbis illis *Joan. 20.* Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. ea enim intelliguntur de potestate remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, idque non tantum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam; fueruntque dicta Apostolis, solisque eorum in Sacerdotio successoribus, ut constat ex communi sensu Ecclesiæ, quæ idè in ordinatione solius Sacerdotis dicit, *Accipe Spiritum sanctum,* quorum remiseris peccata, remittuntur eis, &c. *Congruum* etiam fuit, ut ille solus qui habet potestatem in corpus Christi verum, haberet potestatem quoad forum internum in corpus Christi mysticum.

Hinc autem sequitur, hominem in mortis periculo constitutum, deficiente Sacerdote, non teneri inferioribus clericis, aut laicis confiteri: nam cum talis confessio non possit esse sacramentalis, neque ullum effectum habeat ex opere operato, nemo tenetur eo modo confiteri: quia confessio sola quæ ordinatur ad absolutionem sacramentalem, est præcepta.

Contra hanc partem *objicit* solet cap. *Fures*, de furtis, ubi præcipitur, ut fur communione non privetur, si presbytero, vel diacono fuerit confessus. *Respondet*, hunc locum non esse ita intelligendum, ut fur possit sacramentaliter à diacono absolvi, sicut potest à presbytero, sed ita ut diaconus teneatur furi Eucharistiam administrare, si ille dederit signa pœnitentiæ, quod est aliquo modo se peccatorem confiteri.

*Posterior pars evidenter colligitur ex Concilio Trident.*

DE POENITENTIA CAP. V. 247

Trident. *sess. 14. cap. 7.* ibi enim docetur, nullam esse absolutionem, quæ profertur à Sacerdote qui nullam habet jurisdictionem. Unde necessariò sequitur, ut quis validè absolvat, non sufficere quòd sit Sacerdos, sed prætereà requiri, ut jurisdictionem habeat in poenitentem: sive ea sit ordinaria, qualis est in summo Pontifice, Episcopis, & Parochis, sive ea sit delegata, qualis requiritur in Religiosis.

*Rationem* etiam Concilium indicat ibidem, cum ait; Quia natura & ratio judicii exigit, ut sententia in subditos tantum feratur, supposito quòd in præcedenti capite dixerit, absolutionem sacramentalem esse ad instar actus judicialis. quo à Sacerdote velut à iudice sententia pronuntiatur: ex his enim manifestè sequitur, necessariam esse jurisdictionem ad hoc iudicium. Imò cum absolutio instituta sit à Christo per modum judicii, consequens est ad valorem hujus sacramenti, jurisdictionem ex jure divino necessariam esse.

Ista autem intelliguntur cum duplici *exceptione*, quarum *prima* est de articulo, seu periculo mortis: in eo enim quilibet Sacerdos, etiam jurisdictionem aliunde non habens, validè absolvere potest à quibuslibet peccatis & censuris: imò hoc verum esse de Sacerdote excommunicato, suspenso, & non tolerato ab Ecclesia, dictum est ubi de sacramentis in genere.

*Secunda* exceptio est de peccatis venialibus, item de mortalibus aliàs ritè confessis, & directè remissis: ab iis enim simplex Sacerdos, id est, qui non habet jurisdictionem ordinariam, aut aliàs delegatam, absolvere potest: ut patet ex praxi Ecclesiæ, & communi Theologorum sensu.

*Ex dictis collige*, ut quis remittat alicui peccatum, in sacramento Poenitentiae, duplicem potestatem requiri; unam ordinis, quæ nihil aliud est quam character Sacerdotalis, quo quis à Deo deputatur,

ut possit hominem judicare in foro conscientia; aliam jurisdictionis, quæ confertur vel per collationem alicujus beneficii Ecclesiastici, quo quis aliorum superior fit; vel per concessionem Ecclesiæ, quæ scilicet potestatem habens ordinariam, dat alicui facultatem suos subditos absolvendi.

**RESOLUTIO II.** *Jurisdictio ordinaria in hoc foro, competit summo Pontifici, Episcopo, & Parocho.* ] HOC paucis declarandum. In primis summus Pontifex, esto ab hominibus eligatur, jurisdictionem ordinariam immediatè accipit à Christo, juxta illud *Matth. 16.* Tibi dabo claves regni cælorum, &c. id enim non tantum pro Petro, sed etiam pro reliquis summis Pontificibus dictum est, ut docent Theologi.

Ea autem jurisdictio, sicut non datur ab hominibus, ita non dependet ab ulla alia hominum jurisdictione, sed potius omnes ab ea pendent, estque universalis, extendens se ad omnes fideles, quos Pontifex sive per se, sive per alios, tanquam oves Christi pascere debet, ut intelligitur ex verbis illis Christi *Joan. 11.* Pasce oves meas; quæ etsi dicta fuerint Petro, ad ipsius successores extenduntur: cum Ecclesia non minùs egeat pastore post mortem Petri, quàm eo vivente.

*Secundò* Episcopus habet jurisdictionem ordinariã in foro conscientia: ea enim annexa est ejus officio; siquidem eò ipso quòd quis alicujus loci Episcopus efficitur, accipit jurisdictionem in omnes fideles suæ diocesis. Est autem *observandum* institutionem Episcoporum esse de jure divino, quatenus Christus ordinavit ut in Ecclesia essent Episcopi, tum ad conferenda quædam sacramenta, quæ solum ab ipsis administrari voluit; tum ad regendas particulares Ecclesias, quas Romana vocaret in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Caterum an eorum etiam jurisdictio oriatur immediatè à Christo, an verò à summo Pontifice aliis expendendum relinquo.

*Tertiò*

DE POENITENTIA. CAP. V. 249

*Tertio*, jurisdictio ordinaria in foro conscientia, competit *Parocho*, ut omnes communiter sentiunt; sicut enim eò ipsò quòd aliquis creatur *Episcopus* alicujus diocesis, accipit potestatem in omnes qui in ea habitant; ita eò ipsò quòd aliquis constituitur *Parochus*, habet jurisditionem in eos omnes, qui in tali *Parochia* commorantur. Quod intellige, nisi quis ab illius jurisditione legitimè exemptus sit.

Ubi *notandum* est *Parochum* posse absolvere à peccatis suum subditum, in aliena *Parochia*: quia cum persona judicanda sit, datur jurisdictio in illam, ubicumque sit, dummodo habeat domicilium firmum in *Parochia* absolventis: hoc enim suppono. Similiter etiam *Episcopus* absolvere potest suum subditum, in aliena diocesi. Eò vel maximè, quia cum iudicium istud sit voluntarium, fit sine strepitu, atque adeò extra proprii loci terminos legitimè exerceri potest.

Ceterum ad tres illos jurisditionis ordines, jurisditiones omnes ordinariæ reduci possunt. Jurisdic-tio quidem summi *Pœnitentarii* *Papæ*, & *Legati* à latere ad primum: ad secundum verò reducuntur *Vicarii* *Generales* *Episcoporum*, *Abbat*es, qui à jurisditione *Episcoporum* sunt liberi; *Generales*, & *Provinciales* inter *Religiosos*: ad tertium verò *Vicarius* perpetuus *Parochi*, *Archipresbyter*, *Priores* *religiosorum*, & *Guardiani*, aliique immediatè habentes curam animarum.

**RESOLUTIO III.** *Ut valida sit confessio, sufficit licentia Parochi, sine licentia Episcopi, aut summi Pontificis; & e contra sufficit licentia summi Pontificis, sine licentia Episcopi, aut Parochi.* } **PRIOR PARS PROBATUR:** nam fideles tenentur tantum confiteri proprio *Sacerdoti*, aut de licentia illius. Ergo sicut quis satisfacit præcepto *Ecclesie*, dum confitetur proprio *Parocho*, sine licentia alterius, quia ille censetur proprius *Sacerdos*: ita dum ex licentia *Parochi*,

alteri confitetur; dummodo tamen ille sit approbatus ab Episcopo: hoc enim ita intelligendum esse, juxta decretum Concilii Trident. *sess. 23. cap. 15. de reformat. jam suprâ cap. 21. monuimus.*

*Posterior pars probatur ex dictis: nam si sola Parochi licentia sufficit ad valorem confessionis, sine licentia Pontificis Maximi, aut Episcopi; cur non sufficiet licentia summi Pontificis, sine licentia Episcopi, vel Parochi? Nonne Pontifex potest audire per seipsum, confessionem cujuslibet fidelis, sine licentia ullius Episcopi, aut Parochi? Quæ igitur ratio est, cur potestatem illam non possit alteri delegare; ita ut confessio valeat, sine licentia Episcopi, aut Parochi? Quod autem dicimus de summo Pontifice respectu omnium fidelium, proportionem servata sentiendum est de Episcopo, respectu eorum qui in ipsius diocesi habitant: ita ut ad confessionis valorem sufficiat illius licentia, sine licentia Parochi.*

*Notandum autem, eum qui in Paschate confessus est Religioso, habenti privilegium à summo Pontifice, audiendi fidelium confessiones, non teneri iterum confiteri proprio Parocho, ut præcepto Ecclesiæ satisfaciatur, sed per confessionem factam, tali præcepto satisfecisse. Ita tradunt communiter Theologi, probantque ex variis Bullis Romanorum Pontificum, quæ in gratiam Regularium late sunt. Pater etiam ex usu inter Catholicos ubique locorum recepto, qui sine temeritate damnari non potest.*

*Dices primò, privilegium non dari alicui in præjudicium alterius, daretur autem, si fideles confessi Religiosis, non tenerentur confiteri proprio Parocho; tum propter alias rationes, tum quia Parochus non posset agnoscere vultum pecoris sui, & judicare, an fideles digni essent, quibus Eucharistia administraretur. Respondeo nullam fieri injuriam Parocho, quòd Papa, vel Episcopus quibus ipsius juris-*  
dictio

DE POENITENTIA CAP. V. 251

dictio aliquo modo est subordinata, per se fidelium sibi subditorum confessiones audiant: Ergo neque quòd id præstent, per alios ab ipsis deputatos, cum non minus hoc, quam illud agere possint. Et satis est quod ipsi hunc, aut illum judicaverint idoneum ad Eucharistiam recipendam: eorum enim sententia Parochus stare debet, & tutus est in conscientia.

*Dices secundò in cap.* Omnis utriusque sexus, præcipi, ut quilibet semel in anno, confiteatur proprio Sacerdoti, aut alicui de illius licentia. *Respondeo*, per proprium Sacerdotem ibi non ita intelligi Parochum, ut superiores excludantur: si enim hoc ita esset, sequeretur nullum posse in Paschate confiteri Episcopo, aut etiam summo Pontifici, sine Parochi licentia, quod absurdissimum est. Per proprium ergo Sacerdotem intelligendus est omnis ille qui non est alienus, id est, omnis ille qui habet jurisdictionem ordinariam in hoc foro, cujusmodi sunt summus Pontifex, & Episcopus. Quare satis est confiteri illis, aut de eorum licentia, quæ poenitentibus concessa censetur, eò ipsò quòd aliquos, ad confessiones eorum audiendas deputaverint. Porro quamvis hæc ita se habeant, debent aliquando Regulares, ob bonam pacis, juri suo sponte cedere; præsertim in iis locis ubi inter ipsos, & Parochos, occasione confessionis Paschalis, graves turbæ excitari solent. Imò libenter ipsis author essem, ut à confessionibus sæcularium audiendis omnino abstinerent, saltem quando suppetit copia aliorum Sacerdotum; qui eo officio ritè, & cum animarum fructu defungi possunt. Verùm unusquisque in suo sensu abundat.

RESOLUTIO V. *Jurisdictio non confertur per rati habitationem de futuro, neque per consuetudinem propriè loquendo.* ] PRIOR PARS probatur, quia ad valorem absolutionis requiritur, ut Sacerdos dum absolvit, habeat jurisdictionem: atque dum Pastor ratificat

absolutionem antea prolata, non efficit ut absolvens haberet jurisdictionem, quando de facto absolvit. Ergo non efficit ut absolutio præterita sit valida.

*Confirmatur:* nam qui absolvit sub spe rati habitationis futuræ, absolvit conditionatè, si nimirum talis consenserit; absolutio autem prolata sub conditione de futuro contingenti, est invalida, ut diximus ubi de sacramentis in genere: quia dum profertur absolutio, conditio non adest: quando autem postea conditio exit, non iteratur absolutio. Ergo talis absolutio confertur omnino invalidè.

*Dices,* in jure rati habitationem retrotrahi, & mandato de præsentibus comparari. Unde sequitur perinde esse, si absolutio præterita rata habeatur ab ordinario Pastore, ac si daretur ex illius mandato. *Respondeo* regulam illam habere locum in iis, quæ possunt pendere à conditione aliqua de futuro; quales sunt contractus humani: at verò absolutio non pendet ab aliqua ejusmodi conditione, ut dictum est.

*Secunda pars declaratur,* & probatur: nam duobus modis introduci potest consuetudo audiendi confessiones, primò scientibus, & repugnantibus superioribus: secundo iis scientibus, & non contradicentibus, cum facile possint. Priori modo clarum est jurisdictionem non dari, quia superior non consentit, ad quem solum spectat eam conferre; & idem dic si consuetudo usurpetur, superiore profus inscio. Posteriori autem modo jurisdictio confertur, non quidem ab ipsa consuetudine: siquidem consuetudo est inferiorum, qui jurisdictionem dare non possunt. Datur ergo jurisdictio ab ipsis superioribus per consensum tacitum, & consuetudo est indicium sufficiens talis consensus: quia eò ipso quòd iis videntibus, nec reclamantibus jurisdictio usurpatur, prudenter existimari potest, eos consentire, ut ita fiat.

DE POENITENTIA. CAP. V. 253

RESOLUTIO V. *Ad valorem absolutionis requiritur, ut jurisdictio Sacerdotis non sit impedita, per censuras Ecclesiasticas.* De hoc non est difficultas, quia non posse uti jurisdictione, perinde est moraliter loquendo, ac ea carere: sicut idem est non posse è vagina ensem educere, & eo carere. Ut autem hæc resolutio clarior evadat,

*Notandum est jurisdictionis usum impediri per censure Ecclesiasticas, nimirum per excommunicationem, suspensionem, & interdictum: non quidem in omnibus casibus, sed tantum in duobus, qui à Concilio Constantiensi designati fuerunt. Quando scilicet quis nominatim, & publicè est excommunicatus, aut alia censura ligatus, & quando censura incurritur ob percussionem clerici, adeò notoriam, ut nulla tergiversatione celari possit, aut juris suffragio excusari.*

Porro ut quis dicatur talem incurrisse censuram, ob quam in participatione sacramentorum vitari debet, *requiritur primò* ut nominatim, id est, expresso ipsius nomine, aut certè appositis variis signis, illum certò demonstrantibus, declaretur excommunicatus, aut suspensus ab omni usu Ecclesiastici officii, vel speciatim administrationis sacramentorum. Unde si iudex excommunicet Sempronium, & fautores suos: Sempronius vitandus erit, non illius fautores, donec nominatim publicè declarentur excommunicati.

*Secundò* requiritur, ut ejusmodi denunciatio fiat publicè: Concilium enim exigit, ut sententia à iudice publicetur, quod non habet locum, quando aliquis privatim declaratur excommunicatus, aliave censura ligatus: talis enim declaratio rationē publicationis habere non potest. Publica autem illa denunciatio fieri potest, vel in Ecclesia tempore sacrificii, vel litteris loco publico affixis, juxta consuetudinem loci.

*Tertiò;* ut talis vitari debeat, necesse est ut probabiliter



biliter constet eum fuisse denunciatum, sive per famam publicam, sive per virum aliquem probum, & fide dignum id sciatur. Quod si verisimiliter constet, famam esse falsam, aut ubi renunciantem fuisse deceptum, aut certè eum qui excommunicatus fuerat, jam esse absolutum, tunc non teneris illum vitare.

*Quartò*, ut quis ob percussione[m] clerici vitari debeat, duo requiruntur; primo, ut ea percussio adeò sit notoria majori parti vicinorum, ut nulla tergiversatione celari possit. Secundò ut percussor clerici nullo juris suffragio se excusare valeat. Quæ duæ conditiones non semper concurrunt: nam plerumque aut factum pluribus non innotescit, aut percipienti jus vel verè, vel apparenter suffragari potest.

Itaque, si Sacerdos habens jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam, sit modo prædicto excommunicatus, aut percussor clerici, absolutio ab illo data, extra periculum mortis, nullius est valoris. Secus verò, si non sit nominatim, aut publicè denunciatus, aut percussio clerici non sit notoria, vel aliqua ratione excusari possit: talis enim est toleratus ab Ecclesia, quæ jurisdictionis illi concessæ usum non impedit.

RESOLUTIO VI. *Requiritur etiam ad valorem absolutionis, ut jurisdictio non sit impedita, vel limitata per casuum reservationem.* Ut hoc intelligas. *Nota 1.* Eos qui jurisdictionem habent ordinariam, posse sibi peccata reservare. Quod non tantum verum est de summo Pontifice, & Episcopo, sed etiam de Parocho; cum enim ipse possit suam jurisdictionem alicui delegare, potest id facere, vel sine limitatione, vel cum limitatione aliqua, certos videlicet casus sibi reservando.

*Nota 2.* Pastores ordinarios posse sibi reservare peccata mortalia, etiam si censuram adjunctam non habeant: quia cum necessaria sit jurisdictio, etiam ad absolvendum à culpa quæ censuram adjunctam non habet,

DE POENITENTIA. CAP. V. 255

habet, certè ea limitari, vel extendi potest, juxta beneplacitum illius qui jurisdictionem confert.

*Nota 3.* Reservari posse peccata mortalia merè interna, cum non minus ad eorum absolutionem, jurisdictione requiratur quàm externorum: ea tamen de facto reservari non solent, eò quòd eorum reservatio ad regimen externum Ecclesiæ, quod maxime spectari debet, parùm conducatur. Quòd spectat ad peccata venialia certum est ea non posse ita reservari, ut teneatur quis ea confiteri tali Sacerdoti, sicut mortalia reservata: absolutè enim nemo tenetur ejusmodi peccata confiteri, cum aliis modis eorum absolutionem obtinere queat.

*Nota 4.* Peccata reservata directè remitti posse: tum à reservante, tum ab eo qui est superior reservantis, quoad jurisdictionem istius fori: tum denique ab eo qui ab illis potestatem habet, quoad hoc delegatam, sive talis facultas directè concessa fuerit ipsi confessorio, sive tantum indirectè, per facultatem alicuj concessam, eligendi confessorem à quo à reservatis absolvatur.

*Nota 5.* Superiorem teneri inferiori petenti facultatem, ut ab alio absolvi possit à casibus reservatis, eam concedere: tum quando inferior justa de causa non vult confiteri suo superiori, tum quando renuit ei confiteri ex gravi verecundia, & periculum est ne peccatum aliquod scienter prætermittat: tum quando verisimile est concessionem illius facultatis magis profuturam inferiori, quam negationem ejusdem, quia nimirum casus reservari debent in utilitatem subditorum, non autem in eorum detrimentum. Imò superior graviter peccat, si à confessorio inquirat, quis sit ille qui peccatum perpetravit, aut aliis indirectis interrogationibus detegere tentet aliquas circumstantias, per quas in notitiam illius veniat: hoc enim est procurare, ut sigillum sacramentale frangatur, quod sine gravi peccato fieri requirit.

*Nota*

*Nota 6.* Onus se præsentandi superiori, ab eo imponendum non esse, quando aliquis petit facultatē ab ipso, ut ab alio absolvi possit à casibus reservatis antea commissis. Nam vel ipse qui peccatum patravit, petit facultatem per seipsum, vel per alium; si per se, satis se præsentat; si per alium, signum est eum nolle præsentari suo superiori, atque adeò ad fugiendum tale onus velle alteri confiteri: frustra igitur superior tale onus ei imponeret, quia mallet non confiteri, quam talem conditionem acceptare.

**RESOLUTIO VII.** *Ut quis validè absolvat à peccatis mortalibus nunquam confessis, præter jurisdictionē, requiritur approbatio Episcopi.* ] Ita statuitur in Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15.* de Reformat. quod intelligendum est cum nonnullis limitationibus, quæ ibidem adducuntur, Primò, ut decretum non intelligatur de iis, qui audiunt confessiones Regularium: non enim necesse est, ut tales sint approbati ab Episcopo. Secundò, nec de iis qui habent beneficium Parochiale: illi enim eò ipsò censentur approbati.

*Ubi nota 1.* Approbationem ad confessiones audiendas necessariam, dandam esse ab Ordinario Confessarii. Ita bis declaratum fuit à Cardinalibus sacre Congregationis, quorum responsiones referuntur, post caput citatum Concilii Trident. Cujus rei ratio afferri potest, quia approbatio est actus jurisdictionis; quare cum confessarius approbetur, approbatio dari debet ab habente jurisdictionem in eum; atque adeò ab Ordinario illius, cui tantum est subditus. Accedit quod approbatio est testimonium authenticum de sufficientia confessarii, quod proferri non debet, nisi à iudice ordinario illius.

Unde cum Episcopus, in cujus diœcesi Regulares habitant, censeatur eorum Ordinarius, sicut ex antiquo jure ei tenebantur præsentari, ad audiendas confessiones sæcularium, ita ex novo, ab eo approbandi sunt. Nec sufficit approbatio petita, si obtenta nō sit:

*nam*

DE POENITENTIA. CAP. V. 457

nam Concilium absolute dicit, nullum etiam Regularem, posse confessiones secularium audire, nisi approbatus sit ab Episcopo, quod autem petita sit approbatio, hoc non satis, ut quis approbatus sit, sed tantum ut approbari voluerit.

*Nota 2.* Episcopum non debere, sine justa causa, approbationem denegare, sive Regulari, sive non Regulari eam petenti: quia hoc non est opus gratiae & favoris, sed justitiae; est enim justum iudicium, quo aliquis declaratur idoneus ad confessiones audiendas: in quo approbatio distinguitur à delegatione jurisdictionis, quae est quadam gratia liberaliter facta à delegante. Quo fit ut possit Episcopus non delegare suam jurisdictionem, ad confessiones audiendas; ei, quem idoneum declarat ad hoc munus obeundum. Sicut autem tenetur Ordinarius approbationem concedere subdito petenti, si conditiones requisitas habeat; ita semel concessam non potest, sine justa causa, revocare: & secus faciens, peccat. Ceterum approbatio semel concessa durat, quamdiu non revocatur: unde etsi moriatur Episcopus, qui confessarium approbavit, non propterea cessat approbatio.

*Nota 3.* Ex probabili sententia, absolute approbatum à suo Ordinario, censei approbatum pro omnibus Ecclesiis, ita ut in aliena dioecesi possit deputari ad confessiones audiendas, sine nova approbatione. Ita tenent nonnulli recentiores viri pii & docti, praeter illos qui generatim docent, approbatum ab uno Episcopo, sive sit Ordinarius, sive non, censei approbatum pro tota Ecclesia. *Ratio est*, quia Concilium Trident. in suo decreto exigit tantum approbationem Ordinarii ipsius confessarii, non autem poenitentis. Quod verò ea sola sufficiat, colligitur ex subjectis declarationibus Cardinalium, quia cum ibi dicatur, posse Episcopum eligere sibi non subditum, qui à suo Ordinario approbatus sit: Itemque Regularem tempore Jubilæi, posse eligere Sacerdotem à suo Ordina-

Ordina-

Ordinario approbatur, & non alias; aperte supponere videntur, ut iurisdicção Sacerdoti extraneo delegetur, satis esse quod approbatus sit à suo Ordinario. Si tamen alia sit mens sacre Congregationis Cardinalium, ei accuratè standum est. Et interim prædicta sententia ita limitanda est, ut non liceat Sacerdotibus alicubi confessiones audire, reuente illius loci Episcopo, etsi à suo Ordinario approbati sint. Imo, Episcopo non prohibente, ut facultate illa utantur cautè, & tantum occurrente aliqua necessitate, ut si verbi causa, aliquo die festo multi accederent ad sacramentum Pœnitentiæ, neque esset opportunitas petendi approbationem ab Ordinario loci. Quanquam fateor tutius esse, ea facultate omnino non uti.

RESOLUTIO VIII. *In Confessorio requiritur bonitas, scientia & prudentia.*] Hæc ita explico. In primis ut sacramentum illud validè perficiatur, necesse est ut Minister illius ea præditus sit bonitate, quæ necessaria est ut sine fictione, & cum intentione debita absolutionem conferat. Ut autem absolutio non modo validè, sed etiam sanctè, ex parte Ministri conferatur, necesse est ut ille gratia habituali præditus sit, ut patet ex dictis, ubi de Sacramentis in genere.

Hinc colligo, ut quis dignè eligatur ad hoc ministerium, necesse esse per se loquendo, ut sit vir probus, & bonæ famæ; nisi enim talis sit, non potest sanctè, & sine scandalo exercere tale ministerium: quare nec ab alio eligi potest ut illud exercent. Si tamen eligatur, valebit sacramentum ab eo collatum: quia eiusmodi bonitas non requiritur ad valorem, & substantiam sacramenti, sed tantum ad rectum illius usum. Dixi per se loquendo: nam in gravi necessitate, ille eligi potest, qui peccatis se contaminare solet.

Requiritur etiam scientia aliqua, ut quis dignè hoc sacramentum administret, quia cum se habeat  
per

per modum iudicii, ea scientia requiritur quæ necessaria est, ut sententia iustè & debitè in hoc foro feratur: quod valde operosum est, cum agatur de conscientia hominis, & de peccatis in ea latentibus, quæ diligenter examinanda sunt, & ponderanda juxta cuiusque speciem, & circumstantias aggravantes, ut iusta pro iis satisfactio imponi possit. Quare necesse est, ut confessorius possit discernere, an peccatum aliquod cuius sit confessio, sit mortale an tantum veniale; quænam sint peccati species, & circumstantiæ aggravantes, vel minuentes; quænam sint peccata reservata, à quibus absolvere nequit; quænam ex illis censuram adjunctam habeant, & similia, quæ sigillatim Summistæ prosequuntur.

Ex quo collige superiorem exponentem subditum, qui caret scientia requisita ad confessiones audiendas, eique suam jurisdictionem delegantem: itemque confessorium qui sine ejusmodi scientia, tale ministerium exequitur, peccare graviter: eò quòd grave peccatum est, committere sacrum ministerium indigno, & indignè illud exequi. Poterit tamen interdum inferior ex obedientia, licitè illud munus suscipere, credens suo superiori judicanti eum esse idoneum, ad confessiones audiendas.

*Notandum* tamen est Sacerdotem ignarum, confessiones audientem, à peccato excusari in tribus casibus, primò quando quis versatur in articulo, aut probabili periculo mortis, neque alius adest, à quo possit absolvi. Secundò quando novit eum, cuius confessionem excipit, esse virum doctum, qui probè scit species, numerum, & circumstantias peccatorum explicare; quique illius ignorantiam supplere potest. Tertiò quando audit personas spirituales, quæ non nisi venialiter, ut plurimum, peccare solent.

Eget tandem confessorius magna prudentia, quia cum Medici personam gerat, diligenter curare debet, ut ea remedia ægrotò adhibeantur, quæ ad illius animam

animam

animam sanandam, & in posterum contra morbi vim muniendam, aptiora esse videbuntur, ut monet Catechismus Romanus, de confessione num. 57.

RESOLUTIO IX. *Quando confessarius probabiliter credit, pœnitentem, ex negligentia, aliquid necessarium ad integritatem confessionis omittere, tenetur eum interrogare, circa id quod prætermittere existimatur, illumque, non præmissa ejusmodi interrogatione, absolvens peccat mortaliter.* ] RATIO est, quia eo modo absolvens, applicat formam absolutionis insufficienti materiæ, nimirum confessioni non integræ formaliter, quod est sacrilegium. Ex inadvertentia tamen invincibili, illam interrogationem omittens, non peccat, quod si hoc fiat ex negligentia levi, peccatum erit veniale.

*Quo loco observandum est 1.* Confessarium non debere esse nimis scrupulosum, in interrogationibus faciendis, sed debere tantum ea interrogare, quæ probabiliter credit à pœnitente, spectata illius conditione, commissa fuisse. Quod si absque ulla probabilitate, & ex scrupulo tantum putet, à pœnitente aliquid omissum esse, eum interrogare non debet; & idem dic, si bona fide existimet illum integre confessum fuisse. Non debet autem omnes interrogare æqualiter, sed quemlibet juxta statum & conditionem illius, ac peccata confessa. In quibus interrogationibus faciendis, ad eò prudenter confessarius se gerere debet, ut non det occasionem pœnitentibus postea ridendi, neque eos doceat, quæ fortè ignorât; quod diligenter in peccatis quæ castitati adversantur, observandum est.

*Observandum 2.* Quando confessarius scit, ex alterius tantum relatione, pœnitentem aliquod peccatū perpetrasse: ipse tamen interrogatus, negat se illud commisisse, illius dicto standum esse: vel existimandum alteri confessum esse, & propterea peccatum reticere. Quod si confessarius ipse vidit peccatum aliquod mortale à pœnitente committi, quod ipse  
postea

DE POENITENTIA. CAP. V. 261

postea reticet in confessione: tunc si probabiliter judicare potest, eum alteri confessum esse, debet illum absolvere. Si vero certo constet, poenitentem nemini confessum esse, & ipse etiam interrogatus neget, se praedictum peccatum perpetrasse, absolvendus non est, utpote nolens integre confiteri: ad eum modum quo ille absolvi non debet, quem constat sufficienter de peccatis non dolere. Licet enim in judicio externo, quod publicum est, requiratur scientia publica, ad convincendum reum, nec privata sufficiat, in interno tamen, quod ordinatum est ad bonum privatum poenitentis, & fit secreto, confessarius uti potest privata scientia, ad arguendum poenitentem.

RESOLUTIO V. *Confessarius debet poenitenti absolutionem negare, quando constat eum legitime non esse dispositum.* RATIO EST, quia cum exerceat officium judicis, debet justam sententiam proferre: sententia autem non esset justa, si absolutione indignum absolveret. Accedit quod dispositio poenitentis necessaria ad effectum hujus sacramenti, requiritur etiam ad valorem absolutionis: quare si Sacerdos absolvere tentaret poenitentem non rite dispositum ad gratiam consequendam, absolutionem proferret supra indebitam materiam, & sacrilegium perpetraret.

Hinc sequitur confessarium, antequam absolutionem proferat, debere probabiliter existimare poenitentem sufficienter esse dispositum, tum respectu temporis praeteriti, si nimirum satisfecit obligationi, qua tenebatur aliquid exequi sub mortali; tum respectu praesentis, si sufficienter dolet de peccatis a se commissis, quod ordinariè confessarius ex modo narrandi peccata, aut ex aliis signis externis deprehendere potest; iis autem deficientibus poenitenti dicenti, se ex animo dolere, credere debet. Tum denique respectu futuri, si poenitens firmiter proponat in posterum peccata, & eorum occasiones vitare; et si confessarius

confessarius



fessarius probabiliter iudicet, eum diu non servaturum ejusmodi propositum.

Porro sicut non debet confessarius absolvere poenitentem non dispositum, ita ritè dispositum absolvere tenetur: cum enim sit iudex, auditâ integrâ causâ, reum qui absolutione dignus est, absolvere debet; eò vel maximè, quod Deus cujus vices gerit, ejusmodi poenitentem vult à peccatis absolvi, cum ab eo nihil aliud exigat, quam legitimam dispositionem.

Hoc autem procedit, etiam de confessario delegato: nam et si ille non teneatur confessionem alicujus audire; si tamen audiat, tenetur poenitentem, integrè, & cum debito dolore, ac preposito nò peccandi confessum absolvere: hoc enim a equitas iudicii postulat. Censeri autem debet poenitens ritè dispositus, et si sequatur opinionem in praxi probabilem, cujus oppositam confessarius probabiliorè existimat, quia tuta conscientia sequi possumus id quod probabile est, ut suppono ex dicendis in Theologia Morali. Unde peccaret, confessarius, si absolutionè negaret poenitenti; qui opinioni illius, quantumvis probabiliori, se conformare nequit.

RESOLUTIO XI. *Tanta est obligatio servandi sigillum sacramentale, ut non liceat quacunque ex causa, sive directè, sive indirectè illud violare, ut omnes communiter tradunt.* In primis quod sit *gravis obligatio servandi sigillum sacramentale*, seu non revelandi peccata, quæ in confessione audiuntur, patet. Cum enim Christus sacramentum Poenitentia instituerit, tanquam medium necessarium, quo homines uti tenentur, ad obtinendam veniam peccatorum, etiam occultorum & gravissimorum; consequenter instituisse censetur ea omnia, sine quibus commodè hoc sacramentum administrari non potest, tale autem est sigillum secreti: nam si fas esset Sacerdoti ea detegere, quæ in confessione audivit, confessio valdè odiosa omnibus redderetur. Quòd  
maxi-

maximum esset inconveniens, tum quia gravis fieret injuria sacramento: tum quia homines non auderent peccata gravia detegere, & ita periret præcipuus confessionis fructus, qui in eo consistit. quod per illam ejusmodi peccatis, remedia convenientia adhibeantur.

*Deinde*, quod tanta sit vis prædictæ obligationis ut ex nulla unquam causa, verbi causa, ad impediendum aliquod malum, sive privatum, sive publicum, etiam gravissimum, sigillum sacramentale infringere liceat. Probatum eadem ratione, quia cum hoc sacramentum à Christo institutum sit, tanquam secunda post naufragium tabula, sine qua homines ad portum salutis vehi nequeunt, seu tanquam medium ad salutem necessarium, iis qui post baptismum in peccatum mortale lapsi sunt, multò minus malum est quodcumque nocumentum temporale, sive privatum, sive publicum, quam occasio data hominibus, non utendi hoc sacramento: ab eo autem usu averterentur, & exosa omnibus fieret confessio, si fas esset Sacerdoti, sigillum sacramentale infringere.

*Tertio*, quod nefas sit hoc sigillum violare, sive directè, sive etiam indirectè, probatur, quia moraliter perinde est, quovis modo confessionem prodas; cū ex quacumque revelatione idem sequatur effectus, nimirum quod pœnitentia confessio exosa reddatur, & fiat injuria sacramento.

Hinc, si superior per solam confessionem cognoscat, aliquem ex suis subditis esse indignum officio quod exercet, aut quod prosequitur: non debet illū à tali officio amovere, aut ei suffragium negare, si hoc fieri nequit, sine revelatione indirecta sigilli sacramentalis. Imò etsi non sit periculum aliquod revelationis respectu aliorum; & tamen pœnitens suspicaturus sit, se privari officio quod possidet, aut à consequendo repelli, propter peccatum in confessione manifestatum; superior non potest tunc uti scientia  
acquisi-

acquisita per confessionem, & inferiorem amovere ab officio, aut ei suffragium denegare: tum quia hæc esset tacita exprobratio peccati in confessione auditi, quæ extra confessionem illicita est, siue fiat verbis, siue factis: tum quia hoc modo confessio redderetur valde onerosa: siquidem inferiores non auderent cōfiteri suis superioribus ea peccata, propter quæ ab officiis suis merito possent amoveri.

*Quæres*, an possit superior amovere ab officio, quæ per solam illius confessionem eo indignum novit, si nullum sit periculum exprobrationis, vel revelationis sigilli. *Respondeo* negative, quia cum Clemens VIII. in decreto de casibus reservatis, pro Religiosis edito, statuat, ut superiores Regularium caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur; ideo ejusmodi superiores in nullo casu, ad regimen externum, cognitione per confessionem habita, uti debent.

*Nota*, non modo esse contra hoc sigillum revelare peccata sed etiam detegere circumstantias, & objecta peccatorum interiorum, quæ aliquis confessus est: item alia multa quæ communiter afferri solent, ad explicationem peccatorum, licet vel parum, vel nihil omnino ad id conducant, imò nonnunquam imprudenter dicantur. Si enim fas esset ea revelare, multi retraherentur à confessione, aut certè ad eam cum fiducia non accederent, quod accuratè vitandum est. Quare confessarii valde solliciti sint, nō modo ea omnia alto silentio premere. ex quorum revelatione confessio posset reddi odiosa viris sapientibus, & qui acri judicio pollent; sed illa etiam quorum revelatio simplices, & imprudentes ab hoc sacramento retrahere posset: Græcis enim ac Barbaris; sapientibus, & insipientibus debitores sumus.

## CAPUT VI.

*De effectu Pœnitentiæ quoad mortalium remissionem.*

**R**ESOLUTIO I. *Peccata mortalia remitti possunt, tum per sacramentum Pœnitentiæ; tum per pœnitentiam quæ est virtus.* ] PRIOR PARS sequitur ex dictis cap. 27. ubi ostendimus, hoc sacramentum esse à Christo eo fine institutum, ut per illud homo, qui post baptismum mortaliter peccavit, in gratiam cum Deo redeat, quæ ratio est, cur passim à Patribus dicatur, secunda post naufragium tabula. Item materiam hujus sacramenti remotam quidem, esse peccata mortalia post baptismum commissa, proximam verò eorundem confessionem, contritionem, & satisfactionem; ac tandem per formam hujus sacramenti, significari collationem gratiæ, ex se peccatorum remissivæ. Ex quibus omnibus, aliisque similibus manifestum relinquitur, in sacramento Pœnitentiæ esse sufficientem vim, ad remittenda peccata mortalia.

*Posterior pars probatur, tum ex Hierem. 18. Ezech. 18. aliisque Scripturæ locis, quæ passim occurrunt; tum quia pertinet ad misericordiam divinam illius misereri, qui spectata humana fragilitate, facit quod potest, ut remissionem peccatorum obtineat; quique ad eum verè, & ex animo convertitur, per pœnitentiam. Spectat ad divinam justitiam, homini verè pœnitenti peccatorum veniam concedere, intuitu passionis Christi, qui est propitiatio pro peccatis nostris; nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi: quique nobis abundatissimam redemptionem promeruit. Spectat denique ad providentiam divinam, providere homini, quamdiu est in via, de aliquo medio, quo possit ad terminum æternæ fœlicitatis pervenire, atque ad eò amovere peccata, quæ obstant, quominus ad terminum illum possit peringere.*

*Dices, hæc sufficienter præstari in nova lege, per sacramentum Pœnitentiæ. Respondeo, institutionem hujus sacramenti non derogare efficaciam, & perfectioni virtutis pœnitentiæ: quare sicut in lege naturæ, & veteri homines per illam à peccatis verè justificabantur; ita in nova lege, illius vi peccatorum remissionem consequuntur, in voto tamen sacramenti, ut etiam definitum fuit à duobus summis Pontificibus, contra Michaëlem Bavum,*

*Neque his obstat primò, quod Paulus ad Hebr. 6. docet, impossibile esse eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam; ibi enim impossibile sumitur, pro eo quod est valde arduum, & difficile.*

*Neque obstat secundò, quod Scriptura iudicare videatur, blasphemiam in Spiritum sanctum, & peccatum ad mortem esse irremissibilia: per blasphemiam enim tunc intelligitur peccatum illud, quo quis ex mera malitia tribuit dæmoni, operationes Spiritus sancti; dicitur autem ejusmodi peccatum irremissibile; non quod remitti non possit, sed quia ob duritiam cordis, difficile pœnitentia de eo concipitur. Per peccatum autem ad mortem, commodè intelligi potest impœnitentia finalis, qua quis vult in peccato suo mori; pro quo certum est orandum non esse, si constet de prava illius finali voluntate.*

**RESOLUTIO II.** *Nullus actus pœnitentiæ, præter contritionem, sufficit ordinariè ad remissionem peccati mortalis, extra Sacramentum obtinendam.] PROBATUR, quia quilibet actus inferior est attritio; atqui attritio non sufficit, ut peccatorem extra sacramentum ad justificationem perducatur ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 4. Ergo id soli contritioni tribuendum est. Sequela patet ex dictis: nam cum dictum fuerit, peccatum mortale extra sacramentum per pœnitentiã deleri posse, id autem non competat attritioni, manifestè*

DE POENITENTIA. CAP. VI. 267

nifestè sequitur, eam vim contritioni, eique soli, inter actus poenitentiae tribuendam esse. Quod etiam aperte docet Concil. *Ibidem.*

Idem ostenditur *ratione à priori*: nam etsi hoc totum pendeat ex voluntate Dei qui si vellet, posset hominibus tantum attritis, quaecumque peccata remittere extra sacramentum; congruum tamen fuit, ut nobiliorem dispositionem ad talem effectum exigeret. Remissio enim peccati mortalis, est excellentissimum quoddam donum, quo homo ad amicitiam divinam acceptatur, per infusionem gratiae sanctificantis. Quare æquum est, ut ad illud se disponat extra sacramentum, per nobilissimum poenitentiae actum, qui est contritio, qua homo peccatum suum detestatur, ut summè repugnans amicitiae divinae, eamque penitus destruens, nosque Dei inimicos constituens; quatenus hoc totum spectatur ut malum quoddam Dei, ipsique valde displicens.

Dixi *ordinariè*: nam in casu Martyrii, potest interdum sufficere attritio, ad consequendam, sine sacramento, remissionem peccatorum mortalium; quando nimirum qui ad martyrium trahitur, bona fide existimat se verè esse contritum, cum tamen non sit nisi attritus.

**RESOLUTIO III.** *Ad remissionem peccati mortalis, necessaria est, per se loquendo, poenitentia formalis: interdum tamen sine ea effectus ille obtineri potest* ] **PRIOR PARS PROBATUR**, tum quia quae passim in Scriptura, & Patribus habentur, de necessitate poenitentiae ad remissionem peccatorum, intelliguntur de poenitentia formali, non minùs quàm ea quae in Conciliis traduntur de poenitentia, quae est pars essentialis sacramenti; tum quia congruum est ut homo, per se loquendo, non accipiat remissionem peccati, nisi de eo doleat, & ab illo animum formaliter avertat; quod non fit nisi per formalem poenitentiam.

*Secunda pars suadetur*; nam amor Dei super omnia est dis-

est dispositio sufficiens extra sacramentum, ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium; ea enim est perfecta ad Deum conversio, per quam homo ex congruo meretur, ut Deus vicissim ad ipsum per gratiam sanctificantem convertatur, juxta illud *Zachar. 1.* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Unde *Joan. 14.* dicitur, Deum diligere eum à quo diligitur, ad eum venire, & apud eum mansionem facere, quod fit per collationem gratiæ habitualis. Et *Luc. 7.* dicitur, Peccata multa fuisse remissa Magdalena, eo quòd dilexisset multum. Potest ergo remissio peccati mortalis obtineri, sine formali poenitentia.

*Confirmatur*: nam nulla haberi potest connaturalior dispositio ad habitum charitatis, quam actus amoris Dei super omnia. Ergoposito tali actu, infunditur habitus charitatis, qui etsi in nostra sententia, à gratia habituali distinguatur, cum ea tamen infallibiliter conjunctus est. Rursus cum remissio peccati mortalis sit effectus formalis gratiæ sanctificantis, sequitur de primo ad ultimum, amorem Dei super omnia, esse optimam dispositionem ad remissionem peccati mortalis; ac proinde eam remissionem obtineri posse, sine formali poenitentia.

*Nota 1.* Eum quidem non censeri diligere Deum super omnia, qui cogitans de peccato suo practicè ut detestando, non fertur in illud per actum quendam formalem doloris, aut detestationis. At verò fieri potest, ut peccator divino auxilio adjutus adeò intentus sit cogitationi divinæ bonitatis, ut nequaquam sui status recordetur; divina enim bonitas, & peccatum sunt duo objecta toto cælo distincta, ut mirum non sit, quòd homo eorum unum animo verset, etsi de alio non cogitet. Hinc autem sequitur, posse peccatoris voluntatem excitari ad amandum Deum, etsi nullum actum detestationis circa peccatum eliciat; & sic dicimus amorem Dei super omnia, sufficere ad  
obtinend-

obtinendam remissionem peccati mortalis, sine poenitentia formali.

*Nota 2.* Etiam in casu illo oblivionis, vel actualis inconsiderationis peccati, virtuales poenitentiam includi in amore Dei super omnia: atque adeo eam saltem esse necessariam, ad remissionem peccati mortalis. Cujus ratio est, quia amor Dei super omnia adeo perfectus & efficax est, ut illius vi moveretur peccator ad formalem detestationem peccati, si hoc illius menti occurreret. Quia scilicet, qui aliquem efficaciter & perfecte amat, ex vi ipsius amoris nititur quantum potest, destruere id omne quod ei displicere novit: qui ergo ita affectus non est, non potest dici quod amet Deum super omnia; ac proinde remissionem peccatorum, sine poenitentia virtuali obtinere nequit.

*Nota 3.* Ex quorundam sententia, quod sicut amor Dei super omnia virtualiter includit contritionem: ita vice versa, contritio includit virtualiter amorem Dei super omnia: quatenus ille qui peccatum detestatur, ut summè repugnans divinæ bonitati, ita comparatus est, ut si Deus ut amandus illius menti occurreret, statim exciteretur ad amorem illius, ex vi detestationis, qua fertur in peccatum. Ad eum modum quo, odium illud quo quis peccatum detestatur, ut excludens à beatitudine, ita includit virtualiter amorem propriae beatitudinis; ut si ea menti proponeretur, ad amorem formalem propriae beatitudinis excitaret.

RESOLUTIO IV. *Potest peccator per contritionem justificari, etsi non eliciat actum formalem amoris Dei super omnia.* RATIO EST, quia vera contritio reperiri potest sine actu formali amoris Dei: peccatum enim est objectum à Deo omnino distinctum, & contritio circa illud versatur per modum fugæ; amor verò in Deum tendit, per modum prosecutionis. Quisquis autem facile experiri potest, se interdum elicere actum fugæ, etsi nullum actum prosecutionis



eliciat. Item potest sibi objicere peccatum, ut summè detestandum, etsi non cogitet formaliter de Deo, ut summè diligendo: & consequenter voluntas potest formaliter detestari peccatum, etsi formaliter Deum non diligat. Quòd cum ita sit, negari non potest, quin contritio sufficiat ad remissionem peccati mortalis, etsi cum actu formali amoris Dei conjuncta non sit. Cùm enim Scriptura, Concilia, & Patres tribuant contritioni vim obtinendi remissionem peccatorum, eam illi tribuunt, etsi non sit conjuncta cum actu formali, sine quo reperiri potest; præfertim cum agant de ultima dispositione, qua posita statim gratia infunditur. Et aliunde ipse actus contritionis virtualiter includat, modo prædicto, amorem Dei super omnia, & sit perfectissima dispositio ad destructionem peccati, quæ haberi possit per modum fugæ.

*Dices primò*, contritio est detestatio de peccato, propter Deum summè dilectum. Ergo necessariò præsupponit formalem Dei amorem super omnia; atque adeò remissio peccati mortalis obtineri non potest per contritionem, quæ cum formali Dei amore conjuncta non sit. *Respondeo*, contritionem dici posse detestationem de peccato propter Deum summè dilectum, non quod necessario formalem actum amoris Dei supponat, sed quia talem amorem virtualiter includit, modo ante explicato.

*Dices secundo*, nemo potest attentè inspectam habere gravitatem peccati mortalis, ut summè repugnantis divinæ bonitati, nisi prius ponderet bonitatem, & majestatem infinitam Dei. Ergo non potest elici actus odii seu detestationis circa peccatum, ut per illud divina bonitas offenditur, quin prius voluntas in formalem Dei amorem prorumpat. *Negatur consequentia*. Requiritur quidem, ut consideratio bonitatis divinæ præcedat detestationem peccati; at verò postquam intellectus in ea contemplatione aliquam-

aliquamdiu commoratus est, potest facile, relicta consideratione directa bonitatis divinæ, gravitatem & malitiam peccati voluntati proponere, & eam tamdiu versare donec voluntas supernaturali auxilio adjuncta, in actum detestationis erumpat: etsi nondum ullum formalem amoris actum erga Deum directè elicuerit.

**RESOLUTIO V.** *Ad veram contritionem non opus est, ut ea sit absolute summa quoad intensiorem, aut etiam comparative, ita ut homo intensius peccatum detestetur, quam quodcunque aliud malum: sed sufficit intentio ad actus substantiam requisita.* ]

**PRIMA PARS PROBATUR** in primis, quia Scriptura, ex qua maximè desumenda est necessitas contritionis, jubet tantam ut ad Deum convertamur, & avertamur à peccato, nulla facta mentione conversionis, vel aversionis summè intensæ: *Zachar. 1.* Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos *Isa. 55.* Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.

*Nec refert quòd interdum exigat, ut homo ad Deum convertatur ex toto corde: hoc enim fit, quando ad illum convertitur, ut ad ultimum finem; & avertitur à creatura, ut ab ultimo fine: seu quando ita affectus est, ut creaturas omnes Deo postponat, & paratus sit nuncium iis remittere, potius quam Deum offendere; ad quod non requiritur summa actus intensio.*

*Alia ratio est, quia cùm detestatio peccati, de qua agimus, sit actus supernaturalis ab auxilio divino procedens, & ejusmodi auxilium majus, & majus conferri possit; nulla detestatio peccati adeo intensa est, quin intensior haberi possit.*

*Secunda pars ostenditur, quia si intensio illa comparativa ad contritionem esset necessaria, sequeretur peccatorem qui actu nullius rei temporalis dolore tangitur, se disponere ad justificationem, &*

gratiam recipere. per dolorem peccatorum intēsum tantum ad unum gradum; alium verò qui ob parentis, vel filii mortem affectus esset dolore intenso ut decem, non posse justificari, nisi eliceret actum contritionis intēsum ad undecim gradus: quod sine ulla probabilitate asseritur. Præsertim cum iste sine peccato, imò & cum laude, eo modo ob filii necem tritari possit, ut si, verbi causa, sciat eum interemptum fuisse, dum actu peccatum mortale perpetraret, & nullum superfuisse locum pœnitentiæ, merito peccet.

*Deinde, videmus interdum viros sanctissimos, majori dolore affici ob damnum aliquod temporale, quam propter peccata ab ipsis commissa, verbi causa, David 2. Reg. 29. tot signa doloris ostendit, ob mortem filii sui Absalonis, ut meritò videatur intensius doluisse quam ob peccata adulterii, & homicidii à se patrata. Quis autem dicat, eum peccatorum suorum remissionem non obtinuisse?*

*Tertia pars colligitur ex dictis; nam Scriptura exigit tantum veram detestationem peccati, & dolorem de illo, est autem vera detestatio peccati, etsi non habeat ullum certum intensiōnis gradum: quemadmodum est talis, etsi non sit summè intensa, sive absolute, sive comparative. Per suam enim entitatem substantialem, ut ira loquar, est actus supernaturalis per se sufficienter proportionatus, ad obtinendam gratiam habitualem; & præterea efficaciter separat cor à peccato, illudque convertit ad Deum, ut ad ultimum finem super omnia dilectum; quare nihil illi deest, ad veram & substantialem contritionem.*

**RESOLUTIO VI.** *Ad veram contritionem requiritur quod sit summa appetitivè. ] Ut hoc intelligas, nota dolorem de peccatis conceptum, esse posse summum duobus modis, nimirum intensivè, & appetitivè. Dicitur summus intensivè, quando fit cum maximo conatu voluntatis, divino auxilio præventæ & adjunctæ,*

adjunctæ, *summus verò appretiativè*, quando eadem voluntas magis detestatur peccatum, quàm reliqua omnia mala: ita ut paratior sit quodcunque malum subire, quam Deum offendere. Hic autem dolor à priori separari potest: nam sicut videmus scēminam interdum acrius dolere ob mortem filii, quam ob mortem mariti, quem tamen pluris æstimat; ita fieri potest, ut quis vehementiùs tristetur, ob malum aliquod temporale, quam ob peccatum mortale: & tamen sit paratus mortem subire, & quæcunque alia mala perpeti, potiùs quàm Deum offendere; quia videlicet pluris æstimat amicitiam divinam, quæ peccato violatur, quàm quæcunque bona creata.

Quare autem magis intensè doleamus, ob malum quod minoris æstimamus, & vice versa causa est, quia bonum quo nos privat, magis afficit partem inferiorem, & imaginatio apprehendit illud ut valde sibi consentaneum: quare voluntatem movet ut propter illius amissionem vehementer doleat. Contrà verò, quia interdum id quod secundum rectum judicium rationis, majus & præstantius bonum æstimatur, minùs sensum afficit: ideo voluntas remissius de illius amissione tristetur, utpote quæ à parte sensitiva, ad vehementiùs dolendum minimè impellitur.

Hoc posito, *probatúr resolutio* iis Scripturæ locis, quibus pœnitentia præcipitur ex toto corde. *Deuteronom. 4.* Cùm quæsieris Dominum, invenies eum, si toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ. *Hierem. 29.* Quæretis & invenietis me, cùm quæsieritis me, in toto corde vestro. *Joël. 2.* Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu, & planctu. Ex iis enim aliisque similibus sic argumentor. Eodem modo præcipitur in Scriptura contritio, quo amor Dei, ut nimirum tam hic, quàm illa fit super omnia; atqui ad satisfaciendum præcepto amoris Dei, necesse est, ut homo Deum amet super omnia

omnia

omnia appetiatiuè, seu ut tanti faciat amicitiam diuinam, ut potius rebus omnibus creatis, quàm illà privari velit. Ergo etiam ut quis præcepto pœnitentiæ satisfaciatur, debet detestari peccatum super omnia appetiatiuè, ita ut malit potius quamcunque pœnam subire, quàm Deum offendere. Imò unum ex alio necessariò sequitur: nam non possumus Deum amare super omnia, nisi peccatum super omnia detestemur; siquidem peccatum directè aduersatur voluntati diuinæ, & illius nobiscum amicitiam funditus destruit.

**RESOLUTIO VII.** *Vera contritio ad justificationem sufficiens, in momento, sine ulla temporis continuatione haberi potest.* ] **PROBATUR** 1. ex Scriptura quæ gratiam promittit ei, qui ad eum per veram pœnitentiam convertitur: ille autem ad Deum dicitur converti, qui ex toto corde detestatur peccatum, quod in instanti fieri potest, absque ulla continuatione temporis. *Confirmatur*, nam sicut Scriptura non exigit in pœnitentia intensionem aliam actus, quàm eam quæ ad substantiam illius requiritur; ita non postulat aliam actus extensionem, seu durationem præter eam, quæ ad illius substantiam & entitatem sufficit. Potest autem contritio, cum sit actus à potentia spiritali elicitus, quicquid ad entitatem illius, & rationem substantialem pertinet, habere in instanti: quare in unico instanti habere potest statum & perfectionem contritionis, qualis ad justificationem requiritur.

*Probat* 2. Nam etsi continuatio libera actus boni sit honesta, & laudabilis, non tamen mutat speciem & substantiam actus; sed est quid illi accidentarium & extrinsecum. Quare contritio in eodem instanti quo elicitur, habet speciem, substantiam, & rationem contritionis, & consequenter nihil illi deest ad veram pœnitentiam, qualis ad justificationem requiritur.

*Obijcies primò;* perfecta contritio est dispositio ad gratiam

DE POENITENTIA. CAP. VI. 275

gratiam sanctificantem : dispositio autem præcedit formam, ad quam subjectum præparat. Ergo contritio gratiam præcedere debet, & consequenter durare donec illa infundatur. *Respondeo* duplicem esse dispositionem ad formam aliquam, nimirum remotam, & proximam : inter quas illud est discrimen, quod remota ut sic tempore præcedit formam, proxima verò naturâ dumtaxat. Cæterum contritio est proxima dispositio ad gratiam, ut patet ex dictis: quare non præcedit illam tempore, sed tantum natura.

*Objicies* secundo, si eodem temporis momento quo actus contritionis elicitur, infunditur gratia, qui conteritur potest esse certus se habere gratiam. *Respondeo* idem inconueniens sequi ex opposita sententia : nam si duratio aliqua est in præcepto, assignet quanta illa sit, & tum qui per tantum temporis contritionis actum protraxerit, certus erit de sua gratia : sicut ergo dicere debet, non ideo aliquem esse certum se esse in gratia, quod per aliquam temporis moram elicerit actum contritionis, sine ulla interruptione : quia non propterea novit, an actus ab eo elicitus sit supernaturalis, & qualis ad justitiam requiritur : ita propter eandem rationem, dicemus nos eum qui justificatur, eodem momento temporis quo conteritur, non esse certum se accepisse gratiam.

RESOLUTIO VIII. *Ad veram contritionem non opus est, ut de singulis peccatis singuli doloris actus habeantur, sed sufficit unus doloris actus, qui generatim feratur in omnia peccata.* ] Sequitur ex præcedentibus: ostensum enim est veram contritionem, quæ sufficit ad peccatorum remissionem, haberi posse in momento. At si quot peccata mortalia fuere patrata, tot eliciendi essent actus doloris, cum illa innumera esse possint, longo tempore opus esset ad dolendum de singulis, tantum abest ut dolor in unico instanti haberi posset.

*Deinde* non sunt multiplicanda præcepta sine necessitate: at nulla est necessitas dicendi, ejusmodi distinctos doloris actus esse præceptos iis, qui plura commiserunt peccata: nam Scriptura simpliciter exigat poenitentiam & conversionem cordis, quæ sicut sine intensione, & duratione; ita sine multiplicatione actuum probè intelligi, & subsistere potest. Maximè cum unicus detestationis actus, ad innumera peccata extendi queat, sub ea ratione universali, quam supra diximus in contritione spectandam esse; nimirum ut sunt contraria bono divino, & illius amicitia adversantia.

*Objiciet aliquis*, quodlibet peccatum est particularis, & distincta aversio à Deo: ergo ad cujuslibet remissionem necessaria est particularis, & distincta ad Deum conversio; quod non nisi per distinctos contritionis actus fieri potest. *Respondeo* ad remissionem peccatorum requiri, vel particulares & distinctas conversiones, quæ distinctis aversionibus respondeant, vel unam generalem quæ particulares eminenter complectatur, aut illis æquivalet; qualis est unica & simplex detestatio peccatorum omnium, propter Deum summè dilectum. Imò si res attentè inspiciatur, utilis est & securius actum aliquem detestationis, circa omnia peccata generatim elicere, quam velle tantum de singulis, per singulos actus conteri: in illa enim detestatione generali peccata omnia includuntur; at vero si quæ oblivioni tradita sunt, quod ut plurimum contingit, ea in singularibus aliorum detestationibus non comprehenduntur.

RESOLUTIO IX. *Præceptum contritionis non obligat, cum primum homo advertit se esse in peccato mortali, nec in diebus festis, per se loquendo.* ] PRIOR PARS PROBATUR, quia si ejusmodi obligatio haberet locum, sequeretur hominem toties peccare mortaliter, quoties peccata recolens de iis non doleteret, quod incredibile videtur; cum fideles ejusmodi  
omissio

DE POENITENTIA CAP. VI. 277

omissionem non soleant confiteri, neque ipsi confessarii quantumvis pii & docti, moneant in ea committi peccatum.

*Sed possunt hic nonnulla objici* Primò illud Eccl. 5. Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem: subito enim veniet hora ejus. In quibus verbis videtur contineri præceptum statim poenitentiam agendi. *Respondeo* hoc loco non agi contra eos, qui post peccatum commissum, prima data occasione de eo non conteruntur, sed contra illos qui ex proposito, aut culpabili animi tepiditate differunt poenitentiam de mense in mensem, aut de anno in annum, qui vix à gravi divinæ bonitatis, & gratiæ contemptu excusari possunt, juxta illud Pauli ad Romanos 2. An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnitis, &c.

*Rursus objicitur*, nos teneri succurrere proximo, statim atque percepimus eum in gravi aliqua necessitate corporali versari: unde sequitur à fortiori, nos teneri consulere propriæ salutis, & incolumitati spirituali statim atque eam nobis innotescit. *Respondeo*, neganda est consequentia: Et ratio discriminis est, quia si semel amittatur vita corporalis, ea nunquam recuperari potest: vita autem spiritualis potest recuperari, quandiu homo vivit. Quare etsi homo statim teneatur proximo opem ferre, quando videt eum in proximo vitæ discrimine versari; non ideo sequitur eum qui est in peccato mortali, teneri statim contritionis actum elicere: sicut non teneretur statim auxiliari proximo, si remedium sine periculo differri posset.

*Præterea objicitur*, qui aliquid alteri debet, teneatur statim restituere, & damnum resarcire. Ergo peccator teneatur statim Deo facere satis, & restituere ei honorem, quem peccando abstulit. *Respondeo* pariter negando hanc consequentiam; nam per dilationem restitutionis augetur damnum proximo illatum, quare non mirum est si debitor teneatur



statim restituere: sicut autem per peccatum nullum Deo damnum inferitur, ita per dilationem poenitentiae nullum ejusmodi damnum augetur: quare non opus est, ut statim fiat satisfactio, sed suo tempore.

*Posterior pars suadetur*: nam si praeceptum contritionis diebus festis obligaret, ea obligatio deduceretur, vel ex re iis diebus praecepta, vel ex fine praecepti. Non ex re praecepta: nam duo praecipuntur diebus festis, nimirum ut Missam cum attentione audiamus, & ab operibus servilibus abstinemus: Possimus autem ritè ea praecepta exequi sine contritione, ut perspicuum est. Non etiam ex fine praecepti, quia ut ajunt communiter Theologi, finis praecepti non cadit sub praeceptum. Quare licet observatio festorum sit eo fine instituta, ut sanctificemus animas nostras Domino, eaque sanctificatio fieri non possit extra sacramentum, nisi per veram contritionem, vel amorem Dei super omnia: non propterea contritio vi illius praecepti est necessaria; quod similiter de amore illo Dei sentiendum est.

*Dices*, Deum non rectè coli, per actus ipsi minimè gratos, quales illi sunt qui fiunt in peccato mortalis: ac proinde opus esse ad legitimam festorum observantiam, ut peccator se ad contritionem excitet. *Respondet*, quòd etsi per ejusmodi actus non colatur Deus, quantum quidem necesse est, ut homo gratiam divinam sibi comparet: colitur tamen per illos, quantum opus est ut peccatum vitetur, & praecepto satisfiat.

**RESOLUTIO X.** *Praeceptum contritionis obligat saltem in articulo mortis.* } **RATIO EST**, quia praecepta non imponuntur hominibus, nisi pro hac vita. Ergo si quis ante articulum mortis, non implevit praeceptum contritionis, in eo illud exequi debet; alioqui in aeternum damnabitur, cum in futuro saeculo nullus sit locus poenitentiae.

*Dico*,

DE POENITENTIA CAP. VI. 279

*Dico, si antè, illud non implevit*: nam si aliàs de peccato verè contritus fuit, non tenetur tunc de illo iterum conteri; non enim datur præceptum de iteranda pœnitentia, sed de agenda: quamquam non parum utile sit eam repetere. Imò si quis per sacramentum cum attritione justificatus fuit, probabilius mihi est, cum non teneri de novo ad contritionem elicendam, quia contritio non præcipitur, nisi existenti in peccato mortali, qui verò quavis ratione justificatus fuit, jam non est in peccato: quare ille non tenetur conteri. Hinc *Luc. 15.* dicitur, Justos non egere pœnitentia.

Sed adversus duplicem hanc limitationem resolutionis nostræ, nonnulla possunt objici. *Adversus primam dici potest*, verum quidem esse, unico actu contritionis peccata remitti: hoc tamen non obstare, quominus homo aliquando, & saltem in articulo mortis, teneatur conteri de peccatis remissis: quia cum satisfactio per unicam contritionem exhibita, non sit integra, per alium actum perfici debet.

*Verùm licet unica contritio non sit æqualis injuriæ, est tamen talis, qualem Deus exigit ab homine, ut ipse veniam tribuat, ac debitum integrè quoad culpam remittat, quare nulla alia ad hunc effectum est necessaria: aliàs si æqualitas spectetur, sexcentæ non sufficient.*

*Adversus secundam limitationem sic argui potest.* Ideò impositum est homini præceptum contritionis, ut pro culpa commissa Deo satisfaciat quantum potest; at quando justificatur in sacramento cum sola attritione, non satisfacit quantum potest. Ergo adhuc implendum illi superest præceptum contritionis. *Respondet* hominem teneri Deo sufficienter satisfacere pro culpa commissa: at extra sacramentum, vel actum formalem amoris, non satisfacit sufficienter, nisi per actum contritionis; in sacramento verò per solam attritionem sufficienter satisfacit, quia Deus ob merita Christi in sacramento applicata,  
supplet

supplet defectum hominis, & ei simpliciter remittit injuriam, ac si integrè solvisset. Unde attritio cum sacramento æquivaleret contritioni.

**RESOLUTIO XI.** *Quando peccatum mortale remittitur quoad culpam, pœna æterna etiam illi remittitur: non tamen semper tota pœna temporalis tollitur.*

**PRIMA PARS PROBATUR**, quia de lege ordinaria, non remittitur peccatum mortale nisi in justificatione, quæ fit per gratiam sanctificantem; hæc autem gratia reddit hominem justum, & filium Dei, ac hæredem gloriæ æternæ, quæ directè opponitur pœnæ æternæ. Quare eò ipsò quòd peccatum mortale alicui remittitur, reatus etiam pœnæ æternæ censetur auferri. Et ita determinat Concilium Trident. *sess. 6. cap. 14.*

*Secunda pars probatur 1.* Ex eodem Concilio Trident. *sess. 6. cap. 14.* ubi hoc discrimen constituitur, inter sacramenta Pœnitentiæ, & Baptismi, quod in illo non semper tota pœna temporalis, sicut in hoc, remittitur, & *sess. 14. can. 12.* de sacramento Pœnitentiæ, hoc statuitur. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa, remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quàm fidem qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.

*Probatum 2.* Ratione tum à priori, tum à posteriori. *A priori* quidem ex ordine justitiæ qui exigit, ut qui Deum offendit ipsi satisfaciatur; at quamvis homo non possit Deo satisfacere pro pœna æterna, potest tamen pro temporali: quare ad justitiam pertinet, ut pro illa satisfaciatur; sicut ad misericordiam spectat, ut æterna pœna gratis illi condonetur. *A posteriori* verò eadem veritas evidenter colligitur ex triplici capite. Primò ex pœnitentiis quæ in confessione imponi solent. Secundò ex indulgentiis quas interdum summus Pontifex concedit. Tertiò ex pœnis quas animæ in purgatorio patiuntur. Ratio enim postulat, ut nisi remittatur pœna, quod fit per indulgentias, satisfactio fiat in hac vita, quod fit per opera à confessario injuncta.

DE POENITENTIA CAP. VII. 281

injuncta, aut certe ut in alia, poena à Deo statuta sustineatur, quod fit in purgatorio.

*Dices cum Novatoribus*, Scripturam asserere, Deum non amplius recordari peccatorum, quæ remissa sunt; item avertere faciem suam ab illis, eaque non imputare & similia, quæ non rectè dicerentur, si Deus pro peccatis illis poenam aliquam imponeret. *Respondeo*, Deum eatenus oblivisci peccatorum quæ remissa sunt, quatenus ea non punit poenâ æternâ, quæ ipsis debebatur, neque propter illa respicit amplius hominem, ut inimicum & odio dignum: sed eum diligit ut amicum, in dicitur ut filium, ac hæredem regni cœlestis, & ut talem leviter punit, eo modo quo parentes corripiunt filios suos, quos impensè diligunt.

*Nota*; quòd etsi non semper dum remittitur peccatum mortale, remittatur tota poena temporalis illis debita: interdum tamen contingere potest, pro ratione contritionis, ut integra poena penitus deleatur. Sicut enim quò perfectior est hominis contritio, eò major, cæteris paribus, illi gratia infunditur; ita etiam eò major poena temporalis illi remittitur. Unde contritio ad tantam perfectionem pertingere potest, ut intuitu illius tota poena deleatur.

CAPUT VII.

*De quibusdam aliis effectibus Pœnitentiæ.*

**R**ESOLUTIO I. Peccatum veniale remitti potest, tam per sacramentum, quàm per virtutem Pœnitentiæ. **PRIMUM** patet ex verbis illis *Joan. 20.* Quorù remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. ea enim generalia sunt, & ad peccata omnia actualia extenduntur. Quare cum per illa detur potestas absolvendi à peccatis in sacramento Pœnitentiæ, dubitari non debet, quin ea facultas etiam ad remissionem venialium extendatur.

*Confirmatur*; nam non tantum peccata mortalia, sed

sed etiam venialia sunt materia sufficiens sacramenti Pœnitentiæ, ut suprâ diximus. Unde rectè & utiliter, cirraque omnem præsumptionem in confessione dici possunt, ut tradit Concilium Trident. *sess. 14. cap. 3.* Quare absolutio sacramentalis non cadit tantùm in peccata mortalia, sed etiam in venialia.

*Secundum suadetur* nam si extra sacramentum, per pœnitentiam remittitur peccatum mortale, quis negare potest, per eandem remitti veniale, si ad illud se extendat? imò cum contritio virtualis sufficiat extra sacramentum, ad remissionem peccati mortalis: nulla ratio est, cur etiam non sufficiat ad expulsiōnem venialis. Cæterùm talis contritio includitur in eo actu amoris Dei quo homo ita Deum diligit, ut non tantum detestetur actu ea, quæ ipsius amicitia directè repugnant, eamque dissolvunt, sed etiam ea quæ eum offendunt, eique displicent, salva tamen illius amicitia, si illi veniant in mentem, ut practicè detestanda, aut si non occurrunt, ex vi actualis amoris ita affectus est, ut explicitè ea detestaretur, si ejus animo observarentur. An autem illa contritio necessaria sit ad remissionem peccati venialis, jam examinandum est, quare sit

**RESOLUTIO II.** *Ut peccatum veniale remittatur justo extra sacramentum, sufficit illius attritio.* ] **LOQUOR** de justo, ut vides: nam si sermo sit de peccatore, qui cum peccato mortali venialia conjuncta habet, dicendum est venialia in eo non remitti extra sacramentum, nisi per veram contritionem, quia nimirum ea non remittuntur, nisi mortale deleatur. Hoc autem de lege ordinaria, deleri non potest extra sacramentum, nisi per contritionem aut formalem, aut virtuales. Ergo idem de venialibus dicendum est.

*Probat*ur ergo resolutio, quia cum peccatum veniale non dissolvat amicitiam divinam, neque gratiam expellat, qui illud committit, manet Deo gratus,

tus, illiusque amicus, & filius adoptivus, ac hæres gloriæ æternæ : multoque minus Deum offendit, quam qui impingit in peccatum lethale, quod gratiam expellit, & amicitiam divinam violat. Quis autem sibi persuadeat, Deum tam perfectam exigere dispositionem ab ipsius amico, & filio adoptivo, idque pro levi offensa, quàm exigat ab ipsius hoste, & mancipio diaboli pro offensa gravissima? Hoc sanè divinæ misericordiæ, & æquitati parum videtur consentaneum. Cùm ergo Deus à peccatore non postulet nisi veram contritionem, ut illi peccatum mortale remittat extra sacramentum, fatendum est eum minori aliqua dispositione, atque adeò attritione contentum esse, ut peccatum veniale justo remittat.

*Dices 1.* Si attritio sufficit ad remissionem peccati venialis extra sacramentum, sequitur peccatum illud nunquam remitti in sacramento ex opere operato, quod absurdum est. Sequela patet: nam ad valorem sacramenti necessaria est attritio, ergo per illam semper remittitur peccatum veniale, antequam accedat absolutio. *Respondeo* hoc argumentum non habere locum in peccatore, qui accedit ad hoc sacramentum cum peccato mortali & veniali, & cum sola attritione: tunc enim remissio venialis non fit per illam attritionem, sed per sacramentum ut dictum est. Et hoc sufficit ut dicamus, ejusmodi peccatum interdum remitti ex opere operato.

*Dices 2.* Ex communi Theologorum placito, minor requiritur dispositio ad obtinendam peccati remissionem in sacramento, quàm extra sacramentum: atqui in sacramento ad remissionem venialis, requiritur ut minimum attritio. Ergo extra sacramentum necessaria est contritio. *Respondeo* majorem propositionem intelligendam esse, de remissione peccati venialis, quod cum mortali conjunctum est. Utrumque enim remittitur extra sacramentum per solam contritionem: in  
sacra-

sacramento autem attritio ad eorum remissionem sufficit.

RESOLUTIO III. *Ut peccatum veniale remittatur iusto, extra sacramentum, sufficit virtualis attritio.* ]  
 DICO extra sacramentum: nam cum formalis dolor sit de essentia sacramenti Pœnitentiæ, perspicuum est non posse per illud peccatum deleri cum dolore virtuali, ut supra cap. 26. ostensum est.

*Probatur ergo resolutio, de remissione venialis, extra sacramentum:* nam non magis est necessaria attritio formalis, ad remissionem peccati venialis, extra sacramentum, quam contritio formalis, ad remissionem peccati mortalis. Atqui contritio formalis non est necessaria, extra sacramentum, ut mortale remittatur, sed virtualis sufficit ex cap. præcedenti. Ergo & peccatum veniale, cum attritione virtuali remitti potest.

*Hinc collige,* non tantum remitti veniale, quando iustus de eo dolet, propter pœnas quas meretur, aut quia retardat ab afflictione æternæ beatitudinis, vel quia aliquâ ratione virtuti adversatur: sed etiam quando ita afficitur erga virtutem aliquam, ut ex vi ejusmodi affectus actualis, detestaretur peccatum veniale, si ipsi ut practicè detestandum occurreret. Sicut peccatum mortale deletur, quando homo ita Deum diligit, ut ex vi talis dilectionis, peccatum mortale detestaretur super omnia, si de eo cogitaret. Cum hoc tamen discriminè, quod contritio in amore illo Dei inclusa, ex vi motivi se extendit ad omnia peccata mortalia, atque adeo omnia excludit; attritio verò inclusa virtualiter in amore specialis cujusdam virtutis, non se extendit nisi ad peccatum tali virtuti oppositum, ac proinde solum illud expellit. Quare ut omnia deleantur, necesse est ut attritio ad omnia se extendat.

*Ex dictis etiam collige,* peccatum veniale nunquam remitti in hac vita, sine infusione gratiæ habitualis, vel enim remittitur simul cum mortali, & tunc manifestum

nifestum est infundi gratiam, ad remissionem mortalis, ex ordinaria lege necessariam. Vel remittitur per se solum in homine iusto, & hoc cum non fiat nisi per attritionem supernaturalem, aut formalem, aut virtuales, qui actus est de condigno meritorius augmenti gratiæ, certum etiam est remissionem peccati venialis non contingere, sine infusione gratiæ. *Dixi, in hac vita*: nam de alia secus sentiendum est, ut ex 5. Resolutione patebit.

**RESOLUTIO IV.** *Veniale conjunctum cum mortali, nunquam remittitur in alia vita.* ] **PROBATUR,** nam postquam peccatum veniale patratum est, remanet in anima quædam macula, quæ deleri non potest, sine retractatione aliqua voluntatis. Ille autem qui in mortali interiit, cum sit damnatus, ita obstinatus est in malo, ut nullum actum retractationis veræ & supernaturalis, qualem exigimus, elicere possit. Quare remissionem peccati venialis consequi non potest.

*Dices ex ea sententia sequi, peccatum veniale puniri pœna æterna, quod absurdum est, cum non mereatur nisi temporalem.* *Responderi potest,* peccatum veniale, ex se quidem non mereri nisi pœnam temporalem, per accidens tamen puniri æterna: eò quòd conjunctum mortali in æternum durat, & tamdiu pœnam meretur, quamdiu est.

*Verum alii malunt negare consequentiam.* Quia etsi peccatum veniale quoad culpam in inferno non deleatur; non tamen apparet ratio, cur homo pro pœna ei debita, quæ tantum est temporalis, satis pati non possit. Justitia enim vindicativa exigit dumtaxat, ut homo tantam pœnam subeat, quanta illius culpæ debetur: atqui pro culpa veniali debetur illi, verbi causa, pœna unius diei dumtaxat. Ergo si talem pœnam subeat, dicetur tantum pati, quantum justitia exigebat, & consequenter satis pati.

**Neque refert quòd culpa maneat.** Nam cum homo

causa



eam tollere non possit, à ratione alienum videtur, ut tamdiu puniatur, quamdiu illa manet; sicut a quum non est, ut fur credatur flagris. donec ablatam pecuniam referat, si nihil habet unde restituat. Aliud est de viatoribus: nam cum facillè possint, gratia adjuti, culpam tollere, verisimile est Deum eis nunquam remittere pœnam, donec remissionem culpæ consecuti sint, esto gravibus pœnis eos afficiat, eas enim ob alios fines infligere potest.

**RESOLUTIO V.** *Veniale peccatum remittitur iustis in alia vita, mediante contritione quam statim post mortem eliciunt.* ] EST communis, & probatur: nam cum anima separata hominis iusti fide, & charitate prædita sit, & ab affectibus ac perturbationibus partissensitivæ libera, nihil obstare potest, quominus tunc per veram detestationem, in peccatum suum feratur, illiusque remissionem à Deo obtineat. Et vice versa, cum peccatum non soleat deleri in hac vita, nisi posita illius retractatione, verisimile est neque deleri in alia, nisi etiam retractetur per detestationem. Quare cum anima separata hominis iusti possit ejusmodi actum elicere, nulla ratio est, cur sine illa credamus remissionem peccati ei conferri.

*Hinc primò refelluntur* qui existimant peccatum veniale remitti paulatim per tolerantiam pœnarum purgatorii: ea enim tolerantia, etsi ad satisfactionem pro pœnis debitis conducat: non tamen prodest ad remissionem culpæ, quia ea non obtinetur nisi accedat retractatio voluntatis, quæ in dicta tolerantia, ut sic, non continetur.

*Secundò refelluntur* ii qui docent, culpam venialem tolli per bona opera, quæ successivè fiunt in purgatorio. Nam cum eodem instanti quo anima est separata, ea perfectè statum suum cognoscat, & Deum perfectè diligat, negari non potest, quin tunc in verum actum contritionis erumpat. Eo autem posito, statim remittitur veniale, neque opus est ut ad illius

remissio-

remissionem obtinendam, anima per posteriores actus se disponat.

*Verum hic nota*, per actum illum contritionis animam non mereri augmentum gratiæ, neque remissionem peccati venialis, quia ad meritum requiritur status viæ, ut alias dictum est. Item neque ratione illius, quicquam condonari ex pœna debita peccato veniali, quia ex ordinatione divina, sicut neque meritum, ita neque satisfactio habet locum in alia vita, sed tantum satisfactio.

**RESOLUTIO VI.** *Peccata dimissa non redeunt quoad habitualement maculam, quando post eorum remissionem aliquod peccatum committitur.* ] **DICO** quoad habitualement maculam: nam quod non redeat idem actuale peccatum quoad substantiam, nimis perspicuum est; cum homo non possit eundem numero actum qui transit, naturæ viribus reproducere; ac sæpè accidat, ut peccatum quod de novo committit, sit non tantum numero, sed etiam specie distinctum ab eo, quod ipsi est remissum.

*Itaque probatur assertio de peccato, seu culpa habituali: illa enim dicit ordinem intrinsecum ad actum præteritum, qui cum de novo non ponatur ab homine, sequitur neque etiam illam redire, nisi quis dicere velit, eam à solo Deo produci, quod apud Catholicos inauditum est.*

*Dices*, maculam illam resultare ex peccato, quod de novo fit, ad eum modum quo, peccatum originale resultat in homine, ex tali generatione: non autem quod illud à Deo, vel ab homine cui inest, producat. *Respondeo* negando paritatem: nam Deus peccatum primo parenti remisit, sub ea conditione, ut qui ex illius stirpe via ordinaria nascerentur, Virginem beatissimam excipio, essent infesti peccato originali. Quare mirum non est, quod posita tali conditione, ejusmodi peccatum resultet. At verò quando Deus alicui remittit peccatum mortale, ea remissio est absoluta, & independens

ab

ab omni conditione de futuro, ut patet tum ex variis testimoniis Scripturæ, quæ nullam conditionem adjunctam habent; tum ex forma hujus sacramenti, quæ absolutam remissionem peccatorum significat. Quare etsi homo post obtentam remissionem peccet, non propterea redit peccatum ante remissum.

*Instabis, quemdam Regem Matth. 18.* omne debitum servo remisisse, ac postea revocasse, & statim subditur: sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis unusquisque fratri suo, de cordibus vestris. *Verum* non est necesse ut intelligamus, in parabola illa idem redisse debitum secundum se simpliciter: sed aliud simile esse impositum servo, propter crudelitatem qua usus fuerat erga conservum suum. Ita ergo non repetit Deus peccata, quæ semel remissa sunt, sed interdum peccantem subjicit graviori pœnæ, quàm si priorum peccatorum remissionem non obtinuisset: eò quòd ingrato animo se gerat erga benefactorem suum, & eatenus peccata priora dicuntur redire.

RESOLUTIO VII. *Peccata dimissa non etiam redeunt, quoad reatum pœnæ æternæ.* ]PROBATUR, nam homo non est debitor pœnæ, nisi propter culpam, sed prior culpa non redit. Ergo nec pœna illi debita. *Confirmatur*, nam sicut culpa, ita & pœna æterna absolutè remissa fuit, & non tantum sub conditione, non ampliùs peccandi. Ergo etsi homo postea peccet, non idèò redit reatus pœnæ prædictæ. Nam ut hoc fieret, vel Deus deberet revocare decretum suum absolutum, vel homo inefficax illud redderet, quod dici non potest.

*Dices*, peccata mortalia remissa quoad culpam, & pœnam æternam duntaxat, & non quoad pœnam temporalem, puniuntur in inferno pœna æterna. Ergo pœna æterna redit ob subsequens peccatum. *Respondent aliqui* concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam quando homo iterum peccat,  
nulla

nulla ex parte Dei imponitur pœna ob peccatum prius remissum, sed ipse per peccatum mortale quod perpetrat, constituit se in eo statu, in quo non potest satisfacere, nec satisfacere pro pœna temporali, debita peccato remisso. Quare quandiu durat status prædictus, tandiu durat pœna illa.

*Respondent alii* negando antecedens. Quia etsi homo constitutus sit in peccato mortali, sive in hac, sive in alia vita; non apparet ratio, cur non possit satisfacere propter pœnam temporalem, quæ peccato remisso subeunda restat; si Deus tantam pœnam illi infligat, quantæ est obnoxius, idque in vindictam peccati præteriti. Iustitia enim vindicativa non aliud, quàm æqualitatem inter pœnam, & debitum exigere videtur, ut supra dicebamus.

*Adverte tamen* priorem responsionem eam parâ difficultatem, quod cum doceat, pœnam temporalem secundum se totam durare in æternum, ex ea aperte sequitur, hominem tantum pati in inferno pro culpa remissa, quantum pateretur si ea non esset remissa. quod sanè nimis durum videtur. Sequela patet, nam per remissionem culpæ, pœna æterna mutatur in temporalem; Ergo si accedente alio peccato, hæc pœna iterum fit æterna ea redit ad priorem suum statum: & consequenter homo æquè plectitur, ac si culpa non esset remissa.

*Contra posteriorem* verò responsionem illud obijci potest; quod Ecclesia strictè prohibet, ne quis oret, aut sacrificium offerat pro damnatis; ex quo non leviter, conjicitur, pœnas eorum omnes esse æternas: si enim aliqua finire posset, cur piissima mater Ecclesia vellet eos privare fructu orationum & sacrificii, quocirca pœna illa liberari possent? Obiectio sanè non spernenda, cui tamen *satisfiet, si dicas*, damnatos, quia perperuò sunt obstinati in malo, & in odio Dei, indignos esse qui fidelium suffragiis juventur; & æquum esse, ut pœnæ temporales quibus sunt obnoxii, non finiantur, donec satisfassi fuerint.

**RESOLUTIO VIII.** *Peccata remissa redeunt secundum quod, ubi peccatum subsequens, tam quoad culpam, quoad quā pœnam.* ] **PRIOR PARS PATET**, nā peccatum sequens ratione ingratiitudinis, continet majorem malitiam, quam si priora non fuissent remissa; unde fieri potest, ut præter propriam malitiam, contineat tantam deformitatem, quantam continebat unum aut alterum peccatum ex remissis: quò fit ut hæc peccata secundum quid redire dicantur, etiam quoad culpam. Imò tantus posset esse contemptus remissionis perceptæ, ut sequens peccatum æquaret, vel etiam superaret malitiam peccatorum præcedentium; præsertim si ea non ita multa essent, aut valde gravia.

*Posterior pars ostenditur*: nam per præcedentia peccata homo merebatur pœnam æternam sensus, & dampni: utraque verò hæc pœna redit quoad speciem, per sequens peccatum mortale, cum per quodlibet ejusmodi peccatum homo mereatur cruciatus ignis perpetuos, & privationem visionis beatificæ. Et in hoc generatim peccata omnia lethalia conveniunt: quamvis hoc discrimen inter illa sit quod peccata omnino similia simili pœna mulsentur, graviora verò majori secundum intensiorem; quod maxime locum habet in pœna sensus, quam manifestum est cum illa inæqualitate. juxta peccatorum exigentiam, infligi posse. Idem autem dici potest de pœna dampni, quantum ad effectus positivos, qui ex privatione visionis beatificæ, & negatione auxiliorum gratiæ sequuntur, quamquam verisimile sit, privationem ipsam non suscipere magis & minus, sed in omnibus damnatis æqualem reperiri; ad eum modum quo omnes qui visu carent, sunt æqualiter cæci, neque dici potest quod unus cæcitas intensior, aut remissior sit cæcitate alterius.

**RESOLUTIO IX.** *Opera mortificata per penitentiam reviviscunt.* ] **EST** communis & ita certa, ut opposita à multis judicetur temeraria, aut erronea.

*Præ-*

DE POENITENTIA CAP. VII. 291

*Probat*ur primò ex illo loco *Ezech. 33.* Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua: At valde noceret ei, si merita mortificata non reviviscerent, quia privaret eum tota gratia & gloria meritis illis debita.

*Secundo idem ratione ostenditur.* Opera mortificata reviviscere nihil est aliud, quàm hominem in tali statu constitui, ut prædicta opera recuperent efficaciam perducendi illum. In vitam æternam, ex *S. Tho. 3. p. q. 89. art. 5.* Atqui hoc fit per pœnitentiam, ergo opera mortificata per pœnitentiam reviviscunt. Probat<sup>ur</sup> minor: nam etsi bona opera in se transeant, manent tamen in acceptatione divina; tum quia sunt dona Dei, ex illius motione & auxilio facta, tum quia habent efficaciam ex Christi meritis, quæ etsi transierint, manent tamen semper Deo accepta, & habent in nobis effectum, ablato obice peccati. Porro peccatum superveniens impedit, quo minus opera illa bona sint efficacia in actu exercito, ut ita loquar, ad perducendum hominem, qui ea elicit, ad vitam æternam. Quare cum per pœnitentiam impedimentum illud tollatur, nihil obest quominus dicta opera reviviscant, & eandem vim, quam prius habebant, recuperent.

*Dices,* peccata remissa per pœnitentiam non redeunt ob subsequens peccatum, ut suprà dictum est: Ergo nec opera per peccatum mortificata, reviviscunt per pœnitentiam. *Respondeo* negando sequelam: Et ratio discriminis est, quia per pœnitentiam peccata abolentur, & destruuntur secundum se, quare ea non redeunt sive quoad culpam, sive quoad reatum pœnæ. At verò bona opera non abolentur secundum se, sed manent in acceptatione divina, & peccatum superveniens impedit tantum eorum effectum: quare peccato remisso, incipiunt habere efficaciam sicut ante obicem.

**RESOLUTIO X.** *Homo per pœnitentiam recuperat omnem gratiam deperditam, & totum jus ad gloriam, quod*

*quod ex præcedentibus meritis sibi comparaverat.*] SEQUITUR ex dictis : nam per pœnitentiam bona opera reviviscunt, quod de omnibus sine discrimine intelligendum est, cum nulla sit ratio cur unum potius reviviscat, quam aliud; siquidem omnia æquè dicuntur manere in acceptatione divina, & sola peccati præsentia impediri, quominus vim suam exerant. Si ergo omnia opera bona reviviscunt, eandem vitam quam ante habebant, recipiunt: & consequenter eandem gratiam. & idem jus ad gloriam.

*Confirmatur*: nam si homo non recuperet totum id, quod per peccatum amisit, sed partem aliquam duntaxat, sequeretur peccatum valde illi nocere, etiam peracta pœnitentia, quia privaret illum parte aliqua gratiæ & gloriæ. Consequens autem repugnat Ezechieli supra citato. Item neque Deus redderet peccatori annos integros, quos locusta, & bruchus comederunt, ut habetur Joel. 2. id est, ut explicant Hieronymus. & alii, peccator non reformaretur in pristinum statum. Rursus multa bona opera illi forent inutilia, & eatenus frustra laborasse diceretur: cujus oppositum tradit Paulus ad Gal. 3. Ut ergo hæc vitentur, fatentur est totam gratiam deperditam, & totum jus ad gloriam restitui.

*Atque hinc refelluntur*, non modo qui docent, hominem ita resurgere, ut tantam solum recipiat gratiam, quanta est illius contritio: sed etiam qui putant, hominem resurgentem à peccato, tantam recipere novam gratiam, quanta est illius contritio, & præterea æqualem ex deperdita recuperare: Juxta hoc enim merita præcedentia non reviviscunt per pœnitentiam nisi ex parte. Adde quod, præter alia, illud absurdum sequitur, quod si duo homines, quorum unus innumera ferè merita cumulasset, alius verò pauca, peccarent mortaliter, & cum contritione ut duo resurgerent, & morerentur, æqualem gratiam & gloriam obtinerent: quod repugnat

pugnat suavi providentiæ, qua Deus res humanas gubernat.

*Adversus prædicta objici potest.* Concilium Trident. *sess. 6. cap. 7.* ubi dicitur, unumquemque recipere suam justitiam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem. Cui consonat vulgatum illud axioma Philosophorum, formæ intensificationis, & remissionis capaces eò producantur intensiores, aut remissiores, quò dispositio subjecti est intensior, aut remissior. Gratia ergo confertur homini in justificatione, secundum dispositionem qua præditus est, non secundum merita præcedentia.

*Respondeo cum distinctione,* Duobus modis contritio potest concurrere ad productionem gratiæ. Primò tanquam dispositio ad productionem illius per se, ex ordinatione Dei requisita. Secundò tanquam removens prohibens, seu veluti causa per accidens qua tollitur peccatum cujus præsentia obest quominus merita antiqua per se producant gratiam. Porro gratia ad quam contritio priori modo concurrit, datur secundum modum illius: ita ut quò intensior, vel remissior est contritio, eò gratia sit intensior, aut remissior: & eo sensu intelligenda, quæ in objectione allata sunt. Quæ verò confertur posteriori modo, non datur juxta modum contritionis, sed potius juxta modum meritorum præcedentium, quæ sunt causa illius per se.

RESOLUTIO XI. *Merita omnia mortificata redeunt, per quantumvis minimam contritionem homo resurgat.* ] RATIO potest colligi ex dictis: nam contritio non concurrit ad reviviscentiam meritorum, eo modo quo concurrit ad novam gratiam conferendam; ad hanc enim concurrit, ut dispositio quædam per se necessaria, ex ordinatione divina; ad illam vero tantum ut removens impedimentum peccati, quod quandiu præsens est, impedit quominus merita effe-



Actum aliquem vitæ habeant. Cæterum quilibet gradus contritionis, quantumvis exiguus, sufficit ad tollendum peccatum mortale, ut liquet ex supradictis, Ergo, eo ablato, merita omnia reviviscunt, sive per valde intensam, sive per admodum remissam contritionem ablatum sit. Imò cum per solam attritionem peccatum remittatur in sacramento, ea sufficiens est ad reviviscentiam meritorum omnium.

*Confirmatur hæc ratio autoritate Concilii Trident. sess. 6. cap. 16. ubi docet, nihil amplius deesse justificatis, ut ob bona opera quæ in Deo sunt facta, vitam æternam consequantur, quam ut in gratia decedant. Possunt autem in gratia constitui per minimam contritionem; ergo hæc contritio sufficiens ad reviviscentiam meritorum omnium. Sequela patet: nam per illam homo constituitur in eo statu, in quo si moreretur, reciperet gloriam essentialem, præcedentibus bonis operibus debitam, quod aliud nihil est quam præcedentia merita reviviscere.*

*Ex quibus duo collige; Primo, merita omnia reviviscere, statim atque homo elicit actum contritionis: cum enim per talem actum auferatur peccatum, & consequenter homo fiat capax totius gratiæ deperditæ, aliorumque habituum illam comitantium, nulla est ratio cur statim ea non recuperet. Eò vel maxime quòd cum ex tunc acceptus maneat ad gloriam essentialem, prioribus meritis ex justitia debitam, consequenter illi debetur tunc etiam ex justitia, gratia proportionata meritis & gloriæ: & cum sit sufficienter dispositus ob remotionem peccati, ad eam recipiendam, non est cur in aliud tempus differatur.*

*Secundo collige, hominem qui post peccatum mortale justificatur, resurgere semper ad majorem gratiam, quam unquam habuerit. Ratio est, quia ex una parte recipit totam gratiam deperditam, ut proba-*

sum

tum fuit, ex alia verò novam recipit gratiam, proportionatam suæ contritioni.

## CAPUT VIII.

*De Sacramento Extrema-Unionis.*

**R**ESOLUTIO I. *Extrema-unctio est Sacramentum novæ legis, à Christo institutum.* ] PRIOR PARS EST DE FIDE, ut patet ex dictis, de Sacramentis in genere. *Probat*ur autem i. ex illo Jacobi 5. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis est, dimittentur ei. In quibus verbis continentur omnia, quæ possunt requiri ad rationem sacramenti, nimirum materia, forma, Minister, subjectum, & effectus. Quare negari non debet, quin inde sufficienter colligatur, Extremam unctionem esse sacramentum propriè dictum.

*Confirmatur*: nam locus ille Jacobi intellectus semper fuit ab Ecclesia de hoc sacramento, ut colligi potest ex variis authoribus, ac maximè ex Concilio Trident. *sess. 14. cap. 1.* ubi docet, ex Apostolica traditione didicisse Ecclesiam, in verbis citatis Jacobi tradi materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus salutaris sacramenti.

*Secundo* eadem veritas ostenditur ex definitione Ecclesiæ: Concilium Florentinum in litteris unionis: Quintum, inquit, sacramentum Extrema unctio est, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Et Trident. *sess. citata can. 1.* hæc habet. Si quis dixerit, Extremam unctionem non esse verè & propriè sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.

*Posterior pars est etiam de fide*, ut ex jam dictis intelligi potest, tum quia Concilium Tridentinum disertè damnat negantes hoc sacramentum fuisse à

Christo institutum : tum quia si Christus illud non instituit, dicendum est cum nonnullis antiquioribus, à Iacobo fuisse institutum, hoc autem non obscure repugnat verbis allatis Concilii Tridentini, quibus sola Extremæ unctiōis promulgatio Iacobo tribuitur.

Quando verò instituta fuerit Extrema unctio, vix certo determinari potest. Verisimile autem existimo, Christum in nocte cœnæ, docuisse Apostolos modum observandum in hujus sacramenti administratione : Post resurrectionem verò, dum illis dedit potestatem peccata remittendi, dedisse etiam potestatem conferendi Extremam unctiōem. Quia cum hoc sacramentum sit veluti consummativum Pœnitentiæ, ut docet Concilium Trident. probabile est Christum non dedisse Apostolis potestatem illud administrandi, antequam illis fecerit facultatem absolvendi à peccatis in sacramento Pœnitentiæ.

RESOLUTIO II. *Sicut in reliquis, ita & in isto sacramento duplex materia reperitur, remota nimirum & proxima.* ] REMOTA est oleum olivarum ab Episcopo benedictum : Concilia enim absolutè requirunt oleum, quo nomine intelligitur oleum ex olivis confectum, quodque retinet naturam & usum olei. Exigunt etiam oleum ab Episcopo benedictum, quo loquendi modo indicant, ejusmodi benedictionem esse de essentia sacramenti: alias non dicerent materiam hujus sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, sicut non dicunt materiam Baptismi esse aquam benedictam, etsi ex præcepto Ecclesiæ ea benedicenda sit.

Quia verò hoc sacramentum non consistit in re aliqua permanente, sed in actione transeunte; ideò cum materia remota sit oleum, proxima est unctio ex tali oleo. Quemadmodum materia proxima baptismi est ablutio ex aqua naturali, & materia proxima Confirmationis est unctio ex chrismate. Benedictio

nedictio autem olei quæ fit ab Episcopo, non est forma hujus sacramenti, sed quædam materia præparatio: sicut benedictio chris-matis est præparatio materia Confirmationis. Et in his nulla ferè est difficultas.

*Jam dubium est quot requirantur unctiones ad hoc sacramentum. Respondeo Concilium Florent. septem numerare, nimirum unctionem oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum & renum. Inter quas duæ posteriores non sunt de necessitate sacramenti, cum omittantur in fœminis. Non sunt etiam necessaria ex præcepto, nisi ex consuetudine in quibusdam Ecclesiis, ubi observari solent. Quinque autem priores sunt haud dubiè de necessitate præcepti, ut constat ex constanti usu universalis Ecclesiæ, à quo in re gravi nefas est discedere.*

*An autem sint de necessitate sacramenti, in dubium vertitur. Nos omiſſis controversiis, partem affirmantem sequimur ut probabiliorem, & in praxi securiorem, etsi opposita aliqua probabilitate non careat. Probatur verò tum ex communi Theologorum consensu; tum ex eo quòd videmus non esse eam consuetudinem in Ecclesia receptam, ut unica tantum fiat unctio, dum hoc sacramentum confertur laborantibus morbo contagioso, sed quinque adhiberi; quòd signum est eas omnes pertinere ad sacramenti essentiam. Alias enim possent quædam earum omitti, quando periculum esset ne Sacerdos inficeretur, aut agrotus expiraret, antequam omnes unctiones perfectæ essent. Tum denique quia sacramentum hoc significat perfectam sanationem hominis, ad quam ordinatum est: ista autem integra sanatio perfectè non repræsentatur, nisi per unctiones quinque sensuum, qui sunt veluti radices morborum spiritualium. Quare concludendum est, ejusmodi unctiones pertinere ad essentiam sacramenti; ita ut si vel unica omittatur, sacramentum non valeat, nullumque effectum conferat.*

*Dices,*

*Dices*, sunt aliqui privati à nativitate undò, aut altero sensu, qui tamen sunt capaces Extremæ unctionis. Non igitur ad valorem hujus sacramenti, requiruntur unctiones quinque sensuum. *Respondeo* in eo casu debere ungi eam partem; in qua naturaliter sensus esse debebat; Verbi causa oculos, aures, &c. & ita servatur in praxi. Quòd si aliqua defint, partes propinquiores ungentur.

Cæterùm hic *adversendum* est circa prædictas unctiones, *primò* non spectare ad essentiam sacramenti, ut fiat juxta ritum in Conc. & Florent. & in Rituali Romano præstitutum, ut scilicet primo loco visus, secundo auditus ungetur, & sic de aliis. Quamquam ex consuetudine Ecclesiæ talis ordo servandus est. *Secundò*, non etiam spectare ad essentiam hujus sacramenti, quòd uterq; oculus, vel utraque auris, &c. ungetur, atque adeò in gravi necessitate sufficere, si unctio fiat in uno oculo, in una aure, & sic deinceps. *Tertiò* neque esse de sacramenti essentia, quòd unctio fiat in modum crucis: Concilia enim nihil hac de re statuunt, neque ex Scriptura, aut traditione colligi potest, signum illud ut necessarium ad valorem sacramenti requiri; unde in necessitate omitti potest, ut celerius unctiones fiant. *Quarto* denique sufficere ad valorem hujus sacramenti, quamlibet vel minimam unctionem, si vera sit unctio, qua scilicet pars corporis oleo liniatur: sicut ad essentiam baptismi sufficit vera hominis ablutio, quæ talis meritò ex usu communi censerì potest.

RESOLUTIO III. *Hæc est vulgaris forma Extremæ unctionis. Per illam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum, auditum; gustum, odoratum, & tactum.* Ea sumitur ex Concilio Florent. in instructione Armenorum, & coincidit cum illa quæ traditur in Catechismo Romano p. 2. cap. 2. n. 6.

*Observandum* est autem primò, formam hujus Sacramenti esse deprecatoriam, ut colligitur tum ex Jacobo, qui

bo, qui jubet ut Sacerdotes orent super infirmum: tum ex Concilio Florent. & Catech. Rom. locis citatis: tum denique ex traditione, & constanti usu Ecclesie. Porro cum sacramenta validè administrari nequeant, nisi adhibeantur formæ præscriptæ, aut eis æquivalentes, hinc fit ut Extrema unctio non valeat, si adhibeatur forma indicativi modi, sine ulla oratione, cum ejusmodi forma deprecationi æquivalere nequeat, ut constat, tum ex vario earum sensu, tum maximè quia in aliis sacramentis, quæ exigunt formas in modo indicativo, formæ deprecatorie sunt insufficientes.

*Secundò observandum* est verba illa quæ referuntur in Concilio Florent: & suam piissimam misericordiam, non videri essentialia. Eò ipsò enim quòd Sacerdos dicit, indulgeat tibi Deus, satis postulat misericordiam divinam, in qua nititur deprecatio, cum Deus peccatoribus veniam concedat ex misericordia. Cum autem Catech. Rom. illas particulas omitat, signum est eas non cadere sub præcepto: non tamen sunt prætermittendæ, cum Theologi communiter sentiant proferendas esse, & videamus eas ubique usurpari. Quamvis autem pro, indulgeat, diceret quis parcat, vel ignoscat, aut aliud æquivalens, mutatio formæ non esset nisi accidentalis. Item si omitteret sanctam vel sacram, & etiam invocationem Trinitatis, quæ post unctionem singulorum sensuum adhiberi solet.

*Tertiò observandum*, probabile mihi esse, ad essentialiam formæ non spectare, ut sensus qui ungitur nominetur, sed sufficere ad valorem sacramenti, si dum oculus, verbi causa, ungitur, Sacerdos dicat, per istam sanctam unctionem, &c. Indulgeat tibi Deus quicquid peccasti, & idem in aliis sensibus repetat, eos minimè exprimendo. Sicut enim in forma Confirmationis frons non exprimitur, etsi illius unctio sit essentialis; ita quamvis unctio sensuum, sit necessaria ad substantiam hujus sacramenti,

LIBER III.

non sequitur quod in forma sensus essentialiter exprimi debeant.

*Confirmatur*; nam si dum oculus ungitur, proferat Sacerdos formam modo jam dicto, sufficienter indicabit se à Deo petere, ut remittat aegroto quicquid per visum peccavit, & sic de aliis. *Imò si inter ungendum omnes sensus*, dicat Sacerdos verba illa tantum semel, per istas sanctas unctiones indulgeat tibi Deus quicquid peccasti, probabile est sacramentum valere, propter rationem jam dictam; quia scilicet sufficienter videtur peti remissio peccatorum omnium, quæ à quinque sensibus originem duxerunt.

Moneo tamen standum esse praxi, & consuetudini Romanæ Ecclesiæ, quæ sensum qui ungitur nominat, & formam quinques repetit, mutato unico verbo. Inde enim sufficienter colligitur, hunc ritum cadere sub præcepto, quia consuetudo habet vim legis; & non esse immutandum, nisi extrema necessitas quæ legem non habet, exigeret interdum ut mutaretur.

RESOLUTIO IV. *Sacerdos est Minister hujus Sacramenti, iisque omnino necessarius, ita ut in nullo casu valide à non Sacerdote administrari queat.* ] PRIMA PARS est de fide, & probatur ex institutione Christi, qui voluit solum Sacerdotem esse Ministrum hujus sacramenti, ut constat autoritate Jacobi, qui jubet ut aegrotus inducat Presbyteros Ecclesiæ; quo nomine non intelliguntur seniores, ut volunt hæretici; sed ñ tantum qui caractere Sacerdotali sunt insigniti, ut explicant Patres & Concilia. De ea etiam institutione satis constat ex Conciliis Florent. & Trident. quæ pro ministro hujus sacramenti, solum Sacerdotem assignant: ac denique ex praxi Ecclesiæ, quæ per solos Sacerdotes hoc sacramentum administrare solet,

*Posterior pars videtur etiam certa ex fide.* Nam Concilium Florent. agens de ministro Extremæ unctionis

tionis, absolutè dicit eum esse Sacerdotem, quod signum est esse ministrum necessitatis. Nam si in aliquo casu posset non Sacerdos hoc sacramentum conferre. Concilium dixisset, Sacerdotem esse ministrum ordinarium illius sicut dixit sacerdotem esse ministrum ordinarium Baptismi, & Episcopum Confirmationis.

Concilium etiam Trident. *sess. 14. can. 4. de Extrema-unctione* hoc statuit. Si quis dixerit Presbyteros Ecclesie, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extrema-unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit. Quibus verbis apertè excluduntur omnes non Sacerdotes à ministerio hujus sacramenti.

*Quo loco adverte, simplicem Sacerdotem esse sufficientem ministrum hujus sacramenti, etsi jurisdictione careat. Quia cum non administratur per modum judicii, non opus est jurisdictione ad illud validè conferendum, sed sola ordinis potestas ad hoc sufficit. Ut tamen licitè administratur, necessaria est licentia Parochi, quia ad illum spectat pascere gregem sibi commissum, & officium illius usurpari nequit sine peccato. Imo Religiosi qui hoc sacramentum administrare præsumunt, sine licentia Parochi aut expressa, aut verisimiliter præsumpta, excommunicantur ipso facto per Clementin. 1. De privilegiis. Quod intelligendum est de Religiosis qui administrant hoc sacramentum secularibus, non autem de iis qui aliis Religiosis illud conferunt.*

RESOLUTIO V. *Potest hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici, si unus aliquam unctionem efficiat, & formam ei respondentem proferat, alter vero reliquum perficiat.* Est communis Doctorum qui docent, quòd quemadmodum sacramenta Eucharistiae, & Ordinis ab uno ministro incepta, ab alio validè perfici possunt, si verbi causa, prior mini-



ster consecrato solo pane, aut collata sola potestate consecrandi corpus Christi, moriatur. Ita Extrema-unctio ab uno ministro incepta, quoad unam vel alteram unctionem, & formas respondentes, ab alio quoad reliquas valide absolvi potest. Licet enim hæc sacramenta in eo discrepent, quòd in consecratione Eucharistiæ, & Ordinis collatione, priora verba habent efficaciam ad aliquid producendum, nimirum corpus Christi sub specie panis, & characterem spirituales in anima ordinati; in extrema verò unctione priores unctiones, cum formis partialibus iis respondentibus nihil efficiant, donec perfectum sit sacramentum: In eo tamen est similitudo, quod sicut consecratio panis, & collatio potestatis consecrandi corpus Christi, sunt veræ consecrationes sacramenti partialis; ita cum unctiones priores Extremæ-unctionis habeant significationem partialē: & aptæ sint unum cum aliis sacramentum integrum constituere, earum administratio est vera consecratio sacramenti partialis. Quare cum in sacramentorum administratione, id quod valide factum est, iterari nõ debeat, sed potius suppleri quod deest, hinc sequitur Extremam-unctionem ab uno Sacerdote inceptam, ab alio posse perfici, & consequenter plures esse posse illius ministros.

*Ubi nota,* quòd etsi hoc modo valide administrari possit hoc sacramentum, non licet tamen ita, illud extra necessitatem conferre, propter consuetudinem Ecclesiæ, quæ per unum ministrum non minus hoc, quàm alia sacramenta administrare solet. Si tamen post unam vel alteram unctionem peractam, & formas partiales eis respondentes prolatas, minister interiret, posset alius Sacerdos reliqua absolvere. Secus si absolvisset quidem unctionē aliquam, nullam tamen formam adhuc protulisset, tunc enim totum repetendum esset. Eò quòd sola unctio sine forma, non habet perfectionem partialem sacramenti, neque aliquid consecratum relinquit.

Imò

DE POENITENTIA. CAP. VIII. 303

Imò si periculum esset ne ægrotus interiret, antequam omnes unctiões ab uno peractæ essent, posset unus unum sensum ungere, & alius alium diversæ rationis. Si enim propter necessitatem conferentis sacramentum, plures ministri successivè adhiberi possunt: cur etiam licitè simul adhiberi non poterunt, propter necessitatem ipsius suscipientis. Maximè quia sicut nec ordo, ita nec successio inter istas unctiões est essentialis. Quare cùm sit accidentalis, in necessitate prætermitti potest.

Non tamen in dicta necessitate, secundus minister ita admittendus est, ut unus ungat unum oculum, & alius alium, & sic de reliquis sensibus. Et ratio est, quia secundus admitti non debet, nisi, eo juvante, res citius peracta sit. At hoc non habet locum in gravi necessitate, in qua potest Sacerdos ungere tantum unum oculum, unam aurem, &c. Si ergo alter simul inungat alium oculum, & aliam aurem, sacramentum non erit citius confectum quàm si prior illud solus administraret, & ita secundus minister frustra adhibebitur. Quare quamdiu unus inungit oculum, alius aurem, vel alium sensum diversæ rationis inungere debet.

RESOLUTIO VI. *Habentes curam animarum, tenentur hoc sacramentum administrare suis subditis, quando necessitas postulat.* ] Quia cùm illi teneantur ex officio, oves suas pascere, consequenter tenentur eis administrare sacramenta, quæ sunt ordinaria media à Christo instituta ad hominum salutem; si ea saltem opportuno tempore postulent. Atque hæc obligatio proximè afficit immediatos Pastores, remotè verò istorum superiores, qui iis deficientibus tenentur, vel per seipsos sacramenta suis subditis administrare, vel curare ut non desint Sacerdotes, qui ea convenienter conferre possint.

Imò si in extrema alicujus necessitate, neque adsit Pastor mediatus, neque immediatus, quilibet simplex Sacerdos tenetur ex charitate, hoc sacramentum  
admi-

administrare, si potest sine gravi incommodo, aut periculo; etiam si ægrotus confessus sit, & Eucharistiam acceperit, ac multò magis si hæc sacramenta recipere non potuit. Fieri enim potest, ut per susceptionem Extremæ unctiōnis ex attrito fiat contritus & salvetur, aliàs damnandus defectu veræ contritionis.

*Sciscitaberis forte, an Parochus tempore pestis, teneatur hoc sacramentum administrare. Respondeo 1. teneri, si id conferre potest, sine probabili propriæ vitæ periculo. Ratio est, quia cum Parochus ex proprio officio, atque adeò ex justitia, hoc sacramentum administrare teneatur, ut dictum est; ea obligatio per se loquendo est perpetua, atque adeò ligat etiam tempore pestis; saltem si non sit probabile vitæ periculum, nimirum si ex loco in quo ægrotus jacet, ex antidotis quibus Parochus uti potest, & debet, ex modo jungendi infirmum, scilicet virga oblonga, accidentariis prætermisissis, &c. Medicorum judicio non sit periculum, quòd ungens inficiatur cum vitæ discrimine.*

*Respondeo 2. Non teneri, si periculum vitæ imminet. Ratio est, quia cum Extrema unctio non sit medium ad salutem necessarium, neque etiam sit necessaria ex præcepto divino, juxta communiorem sententiam, verisimile est Parochum non teneri illam conferre, cum periculo propriæ vitæ, nisi in casu quo æterna ægroti salus ab eo sacramento penderet, ut si alia non posset suscipere, & esset tantum attritus. Tunc enim non modo Parochus, sed etiam quivis alius Sacerdos tenetur ex charitate, proximo subvenire, cum periculo propriæ vitæ, ex communi sententia.*

**RESOLUTIO VII.** *Infantes non sunt capaces hujus sacramenti, sed tantum adulti, qui vel habent actum, vel aliquando habuerunt usum rationis.] Siquidem Extrema unctio est sacramentum consummativum poenitentiae, & vitæ Christianæ, ex Concilio Trid. In-*  
fantes

DE POENITENTIA CAP. VIII. 305

fantes autem ante usum rationis, non sunt capaces poenitentiae, neque vita Christiana inchoatur, nisi per actus à ratione procedentes. Præterquam quòd Extrema-unctio est instituta, ad confirmandum animum infirmi, adversus tentationes dæmonum: infantes autem non sunt capaces ejusmodi effectus, cum nec tentari queant, nec tentationibus resistere. Denique usus & praxis Ecclesie hoc ipsum sufficienter confirmat, cum in nullo casu hoc sacramentum infantibus dari soleat. Quod mirum esset, si iis validè conferri posset. Videatur Catech. Rom. n. 9. de hoc Sacramento.

*Objicies*, hoc sacramentum institutum est, ad conferendum augmentum gratiæ, & sanitatem corporis, quorum effectuum infantes sunt capaces: cur ergo iis dari non poterit? *Respondeo* hoc sacramentum esse institutum ad varios effectus, primò, ad conferendam gratiam sanctificantem, non quomodocumque, sed quatenus adjunctas secum habet gratias accidentales, quibus obfirmari possit animus infirmi, contra tentationes, quæ occurrere solent in articulo mortis. *Secundò*; quando primarius ille effectus non speratur, ad conferendam attrito, qui alia sacramenta recipere nequit, primam gratiam, & remittenda ei peccata mortalia. *Tertiò* ad remittendas poenas temporales, quæ post remissionem culpæ luendæ supersunt. Infantes autem ante usum rationis, non sunt capaces ejusmodi effectuum. Quare mirum non est, si hoc sacramentum pro iis institutum non sit, esto sanitatis corporalis sint capaces, qui est effectus valdè secundarius hujus sacramenti.

RESOLUTIO VIII. *Hoc sacramentum validè conferri non potest, nisi agrotis graviter laborantibus, & in probabili vitæ periculo constitutis.* ] PROBATUR ex Concilio Florent. ubi ita habetur. Hoc sacramentum dari non debet nisi infirmo, de cujus morte timetur. His enim verbis ostenditur, æque necessarium esse, ut ille

ut ille cui datur extrema-unctio sit in vitæ periculo positus, ac necessarium est ut sit infirmus. Hoc autem posterius est omnino necessarium ad valorem sacramenti, ut omnes concedunt. Tum quia Jacobus dicit, ut qui infirmantur vocent Presbyteros, à quibus ungantur; quod signum est, sanos non esse capaces hujus sacramenti, etsi alioqui in vitæ periculo constituti sint, ut qui periculosam navigationem suscipiunt, aut prælium aggrediuntur, &c. Tum quia oleum, quo administratur hoc sacramentum, vocatur oleum infirmorum. Tum deique quia hoc sacramentum institutum est ad confortandum infirmum & sanitatem ei, si opus sit, restituendam: ergo etiam prius, ad eundem sacramenti valorem, necessarium est. Quod non obscure innuitur in Concilio Trident. *sess. 14. cap. 3.* ubi dicitur, Extremam unctionem sacramentum exeuntium appellari.

Hic porro pro praxi *observandum est*, eos gravissimè peccare ex Catech. Rom. *p. 2. c. 6. n. 9.* qui illud tempus ægroti inungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipit. Constat enim, ad uberiores sacramenti gratiam percipiendam, plurimum valere, si ægrotus sacro oleo lñiatur, cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & Religiosam animi voluntatem afferre potest. Quænam autem volùtas sufficiat, ad hoc sacramentum validè suscipiendum, dictum est ubi de sacramentis in genere.

*Observandum etiam est*, ad hanc unctionem administrandam, non esse expectandum tempus illud, in quo ægroti salus omnino est desperata, ut patet, tum ex verbis mox citatis, tum ex loco prædicto Concil. Trident. ubi indicatur eos, qui in periculo vitæ versantur, cito inungendos; neque expectandum donec constet eos mox animam acturos. Tum denique, quia cum hoc sacramentum secundariò institutum sit, ad sanitatem conferendam; si quis data opera expectaret illud ultimum tempus, in quo salus ægroti est

est omnino desperata, ita ut sine miraculo sanari non possit; videretur ille unguendo ægrotum, miraculum postulare, quod esset quodammodo tentare Deum.

*Observandum 3.* Hoc sacramentum iterari posse in eodem homine, non modo in variis infirmitatibus, in quibus de vita periclitatur, sed etiam in eodem morbo, si status illius ita varietur, ut pluries vitæ periculum immineat. Ut enim ante dictum est, subiectum hujus sacramenti est homo infirmus, ad eò graviter laborans, ut ex prudenti judicio in vitæ periculo constitutus sit. Sicut ergo qui ex diversis morbis specie incidit in tale periculum, sæpe inungi potest, ita & qui eadem infirmitate laborans, sæpius de vita periclitatur, sæpius hoc sacramentum recipere potest. Quia moraliter loquendo ægrotudo illa diuturna, quæ ita variatur, perinde se habet ac morbi omnino distincti. Videatur Catechismus Romanus num. 11. de hoc sacramento.

*Denique observandum est,* per se loquendo non esse obligationem sumendi hoc sacramentum, sub peccato mortali, cum illud ex una parte non sit medium necessarium ad salutem, ut omnes concedunt: ex alia verò non sit impositum à Christo, vel ab Ecclesia præceptum suscipiendi hoc sacramentum. Si quis tamen illud ex negligentia prætermittat, peccabit venialiter, si ex gravi contemptu & scandalo mortaliter.

**RESOLUTIO IX.** *Effectus hujus sacramentis sunt collatio gratiæ, cum auxiliis proportionatis, ad roborandum animum ægroti, & remissio peccatorum quoad culpam.* ] PRIOR PARS traditur à Concilio Trident. in præfat. & cap. 2. de Extrema-unctione, & probatur ratione ibi insinuata, quia nimirum sacramenta novæ legis à Christo instituta sunt, tanquam media & præsidia, quibus toto vitæ curriculo homines muniri possint, ad superandas difficultates, quæ occurrere possunt. Reliqua autem sex sacramenta

sufficiën-

sufficientia auxilia suppeditant, quibus homines integros conservare possint, quamdiu sani sunt. Quare æquum erat ut Extrema-unctio, constitutis in extremo vitæ discrimine, ob infirmitatem corporis, daretur tanquam remedium eo tempore opportunum, ad subveniendum variis necessitatibus spiritualibus, quæ tunc occurrere solent: videlicet ad erigendam spem, quæ ex memoria peccatorum interdum languescit, & ferè emortua est; item ad roborandum animam contra dolores ex morbo provenientes, ut infirmus eos hilari vultu ferat: ac denique ad fortiter resistendum dæmoni tunc maximè insidianti.

*Posterior pars suadetur*, quia cum in hujus sacramenti institutione, mentio fiat remissionis peccatorum, etsi sub conditione, hinc sequitur, effectum illum esse saltem secundariò intentum in hoc sacramento. Cur enim diceret Jacobus. Et si in peccatis fuerit dimittentur ei? Cur diceret Concilium Trident. hac unctione delicta, si quæ sunt expianda, abstergi? Cur in forma diceretur, indulgeat tibi Deus, quicquid, id est, si quid peccasti per visum, &c. Profectò ex his evidenter colligitur, Christum instituendo sacram unctionem, dedisse illi peculiarem vim remittendi peccata, si quæ fortè remittenda supersint, non quidem tantum per accidens, sicut aliis sacramentis, quæ habent eam vim, eo ipso quod possunt conferre gratiam, sed ex secundaria intentione ipsius institutionis.

*Cujus rei ea est ratio* non parum congrua, quòd ex una parte contingere potest, ut qui in extremo vitæ discrimine versantur, aut invalidè confessi sint, & tamen putent eam confessionem valere, aut non possint confiteri peccata, & solum sint attriti. Ex alia verò, si quis existens in peccato mortali, cum sola attritione à vita migrat, certum est illum ab æterna salute excludi. Ut ergo Christus qua est bonitate & misericordia, hominibus in tali necessitate positis abundè succurreret; voluit ut sacramentum illud, quod

DE POENITENTIA. CAP. VIII. 309

quod instituit ad roborandos homines in extremis agentes, & ritè disponendos ad introitum gloriae, haberet vim expellendi ab eis, quicquid potest ingressum in coelum, vel omnino impedire, vel ad tempus retardare; & consequenter supplendi defectum sacramenti Pœnitentiæ, quod tunc usurpari non potest, vel validè usurpatum existimatur.

*Unde colligi potest.* interdum hoc sacramentum infundere primam gratiam, & consequenter facere hominem ex attrito contritum. Hoc autem minimè intelligendum est respectu illius, qui ad hoc sacramentum cum sola attritione cognita scienter accedit. Cùm enim Extrema unctio sit sacramentum vivorum, per se loquendo gratiam supponit in suscipiente. Unde contra illius institutionem est, ad eam scienter accedere in statu peccati mortalis, ad cujus remissionem non est primariò instituta. Prædicta ergo locum habent dumtaxat, quando attritus ungitur sine novo peccato, ut contingit tum quando invincibiliter putat se contritum, aut attritionem sufficere, tum quando ungitur, postquam sensibus destitutus est.

**RESOLUTIO X.** *Possunt etiam remissio pœnae, quæ culpâ remissâ remanet, & corporis sanitas, inter unctio- nis extrema effectus numerari.* PRIOR PARS PROBATUR ex dictis. Nam cùm hoc sacramentum secundario institutum sit ad remissionem culparum, consequenter etiam institutum est, ad remissionem pœnarum; primò quia nunquam in sacramento remittitur culpa lethalis, cum pœna æterna, quin simul cum ea remittatur aliquid pœnæ temporalis. Secundò quia hoc sacramentum non modo institutum est ad delenda peccata, verùm etiam ad abster- gendas eorum reliquiæ, ut constat ex Concil. Tri- dent. *sess. 24. de hoc sacramento cap. 2.* Hoc autem propriè non potest competere nisi pœnis prædictis, quæ eatenus sunt quædam reliquiæ peccatorum, quate- nus post peccata supersunt. **Habitus enim pravi ex peccatis**



peccatis præteritis relictis, etsi reliquæ peccatorum à nonnullis vocentur, non tamen hoc sacramento tolluntur, cum experientia conslet, eos vigere in iis qui suscepta semel & iterum Extrema-unctione, convalescunt.

*Quæri hic potest*, quonam tempore, & quomodo producantur dicti effectus, an partialiter post singulas unctiones; an verò totaliter, postquam totum sacramentum consummatum est. *Respondeo* hoc posterius affirmandum esse, ex communiore sententia, vel ea sola ratione, quòd illa generalis sacramentorum lex est, ut quæ in usu consistunt, non conferant effectus suos, donec essentialiter perfecta, & consummata sint. Quare cum Extrema-unctio in usu posita sit, ea sub prædicta regula comprehenditur. Eò vel maximè, quòd sine ullo fundamento dicitur, eam toties gratiam sanctificantem, peccatorum & poenæ remissionem, & auxilia actualia conferre, quot fiunt unctiones.

*Dices*, cum quælibet unctio habeat suam partialem materiam, formam, & significationem, idque independenter ab aliis unctionibus, suum etiam habet effectum independenter ab illis. Ergo statim atque unctio aliqua perfecta est, effectus ei respondens producit. *Respondeo non sequi*, quia illud quòd per omnes unctiones in isto sacramento intenditur, est aliquo modo indivisibile, & convenienter per partes dari nequit: iis enim confertur auxilium, tum contra reliquias peccatorum, tum ad peccata ipsa delenda; at auxilium quòd datur contra reliquias peccati, ab uno sensu procedentis, valet contra eas quæ originem ducunt à peccatis aliorum sensuum. Peccata verò mortalia ita inter se connexa sunt, ut unum non remittatur sine alio. Quare cum omnia non possint remitti per unam unctionem, nullum ex iis remittitur, donec omnes perfecta sint.

*Posterior pars colligitur*, tum ex verbis Jacobi, tum ex Concil. Trid. cap. 1. citato, ubi docetur, hunc etiam effectum

effectum

DE POENITENTIA. CAP. VIII. 318

effectum infirmo conferri, si id salutem illius expedierit. Ex quibus verbis intelligere est, promissionem huius effectus non esse absolute annexam unctioni extremae, sed tantum sub conditione. Unde sequitur, effectum illum dari infallibiliter, quando subest talis cognitio, juxta ordinem divinae providentiae & praescientiae, tunc enim promissio fit absoluta, ob existentiam conditionis, & non aliam.

*Dices*, multi post unctionem extremam moriuntur, qui si sanitatem recuperarent, ea recte uterentur in bonum animae. Ergo posita illa conditione boni usus futuri, Extrema-unctio non confert infallibiliter sanitatem corpoream. *Respondeo* incertum valde esse, an qui ita decedunt, usuri fuissent sanitate in bonum salutis aeternae, si eam recuperassent. Quamvis enim nos probabiliter ita conjiciamus; Deus tamen (cujus cognitio omnia pervadit) aliter forte judicat. Vulgatum est illud *Sap. 4.* Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.

Deinde non absolute dicimus, eos recipere sanitatem beneficio illius sacramenti, qui ea bene usuri sunt; sed qui ea usuri sunt, juxta ordinem & modum à divina providentia, & sapientia praestitutum, qui nobis incognitus est. Unde in Concilio Colonienfi ea conditio apponitur, si Deo visum fuerit. & in

Catech. Rom. refertur hic effectus ad  
consilium, & voluntatem  
Dei.

---

LIBER IV.  
DE ORDINE, ET  
MATRIMONIO.

## CAPUT I.

*De iis quæ spectant ad essentiam Ordinis.*

**R**ESOLUTIO I. *Actio illa sensibilis qua homo ab Episcopo consecratur, & acquirit potestatem Ordinis, habet veram rationem Sacramenti.* ] EST DE FIDE, ut patet ex Conciliis Florent. in decreto Eugenii, & Trident. *sess. 7. can. 1. de sacramentis in genere, & sess. 22. can. 1. de sacramento Ordinis.*

*Ratio autem sumi debet ex dictis, ubi de sacramentis in genere: nam sacramentum novæ legis nihil est aliud, quàm signum aliquod sensibile & externum, cujus usu gratia confertur: at ordinatio illa, qua aliquis ab Episcopo consecratur in ministrum Ecclesiæ, est signum sensibile & externum, cujus usu gratia confertur, ut apertè colligitur ex Paulo 2. *Timoth. 1.* cum ait Admonco te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum; ergo tali ordinationi nihil deest ad rationem sacramenti. *Confirmatur*: nam Patres ordinationem inter sacramenta novæ legis ponunt, ac præter alios Augustinus *lib. 2. contra Parmenianum cap. 13.* ubi Ordinem conferens cum Baptismo ait, utrumque sacramentū esse, & quadam consecratione hominẽ dari; ac proinde neutrum iterandum esse. Cæterum quia variæ sunt ordinationes in Ecclesia, videndum est an omnes veram habeant rationem sacramenti.*

RESOLUTIO II. *Ordinatio Episcopi est verum Sacramentum.*

*cramentum.*] PROBATUR EX DICTIS: nam Timotheus fuit in Episcopum ordinatus à Paulo, ex communi Patrum sententia, illius autem ordinatio erat verum sacramentum, ut ostensum est: ergo ordinatio Episcopi verum est sacramentum.

*Idem probatur ex tribus principiis de quibus vix dubitari potest, primum est, in consecratione Episcopi conferri verum aliquem Ordinem, id est, gradum seu dignitatem spiritualem ad actus hierarchicos exercendos, ut patet ex Concilio Trident. sess. 23. cap. 4. & can. 6.* Secundum est, Ordinem Episcopalem esse Sacerdotio superiorem, ut statutum est in eodem Concilio *sess. citata can. 7.* & patet, quia Episcopi successerunt Apostolis, ut habetur *cap. illo 4.* quod intelligendum est quoad dignitatem, & potestatem ordinandi, ac confirmandi; Presbyteri verò septuaginta duobus discipulis, ut plerique Patres affirmant: hos autem longè inferiores fuisse Apostolis, vel ex eo perspicuum est, quod Matthias antea discipulus ad Episcopatum euectus fuit. Tertium est, Sacerdotium esse verum novæ legis sacramentum, ut postea dicitur, Ex his concluditur intentum: nam si ordinatio Sacerdotalis veram habet rationem sacramenti, quidni idem affirmabimus de consecratione Episcopali, quæ vera est ordinatio, eaque Sacerdotali nobilior?

*Confirmatur primò:* non ideò dicimus Sacerdotium esse sacramentum, quia est cæremonia externa, qua datur potestas consecrandi Eucharistiam, quod præstare non possunt, qui non sunt Sacerdotes. At ordinatio Episcopi est cæremonia externa, qua datur potestas administrandi Confirmationem, & Ordines; item consecrandi chrisma, templa, & altaria, atque alia ejusmodi quæ non nisi invalidè præstare possunt, qui non sunt Episcopi: quidni ergo dicemus ordinationem illam verum esse sacramentum?

*Confirmatur ulterius:* nam legere Epistolam, vel

Eyan-

Evangelium non sunt actus adeo operosi neque tanta gratia indigent, quam administratio Confirmationis, & Ordinum. & reliqua quæ ad Episcopum pertinent; si ergo ut priores actus ritè exerceantur, ordinationes Diaconi & Subdiaconi dicuntur esse sacramenta; potiori sanè jure fatendum est, ordinationem Episcopi habere veram rationem sacramenti.

*Dices, In ordinatione Episcopi non reperiri materiam vel formam, adeoque eam non esse verum sacramentum. Respondeo* antecedens falsum esse: nam quando ordinatur Episcopus, tres Episcopi imponunt simul manus capiti illius, & simul dicunt hæc verba Accipe Spiritum sanctum, &c. Illa autem manuum impositio ex communi sententia, est materia hujus sacramenti; verba verò prædicta formam illius constituent. Cæterum contra id quod ante diximus Episcopos esse Presbyteris superiores, nonnulla satis difficilia ex Patribus objici solent, quorum solutio videri potest in 2. parte tract. aliàs editi de sacram. disp. 7. sect. 2.

**RESOLUTIO III.** *Ordinatio Sacerdotis est verum sacramentum* ] **PATET EX DICTIS:** nam in Concilio Florent & Trident statuitur Ordinationem esse verum sacramentum: hoc autem omnium consensu maximè convenit ordinationi Sacerdotali, ergo talis Ordinatio est verum sacramentum. *Confirmatur:* nam habet duas condiciones ad rationem sacramenti sufficientes nempe signum sensibile, seu materiam & formam, de quibus statim, & promissionem gratiæ, indicatam his verbis, quæ ab Episcopo in Sacerdotis ordinatione dicuntur, Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis &c.

*Difficultas est 1.* Quænam sit materia hujus sacramenti. *Respondeo* materiam illius remotam esse, res quæ traduntur ordinando, nempe calicem cum vino, & patenam cum hostia non consecrata: proxima  
mam

nam verò ejusmodi rerum traditionem. *Probatu*r, tum ex decreto Eugenii saepius citato, tum ratione communi, quia generatim in omnibus sacramentis, quæ in usu consistunt, materia remota est res quæ applicatur suscipienti sacramentum, proxima verò ipsa applicatio materiae remotæ, ut satis patet ex supradictis. Tum denique ex communi sensu Theologorum, & Prælatorum qui non putarent aliquem validè ordinatum esse in Sacerdotem, si prædicta caeremonia prætermissa esset. Unde sedulo curant, non tantum ut ordinando porrigantur calix & patena, cum pane & vino, sed etiam ut ab eo tangantur.

*Verum contra hæc gravis est objectio*, de ordinatione Græcorum, quæ sine instrumentis peragitur, ut plerique testantur, & ipse à Græco quodam viro docto audivi. Unde posset aliquis existimare, porrectionem illam instrumentorum non esse de essentia ordinationis Sacerdotalis.

Ita respondit Theologus quidam doctissimus, cui hanc difficultatem olim proposui. Hæc tamen responsio, ut ingenuè dicam, neque mihi tunc placuit, neque jam arridet, cum ante dicta debeant intelligi de materia essentiali. Eo vel maximè quia illi respondet, & super eam cadit forma illa. Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c. quæ haud dubiè est essentialis, cum per eam detur ordinato potestas conficiendi corpus & sanguinem Christi.

Quare dicent alii, Græcos carere vero Sacerdotio, defectu materiae essentialis. Verùm hæc responsio nobis dura videtur, tum aliis de causis, in superiori tractatu relatis, tum præsertim quia cum Græci eo modo ordinati, non tantum alibi, sed etiam Romæ sacrum celebrent, sciente & probante Summo Pontifice, dici non potest, sine gravi injuria Sedis Apostolicæ, eorum ordinationem esse invalidam.

*Dicendum ergo videtur, ex Christi institutione, in*

materia ordinationis esse quandam latitudinem; ita ut per se loquendo, ea consistat in porrectione calicis, & patenæ cum pane & vino; ex concessione tamen Sedis Apostolicæ, ad eam sufficiat ex parte materiæ, manuum impositio, sine illa instrumentorum porrectione. Quemadmodum ex eadem Christi institutione, in ministro confirmationis est aliqua latitudo, nam per se loquendo, Episcopus solus potest validè tale sacramentum conferre: si tamen accedat consensus Sedis Apostolicæ, simplex Sacerdos illud validè administrare potest. Neque mirum est, quòd in sacramentis admittatur quædam latitudo, quoad partes ipsorum essentielles, quia cum non sint res physica, sed morales, ex voluntate Christi pendentes, non opus est ut consistant in indivisibili. Si quis tamen convenientiorem, & solidiorem hujus nodi solutionem suggererit, eam libentissimè amplectar.

*Difficultas est 2.* An manuum impositio facta ab Episcopo, sit de essentia ordinationis Sacerdotalis. *Respondeo affirmativè*, ut patet ex Concil. Trident. *sess. 23. can. 4.* ubi damnatur qui dixerit, per sacramentum ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, quando scilicet manus imponunt, Accipe Spiritum sanctum, &c. at gratiæ promissio non est adjuncta cæremoniis accidentalibus alicujus sacramenti, sed tantum ritui illius substantiali. Quare manuum impositio facta ab Episcopo, super caput illius qui ordinatur, est de essentia talis ordinationis.

*Confirmatur:* nam sicut porrectio instrumentorum censetur essentialis ordinationi, quia per illam tribuitur ordinato potestas in corpus Christi verum, ita manuum impositio eidem essentialis esse debet, cū per illā tribuatur ordinato potestas in corpus Christi mysticum, ut scilicet possit homines sacramentaliter absolvere à peccatis: siquidem sine ejusmodi potestate, non esset quis completè Sacerdos.

Ex

DE ORDINE ET MATR. CAP. I. 317

*Ex quibus collige*, in hoc sacramento esse duas materias, & duas formas partiales; prior materia est traditio calicis & patenæ, cum pane & vino; forma verò illi respondens consistit in verbis illis, *Accipe* potestatem offerendi sacrificium. Posterior materia est manuum impositio, cui respondet illa forma, *Accipe Spiritum sanctum*, &c.

RESOLUTIO IV. *Ordinatio Diaconi est verum sacramentum.* ] PROBATUR: nam Diaconus ordinari solet per impositionem manuum, & verba illa ab Episcopo prolata, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. Hæc autem verba non dicuntur, frustra, cum per illa conferatur gratia Spiritus sancti, ut constat ex Concilio Trident. *sess. 23. can. 4.* Quare nihil deest prædictæ ordinationi, ad veram rationem sacramenti:

*Confirmatur*: nam cum spectet ad Diaconum, proximè assistere Sacerdoti celebranti, & sacramenta administranti. Imò & interdum ex commissione Episcopi, vel Sacerdotis, baptismum etiam solemniter conferre, Eucharistiam laicis administrare, aliaque gravia munia obire, hinc patet gradum quem Diaconus in Ecclesia obtinet, esse magni momenti, illiusque ordinationem verum esse sacramentum, quo gratia ipsi conferatur, ad prædicta officia ritè obeunda.

*Quæres*, quid dicendum sit de materia ordinationis Diaconi. *Respondeo* in ea ordinatione duplicem reperiri materiam partialem, & duplicem formam. Prima materia partialis est impositio manuum; forma verò, verba illa ab Episcopo prolata, *Accipe Spiritum sanctum* ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus. Secunda materia partialis consistit in traditione libri Evangeliorum, forma autem in verbis illis, *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei*, &c. Quæ omnia non melius, quàm ex communi Theologorum placito, ex traditione antiqua, & praxi Ecclesiæ intelligi possunt.



*Verum contra hoc* duæ objectiones urgeri possunt, quarum altera sumitur ex ordinatione primorum, Diaconorum, de qua agitur *Act. 6.* Ad illam enim non potuit concurrere traditio libri Evangeliorum, cum ex communi sententia, Evangelium nondum esset scriptis mandatum. Altera sumitur ex ordinatione Diaconi, ut fit apud Græcos, siquidem illa per solam manuum impositionem, & verba quædam peragitur. Unde sequitur traditionem libri Evangeliorum, non esse materiam essentialiter requisitam ad ordinationem Diaconi. Ista tamen difficultatem non continent, iis suppositis quæ supra de ordinatione Sacerdotis dicta sunt. *Dicendum* enim est, ex Christi institutione, in materia ordinationis Diaconi esse quandam latitudinem, ita ut etsi per se loquendo, ad eam requiratur traditio libri Evangeliorum vel aliquid æquivalens; possit tamen interdum, ex concessione Ecclesiæ, Diaconatus valide sine illa conferri.

**RESOLUTIO V.** *Ordinatio Subdiaconi verum est sacramentum.* ] **PROBATUR**, quia per ordinationem illam homo destinatur ad officium aliquod divinum & sacrum exercendum; nimirum ut calicem & patenam deferat ad altare, & Diacono porrigat vinum, & aquam suppeditet ad sacrificium: Epistolam solemniter in sacrificio legat, &c. quæ omnia ut dignè & cum debita reverentia fiant, probabilissimum est Subdiacono specialem & gratiam & dignitatem in illius ordinatione conferri, & consequenter ipsius ordinationem veram sacramenti rationem habere.

*Dices* 1. Plerosque Patres agēdo de Ordinibus, meminisse tantum Episcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum. *Respondeo* eos tūc loqui de Ordinibus propriè hierarchicis, per quos ordinati aliquo modo præfunt aliis, quales sunt tres nominari duntaxat. Quod enim apud veteres fiat passim mentio Subdiaconorum, res adeo perspicua est, ut probatione

non

non indigeat. Nobis sufficiat authoritas Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 2.* qua habemus Subdiaconatus, aliorumque inferiorum Ordinum nomina & officia, ab ipso Ecclesie initio fuisse in usu. Unde quod ait Urbanus relatus *dist. 60. cap. 4.* primitivam Ecclesiam habuisse tantum Sacerdotium, & Diaconatum, non ita intelligendum est, ut velit Subdiaconatum non fuisse tunc Ordinem, sed, nondum inter sacros Ordines numeratum fuisse; eò quòd non haberet adjunctum castitatis votum.

*Dices 2.* in Ordinatione Subdiaconi non concurrunt materia & forma, cum ei non liceat tangere vasa sacra ex Concilio Laodic. *cap. 21.* Ergo talis ordinatio non est verum sacramentum. *Respondeo* antecedens falsum esse: nam sicut in precedentibus Ordinibus, ita & in Subdiaconatu est duplex materia partialis, & duplex forma, nempe porrectio calicis & patenæ, sine pane & vino, cum verbis illis, Videte cujusmodi ministerium vobis traditur, &c. Et porrectio libri Epistolarum, cum verbis ipsi respondentibus. Concilium autem Laodic. non intendit simpliciter prohibere, ne Subdiaconus vasa sacra contingat, ut satis potest intelligi ex usu & praxi Ecclesie; sed ne ea tangat, quamdiu corpus & sanguis Christi in iis continentur.

RESOLUTIO VI. *Probabile est Ordinationem inferiorum clericorum esse verum sacramentum.* ]PROBATUR 1. nam Concilium Carthag. 4. agens de clericorum minorum institutione, vocat illam ordinationem, non secus ac consecrationem Episcopi Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi. Sicut igitur ordinatio priorum ministrorum habet rationem sacramenti, ita & ordinatio posteriorum. Eò vel maximè quia ordinatio est verum sacramentum, ut patet ex Concilio Trident. *sess. 23. cap. 3. & can 3.*

*Probatum 2.* Nam Concilium Florent. in instructione Armen. postquam dixit ordinem esse sextum sacramentum, ejusque materiam esse id, cujus

traditione confertur Ordo, exempla subjungit de Presbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu, tum addit. Et similiter de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium, assignationem. Quibus verbis non leviter insinuat, id quod dixerat de Ordine (nempe illum esse sacramentum, & constare ex materia, quæ in ordinatione traditur) habere locum non tantum in tribus Ordinibus, qui majores appellantur, sed etiam in quatuor minoribus.

*Dices*, inter minores Ordines olim numerari solent ordines psalmistarum seu cantorum, & laborantium in sepultura: at tales ordines non sunt sacramenta, ergo nec ii qui minores vocantur. *Respondeo non sequi*: nam ordines psalmistarum, & laborantium dabantur per simplicem quandam deputationem, in ordine ad peculiare aliquod obsequium divinum, At Ordines minores tribuuntur per cæremoniam aliquam sacram. qua confertur specialis aliqua potestas, per ordinem ad Eucharistiam, cum debito honore & reverentia peragendam. Unde hæc ordinatio est sacramentum, non illa.

*Quæres*, an sit de essentia prædictarum ordinationum, de quibus in hac, & præcedentibus resolutionibus actum est, ut instrumenta, in quorum portatione earum materia consistit, physicè tangantur ab ordinato. *Respondeo* 1. ex probabiliori, & tutiori sententia requiri contactum physicum. Quia sicut Baptismus, Confirmatio, & Extrema-unctio conferrentur invalidè, si eorum materia susipientem realiter non afficeret; ita cum ordinatio in usu & applicatione materiæ consistat, probabilissimum est eam esse irritam, si ordinatus materiam physicè non contingat.

*Respondeo* 2. Quando per varia instrumenta diversæ potestates traduntur, eorum omnium contactum physicum ad valorem ordinationis requiri. cum non sit ratio, cur unum debeat sic contingi, potius quàm aliud. Quando verò datur eadem potestas, sufficere si

unum

unum physicè tangatur; quanquam ex præcepto singula realiter tangenda sint, ut satis colligitur ex sollicitudine qua Episcopi curant, ut omnia ab ordinatis tangantur.

## CAPUT II.

*De causis, & effectibus Ordinis.*

**R**ESOLUTIO I. *Solus Episcopus est Minister ordinarius sacramenti Ordinis. Potest tamen simplex Sacerdos, ex commissione summi Pontificis, minores ordines conferre.* ] PRIOR PARS est certa ex fide, ut colligitur, ex Conciliis Florent. in decreto Eug. & Trident. *sess. 23. can. 4. & can. 7.* Illius verò ratio præcipua peti debet à voluntate Christi, qui ita hoc sacramentum instituit, ut noluerit alium esse ministrum ordinarium illius, quam Episcopum. Quòd autem Christus hoc ita ordinaverit, sufficienter colligitur ex variis dictis sanctorum Patrum, alibi relatis, & ex perpetua ac constanti praxi Ecclesiæ, quæ non nisi per Episcopos, ordines conferre solet.

Hujus verò institutionis congruentia ex eo sumitur, quòd cum solus Episcopus sit princeps Reipublicæ Christianæ, ad illum solum spectat dignitates, & ministeria Ecclesiastica distribuere, sicut ad Principem sæcularem officia Politica, ut docet S. Thom. *supplem. quest. 38. artic. 1.* Nec refert quòd simplex Sacerdos possit Eucharistiam conficere, quòd majus est quàm ordines conferre; nam in iis quæ pendent à voluntate alterius, non sequitur quòd qui potest majus, possit & id quòd minus est.

*Posterior pars* satis ex ipso usu Ecclesiæ comprobatur, nam Cardinales Presbyteri ex consuetudine minores ordines conferunt. Abbates verò ex juris privilegio, eadem facultate gaudēt. *Est autem difficultas, an Summus Pontifex possit dare facultatem simplici Sacerdoti, conferendi majores ordines.*

Qua in re illud *in primis est certum*, Episcopum non posse validè consecrari, ex quacunque Pontificis cōmissione, à simplici Sacerdote, cū ex jure divino, Episcopus sit major Presbytero, major autem à minori benedici non possit.

*Secundò certum est*, non posse Sacerdotem ex Pontificis dispensatione, validè consecrari à non Episcopo. Si enim talis potestas resideret in Ecclesia, ea certè aliquando in tam longa temporum serie, vel ex nimia Episcoporum distantia aut inopia, usurpata fuisset: sicut videmus potestatem administrandi sacramentum Confirmationis, simplici Sacerdoti non semel à Sede Apostolica demandatam fuisse. At ex nullo exemplo, vel autoritate constat, datam esse interdum simplici Sacerdoti potestatem consecrandi Presbyteros; ergo hoc maximum indicium est, talem potestatem in Ecclesia non residere.

*Tertiò satis certum videtur*, ex commissione Supremi Pontificis, posse Sacerdotem non Episcopum, Diaconatum, & Subdiaconatum conferre, propter privilegium aliquod ab Innocent. VIII. anno 1489. collatum Abbati Cisterciensi, & aliis quatuor primis Abbatibus ejusdem Ordinis ut posset prior omnes Ordinis sui Monachos, reliqui vero tantum sibi subditos ad dictos ordines promovere. Cujus privilegii tenorem refert Rodericus tomo 1. bullarum Apostolicarum, ubi de Bullis ab Innocent. VIII. editis in favorem Regularium.

Sunt qui dicunt hoc privilegium non emanasse à summo Pontifice, quia non constat prædictos Abbates eo unquam usos fuisse. Verùm oppositum colligitur ex eodem Roderico *quæst. regul. tom. 1. quæst. 18. art. 3.* ubi testatur, se accepisse à Patribus Ordinis Cisterciensis, Abbates præfati Monasterii, aliosque supra memoratos, prædicto privilegio usos esse. Quod evidens signum est, hoc privilegium ipsis verè aliquando concessum fuisse.

RESO

RESOLUTIO II. *Ad valorem ordinationis necesse est, ut qui ordines suscipit sit vir, usque baptizatus.]*  
 PRIOR PARS præcipuè colligitur ex voluntate Christi, quidum in cœna Apollolis dedit potestatem consecrandi; item quando post resurrectionem insufflavit in eos, & dixit, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. nullam mulierem ordinavit, nequidem suam matrem sanctissimam, quæ fœminarum omnium erat dignissima, sed solos viros; quod certo argumento est, sexum fœmineum, ex jure divino, esse ordinationis incapacem.

*Congruentia* verò hujus institutionis multiplex assignari potest. Imprimis enim per ordinationem confertur gradus aliquis præminentia supra alios. Deinde ordines tum ad alia pleraque officia, tum ad docendum sunt instituti. Rursus qui ordinem aliquem, etiam infimum, suscipit, idoneus sit ut possit esse Episcopus, ac proinde Ecclesie sponsus, Christum representans. Denique cum tonsura sit Clericorum insigne, qui ordinibus iniciatur, debet tonderi.

Ex hoc autem quadruplici capite manifestum fit, sexum fœmineum non esse idoneum ad ordines suscipiendos, tum quia fœminæ ex lege naturali, de qua *Genes. 3.* subditæ sunt viris, tum quia Paulus *1. Timoth. 2.* Mulier (inquit) in silentio discat cum omni subjectione, docere autem mulieri non permitto: tū quia fœmina congruè dici non potest sponsus Ecclesie, qui vices Christi gerat, illumque representet; tum denique quia ex Apostolo *1. Corinth. 11.* turpe est mulieri tonderi, aut decalvari.

*Nota* per Presbyteras, de quibus in Cœciliis interdum agitur, intelligi viduas seniores, quæ aliis ratione ætatis præerant, vel fœminas quarum mariti, ex earum consensu, ad Sacerdotium evecti erant, quæque castitatem servare tenebantur. Similiter nomine Diaconissæ intelligi solet fœmina, quæ deputabatur

ad aliquod ministerium, quodammodo sacrum, in Ecclesia exercendum, nimirum ut Sacerdori mulieres baptizanti inserviret, ne opus esset ut viri earum corpora tangerent; ut fores per quas fœminæ in Ecclesia ingrediebantur custodiret, &c. Non raro tamen Diaconissa accipitur pro fœmina, cujus vir ad Diaconatum promotus erat, quæque non poterat, eo vivente, alteri conjugio copulari.

*Posterior pars constat, tum ex cap. Si quis, de Presbytero non baptizato, tum quia ut non semel diximus, Baptismus est janua & fundamentum omnium sacramentorum: quare sicut domus constitui non potest, ubi non est fundamentum; ita nec ordo, aut quodvis aliud sacramentum validè suscipi, ab eo qui non est baptizatus. Et ea ratio est, cur vulgò authores dicant; characterem Ordinis supponere characterem Baptifini.*

**RESOLUTIO III.** *Infantes validè possunt ordinari ante usum rationis, in adultis tamen requiritur consensus ad valorem ordinationis.]* PRIOR PARS non obscurè insinuatur *dist. 77. can. in veteri lege, & cap. unico, de clerico per saltum promotio. Probatur autem à simili: nam infantes, ante rationis usum, sunt capaces Baptismi, & Confirmationis, cur non & Ordinis? cùm hæc tria sacramenta id habeant commune, ut characterem imprimant.*

*Dices esse discrimen, quia votum continentiae est ordinibus annexum, non aliis sacramentis; non potest autem aliquis voto obligari, nisi consentiat. Verum hic non colligitur, quod infans ante usum rationis, non recipiat characterem Ordinis; sed tantum quòd sic ordinatus, non teneretur castitatem servare, quando ad ætatem adultam pervenerit.*

*Nota, ad primam tonsuram, & ordines minores expectandum esse ex congruentia, & honestate usum rationis, ad majores verò etiam ex præcepto ita ut si quis Episcopus infantem, nondum ratione urentem,*

utentem, Subdiaconatu, aut Presbyteratu initiet, peccet mortaliter, contra præceptum Ecclesiæ. Cæterum in Concilio Trid. *sess. 13. cap. 12. de reformat.* statuitur, ut nullus in posterum ad Subdiaconatum ante 22. ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. Ætatis suæ annum promoveatur; quæ verba de anno incepto intelligenda sunt, ut constat ex declarationibus, & remissionibus illius capituli, & ex praxi Ecclesiæ, ex qua etiam habemus, ad primam tonsuram sufficere ætatem septem annorum: imò ordines minores post septennium posse conferri, excepto Acolitatu qui non nisi anno duodecimo expleto, administrari debet. Denique ad Episcopatum requiritur, ex jure communi, ætas 30. Annorum completa.

*Posterior pars* sufficienter probata manet ex dictis de sacramentis in genere, ubi ostendimus, ad valorem sacramenti necessariam esse intentionem suscipientis, si adultus sit. Unde sequitur irritam esse ordinationem, quando quis absolute invitus ordinatur. Quamvis secus dicendum sit, si quis metu aliquo ad suscipiendos ordines compellatur, ita ut absolute ordinari velit, & sit tantum invitus secundum quid.

*Quæres*, an ille qui gravi metu injustè compellitur ad susceptionem ordinum, teneatur castitatem servare. *Respondeo negativè*, quia cum votum illud sit per injuriam extortum, verisimile est illud à Deo non acceptari: at sine Dei acceptatione, votum non est ratum, neque vim obligandi habet.

RESOLUTIO IV. *Sacramentum Ordinis confert gratiam, & characterem.* ] ITA sumitur ex Concilio Trident. *sess. 23. can. 4.* eaque ratione probatur, quia sicut per Baptismum datur potestas suscipiendi alia sacramenta, ita per ordinationem confertur facultas ea administrandi. Sicut ergo æquum est, ut per baptismum detur gratia, ad ritè & sanctè suscipienda alia sacramenta; ita congruum videtur, ut per ordina-



ordinationem tribuatur gratia necessaria ad ea dignè administranda. Tanta enim est dignitas & præstantia sacramentorum, ut ea tam à suscipientibus, quàm à conferentibus dignè & sanctè tractari debeant.

Rursus, sicut in Baptismo homo consecratur familiæ Christi, & ea consecratione in perpetuum duratura, recipit characterem indelebilem; ita in ordinatione consecratur, ministerio sacro exercendo in familia seu Ecclesia Christi, & semel recipit potestatem seu characterem spirituales, & indelebilem ad tale munus ritè, & ex officio obeundum.

*Quo loco nonnulla sètu digna observanda sunt. Primò per omnes ordines tam minores, quàm majores utrumque effectum produci: cum enim omnes sint sacramenta; ex communiori, & probabiliori sententia, & per omnes conferatur potestas administrandi officia Ecclesiastica, qua Clericus tanquam signo quodam spirituali, eoque indelebili à laicis distinguitur, quæque nunquam iteratur hinc fit ut per omnes ordinationes producat gratia, & character.*

*Secundò nota, eodem instanti simul infundi gratiam, & characterem in ordinatione, nimirum quando sacramentum applicatione materiæ, & formæ essentialis perficitur. Hoc autem intelligendum est, quando non intervenit impedimentum aliquod gratiæ: si enim ordinatus obicem illi apponat characterem solum recipiet, ut alias in simili de Baptismo diximus. An autem recedente peccati fictione, præterita ordinatio suum effectum sortiatur, in dubium verti potest pro cuius enodatione.*

*Observandum tertio, probabiliorem nobis videri eorum sententiam qui censent, ordinem fictè susceptum, ablata postea fictione per legitimam dispositionem, quoad effectum gratiæ reviviscere. Cujus rei ea est ratio, quia per ordinationem homo constituitur in gradu aliquo, in quo eget specialibus gratiæ*

tiæ auxiliis, ad officium suum ritè exequendum, quæ per ipsam ordinationem tradi solent. At si ille qui ordinatus sine debita dispositione, talibus auxiliis privatur ablato postea peccati obice, non reciperet ejusmodi gratiam, sequeretur illum nunquam posse ritè, & dignè fungi officio, ad quod vi status suscepti est destinatus, quod paulò durum videtur. Quòd autem id sequatur inde patet, quia ordinatio semel validè suscepta, iterari non potest.

Sed adversus id, quod ante statuimus, per ordinationem conferri characterem indelebilem, erit qui objiciat, Clericos interdum ob patrata enormia quedam crimina, degradari; ejusmodi autem degradatio nihil aliud esse videtur, quàm è gradu Clericali dejectio, seu ordinis ablatio.

*Respondeo* degradationem esse pœnam Ecclesiasticam, qua Clerici privantur functionibus omnibus Ecclesiasticis, & privilegio Clericali, non autem characterem per ordinationem collato: cujus signum est, quia ordinatio facta ab Episcopo degradato valida censetur; item consecratio Eucharistiæ facta à Sacerdote degradato.

**RESOLUTIO V.** *Sacris ordinibus initiati, tenentur castitatem servare.*] HOC probatum fuit alias à nobis in tractatu de sacramentis 2. p. disp. 8. sect. 4. variis auctoritatibus summorum Pontificum Conciliorum, & sanctorum Patrum quæ ibi videri possunt. *Congruentia* verò ex eo sumitur, quòd cum in altari offeratur sacrificium purissimum, rationi valde consentaneum est, ut qui ad tale munus deputantur, maximam tam corporis, quam animæ puritatem sectentur. Debent etiam ordinibus sacris initiati, orationi frequenter incumbere, quod minimè præstare possent, si operibus conjugalibus vacarent; cum illa animus à divinis rebus abducant, & terrenis immergant.

*Notar.* Quando Pontifices, vel Concilia prohibent, ne Sacerdotes alique ministri Ecclesiæ uso-

res suas dimittant, sensum esse, non licere Ecclesiasticis uxores, quas ante susceptionem ordinum duxerunt, à se ita abjicere, ut victum & vestitum iis denegent.

*Nota 2.* Prædictam resolutionem intelligendam esse de Sacerdotio, Diaconatu, & Subdiaconatu; nam quòd spectat ad ordines, qui minores vulgò appellantur, legem continentia non esse iis annexam, satis constat ex *dist. 32.* & ex praxi Ecclesiæ. Neque obest quòd in Concilio Nicæno *1. can. 3.* prohibetur, ne quis ex iis qui in clero sunt constituti, cum mulieribus habitet: per illa enim verba non intelliguntur omnes clerici, sed ii tantum qui in clero sunt constituti, cum obligatione servandi castitatem, quales sunt Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, qui propter vorum continentia, eorum ordinationibus annexum, dicuntur in sacris constituti.

## CAPUT III.

*De sponsalibus ad Matrimonium requisitis.*

**R**ESOLUTIO I. *Ad valorem sponsalium requiritur promissio exterius facta.* HIC enim sumimus sponsalia, pro futurarum nuptiarum promissione: quòd autem talis promissio exterius fieri debeat, ea ratione ostenditur, quia si esset interna, non modo non sufficeret ad sponsalia, verum nequidem ullam obligationem induceret. In eo enim distinguitur promissio homini facta, ab ea quæ fit Deo, quòd hæc etsi interna obligat, quia Deus qui intuetur cor, eam acceptat. Illa verò non obligat, nisi ab homine acceptetur, ac proinde nisi signo aliquo exterius manifestetur. Sufficit autem sive hoc fiat verbis, sive scripto, sive alio quocumque modo qui ipsis contrahentibus mutuam consensum sufficienter exprimat. Imò interdum taciturnitas est signum sufficiens consensus, ut si parentes, aut tutores Titii pro eo præsentem contrahant sponsalia, & ille sileat; tenetur enim consentire

sentire aut certè contradicere: quare si non contradicit, censetur consentire.

**RESOLUTIO II.** *Requiritur etiam ad valorem sponsalium, ut promissio sit mutua, & ex deliberatione ad peccatum sufficienti procedat.* ] **PRIOR PARS PROBATUR:** nam cum sponsalia sint veluti quædam Matrimonii inchoatio, sicut in hoc, ita & in illis obligatio & vinculum ex utraque parte esse debet. Unde si unus promittat, & alter promissionem accipiat, nec vicissim repromittat, irrita sunt sponsalia. Et accipiens ad nihil tenetur, cum nihil repromiserit; promittens verò tenetur sub mortali, per se loquendo, Matrimonium contrahere, si ex gratitudine aut benevolentia promisit, & alter diu repromissionem non differat, quia promissio fuit acceptata, & est de re gravi. Quod si promisit tantum per modum contractus respectivi, ut ordinariè contingit, ad nihil obligatur, nisi alter repromiserit.

*Posterior pars suadetur:* nam cum sponsalia sub mortali obligent, talem deliberationem necessariò postulant, ut valida sint. Accedit quòd cum sponsalia sint quædam dispositio ad Matrimonium, requirunt perfectam & plenam libertatem, quæ à ratione dirigente, & à voluntate libera procedat. Non requiritur tamen ea libertas, quæ ex maturo consilio, & omnium circumstantiarum prævisione procedit, cum pueri septimo ætatis anno sponsalia validè contrahere possint, quo tempore maturo consilio præditi esse nequeunt. Cæterum in dubio, an ad fuerit sufficiens deliberatio, nec ne, præsumendum est eam ad fuisse, donec aliud constet.

**RESOLUTIO III.** *Requiritur præterea ad valorem sponsalium, ut promissio fiat animo verè promittendi, ad quæ se obligandi.* ] **PROBATUR,** quia cum sponsalia sint contractus utrinque promissorius & obligatorius, ea nequeunt subsistere, nisi contrahentes verè intendant promittere, seque ad servandum promissa obligare.

Unde

Unde si quis sponsalia contrahit fictè animoque se non obligandi, contractus non valet, adeoque ex vi promissionis non tenetur exequi quod promisit. Quòd si promittens habet animum verè promittendi, & se obligandi, non tamen promissum implendi, sponsalia valent, & qui ita promisit matrimonium inire tenetur. Cùm enim promissio verè & animo se obligandi facta fuerit, prava intentio non standi promissis, obligationem illam tollere non potest.

*Notandum* tamen 1. Eum qui fictè promisit, teneri ex probabiliori sententia, implere promissum, si fictæ promissioni iuramentum apposuit. Nam etsi habuerit animum se non obligandi, & ex eo capite nulla oriatur obligatio, eò ipsò tamen quòd voluntariè Deum assumpserit in testem futuri matrimonii, Religio & reverentia erga ipsum postulat, ut id exequatur quod exteriùs promisit. Ea tamen non sunt vera sponsalia, neque ex iis oritur impedimentum publicæ honestatis, ob defectum veræ promissionis, quæ ad essentiam sponsalium pertinet.

*Notandum* 2. Eum qui fictè promisit matrimoniù, etsi non teneatur, vi promissionis, exequi quod promisit, posse ad id teneri ratione injuriæ, aut damni illati. Sic qui defloravit virginem, sub spe matrimonii, quod ei fictè promisit, tenetur eam ducere; quia justitia commutativa obligat ad reddendum id quod debetur, ille autem debet ex justitia, consensum in futurum matrimonium, cùm sub spe illius, puella effecerit copiam sui corporis. In contractibus enim in quibus habet locum, do, ut des, facio, ut facias, quando unus contrahentium, id de quo agitur explevit, tenetur alter ex justitia similiter id ipsam exequi quod promisit, saltem si damnum illatum aliter rescirci non possit.

*Excipe*, nisi vir genere, aut divitiis foeminam notabiliter excedat, aut nisi ex variis indiciis facile poterit foemina deprehendere, se decipià promittente. In

te. In quibus etiam casibus nulla requiritur compensatio ut plurimum, quia foemina potius seipsam decepit, quam decepta fuerit, & sibi imputare debet, quod deflorata sit. Si tamen viri genus aut divitias ignorabat, vel ille ita promisit, ut vir prudens non potuisset facile praesumere dolum, pecuniis satisfacere debet. At neque tunc tenetur defloratam ducere, cum multo majus quid sit, eum tali foeminae nubere, quam eam ab illo fuisse defloratam: atque adeo compensatio multis partibus excedat damnum illatum.

**RESOLUTIO IV.** *Ut valeant sponsalia, ea debent contrahi inter personas ad matrimonium habiles, & quae habeant aetatem a jure statutam.* ] UT hoc clarius percipias, *Observandum 1.* Non tantum invalidè contrahere sponsalia eum, qui laborat impedimento dirimente, sed etiam qui habet impedimentum tantum impediens. Quia sicut prior invalidè spondet matrimonium, eò quod inhabilis est ad illud: ita posterior invalidè sponsalia contrahit, quia non potest validè se obligare ad id, quod non nisi illicitè fieri potest, quale est matrimonium cum tali impedimento.

Hoc autem procedit tantum, quando impedimentum est perpetuum, quod scilicet tolli non potest sine dispensatione. Nam si sit temporale, potest eo affectu promittere matrimonium, pro tempore quo ablatum erit, & consequenter sponsalia contrahere; ut fit in impuberibus, qui valide contrahunt sponsalia, etsi ante annos pubertatis matrimonium validè inire nequeant. Nec refert quod impedimentum perpetuum dispensatione tolli possit: nam eo affectu, non potest matrimonium alteri promittere, nisi sub conditione obtinendae dispensationis, ac proinde ejusmodi promissio non erit absoluta, qualis esse debet ad sponsalia, donec dispensatio obtenta sit.

*Observandum 2.* Ad validè contrahenda sponsalia,

salia, requiri ætatem septem annorum completam. Dicitur autem illa ætas completa, ex communiori sententia, si ultimus dies septimi anni inceptus sit, non autem si desint aliqui dies. Quod si malitia supplet defectum ætatis, ita ut pueri ante expletum septimum annum, sufficienti iudicio præditi sint ad contrahenda sponsalia, possunt ante illud tempus determinatum, validè sponsalia inire, sicut in simili casu, matrimonium validè cõtrahitur ante annos pùbertatis, ut dicitur infra. Quia illud tempus non præscribitur ut necessarium, sed quia jus præsumit, in ea ætate usum rationis illucescere.

RESOLUTIO V. *Sponsalia solvuntur ex mutuo consensu: Item per professionem emissam in Religione approbata, & per votum illius.* ] PRIMA PARS PROBATUR, quia omnis res si dissolubilis sit, per easdem causas dissolvitur, per quas nascitur ex *cap. r. de regulis juris*: atqui sponsalia ex mutuo sponsorum consensu nascuntur, & sunt dissolubilia, ergo per eorum consensum solvi possunt. Quod verum est, etiam si firmata sint juramento. Et in eo distinguuntur sponsalia à matrimonio, quod sive consummatum, sive duntaxat ratum sit, ex mutuo conjugum consensu, quoad vinculum solvi nequit.

*Notandum est*, autem hæc intelligi de sponsalibus puberum: nam quod spectat ad sponsalia impuberum, ea non possunt ex mutuo utriusque consensu solvi, quamdiu impuberes sunt: ne ob ætatis inconstantiam, & levitatem ingenii detur illis occasio sæpè sponsalia contrahendi, & ab iis resiliendi. Ubi vero eorum aliquis pubertatem adeptus est, potest ille resiliere non expectata alterius pubertate, quod validè fiet si statim, id est, intra tres dies resiliat: secùs si non nisi eo tempore elapso contradicat: illud enim silentium pro consensu reputatur.

*Secunda pars ostenditur*: nam etiam matrimonium ratum hoc modo solvitur, ut infra dicemus. Imò si sponsus religionem ingrediatur, potest sponsa, non expectata

expectata illius professione, contrahere sponsalia cum alio. Quia sponsus susceptione habitus religiosi satis ostendit se ex parte sua sponsalibus renunciare. Unde si egrediatur, non tenetur sponsa fidem illi datam servare, sive cum alio contraxerit, sive non. Si tamen eo egresso, sponsa velit cum illo matrimonium contrahere, tenetur ille fidem præstitam servare; cum ea jure suo privata non sit.

Cæterum quod dicimus de sponso ingrediente religionem, extēdi debet ad illum, qui post sponsalia vovet continentiam, vel susceptionem ordinis sacri, eum scilicet ex parte sua renunciare sponsalibus: teneri tamen contrahere, si ad hoc adigatur à sponsa, quæ propter vota illa sponsi, suo jure non est privata, ex communi sententia. Quod si votum continentia præcessit, illud dirimit sequentia sponsalia. At verò susceptio ipsa ordinis sacri, sive præcedat, sive sequatur, sponsalia dissolvit.

*Tertiapars suadetur*, quia sicut se habent sponsalia ad matrimonium ratum, ita se habet votum profitendi in Religione approbata, ad professionem ipsam. Quemadmodum enim qui sponsalia iniit cum aliqua, tenetur illi nubere: ita qui votum profitendi emisit, tenetur profiteri. Atqui professio dissolvit ex utraque parte, matrimonium ratum: ergo & votum profitendi sponsalia eodem modo dissolvit.

*Dixi, per votum profitendi*: nam si tantum emittatur votum ingrediendi Religionem, sine animo profitendi, non puto hoc sufficere ad dissolvenda sponsalia: si enim ingressus ipse in Religionem non dissolvit illa ex parte ingredientis, ut dictum est: qua ratione dici potest, votum ingressus ea penitus dissolvere? Verum quia voventes Religionem ut plurimum intendunt in ea profiteri; hinc fit ut votum illud censetur sponsalia penitus dissolvere, nisi sufficienter constet de opposita voventis intentione.

*Hoc tamen limita*, nisi relictus in sæculo grave aliquod damnum injustè incurrat, ex eo quod alter Religionem

Religionem



ligionem ingrediatur; ut verbi causa, si sponsa relicta sit gravida, aut deflorata, aut talem familiaritatem habuerit cum sponso, ut inde gravis infamia sequatur, nisi simul contrahant. In hoc enim casu tenetur sponsus fidem in s. o. salibus datam servare, & ab ingressu religionis abstinere. Quia votum illius, cum sit alteri valde injuriosum, à Deo minimè acceptatum fuit, ac proinde non obligat.

RESOLUTIO VI. *Sponsalia etiam solvantur per alia sponsalia, & per fornicationem.* ] PRIOR PARS PROBATUR, quia qui cum secunda sponsalia contrahit, satis eo facto ostendit, se renunciare prioribus sponsalibus. Unde prior sponsa libera manet ab obligatione sponsalium, & potest cum alio contrahere. Si tamen ea nolit juri suo cedere, tenetur sponsus cum ea contrahere, & non cum posteriori. Imò quamvis illa prioribus sponsalibus renunciaret, non tenetur sponsus ei nubere, cum quæ secundò sponsalia inicit, quia cum hæc sponsalia irrita sint, nullam obligationem inducere possunt.

*Sed hic adverte,* prædicta esse intelligenda, nisi sponsus à secunda priorum sponsalium ignara, copulam obtinuerit; adeò ut grave periculum infamie illi imminet, nisi eam ducat. In hoc enim casu puto eum teneri, cum posteriori contrahere, ut eo contractu repararet grave damnum ei illatum, præsertim cum priori sponsæ nullum inde aliud damnum adveniat, ut suppono, quàm quòd ea non consequatur rem sibi in sponsalibus promissam. Quod damnum, ut liquet, non est tanti momenti, quanti injuria posteriori illata.

Si tamen posterior sponsa, matrimonio contracto moriatur, tenetur vir illius cum priori sponsa contrahere: obligatio enim quam cum illa spondendo contraxerat, non est extincta omnino per sequens matrimonium, sed tantum sopita, ad eum modum quo sopita tantum est obligatio illius, qui post votum religionis, matrimonium contraxit,

eraxit, & consummavit. Quare sicut ille, mortua uxore, tenetur religionem ingredi: ita alter mortua uxore, tenetur cum priori sponsa matrimonium inire.

*Posterior pars ostenditur:* cum enim ea sit justa causa divortii inter conjuges, non mirum est si sufficiat ad solvenda sponsalia. Si tamen innocens velit matrimonium contrahere, fornicarius ad hoc compelli potest. Et in hoc ambo sponsi sunt pares; quia non tantum sponsa, sed etiam sponsus fornicando, fidem in sponsalibus datam violat: quare sponsa non tenetur ei fidem datam servare.

**RESOLUTIO VII.** *Solvi quoque possunt, ex parte sponsalia, ob mutationem adeò gravem alteri supervenientem, ut si pravisafuisset, ea hominem similis conditionis, & cordatum à contrahendis sponsalibus verè deterrisset.* ] Talia sunt quæ sequuntur. *Primò* quando alter sponsus incidit in morbum aliquem contagiosum, & qui horrorem incutere solet, qualis est lepra, morbus Hispanicus, seu Neapolitanus, Epilepsia, &c. *Secundò* si fiat notabiliter deformis, ut si privetur naso, vel altero oculo; quamquam authores advertunt, majorem requiri deformitatem in sponso, ut sponsæ resilire liceat, quàm in sponsa, ut ea à sponso relinqui possit. Eo quòd non tanta exigi solet pulchritudo in viris, quàm in mulieribus. *Tertiò* si alter magnam bonorum jacturam faciat, ita ut alteri factus sit notabiliter inæqualis; quia hoc constitueret inæqualitatem in nuptiis, quæ pravisaf ab iis meritò retrahere potest. Si tamen, non obstante gravi jactura bonorum, qui eam patitur manet æquè dives ac alter, & alioquin inter illos non est conditionum disparitas, puto jacturam illam non sufficere, ut alteri à sponsalibus resilire liceat. Quòd si hæreditas alicui eorum de novo supervenerit, non propterea potest ille sponsalia dissolvere, eo quòd alter non est pejoris conditionis quàm antea esset, dum sponsalia inita fuerunt.

Quòd

Quòd autem dicimus de jactura bonorum, dicendum etiam est de jactura famæ. *Quartò* magna savi-  
tia, & morum asperitas de novo cognita; si enim ea  
sufficit ad celebrandum divortium inter conjugatos,  
à fortiori sufficiet ad dissolvenda sponsalia. *Quintò* si  
probabiliter timeatur ex contractu matrimonii, in-  
felicis exitus, aut grave scandalum; ut quia inter spon-  
sos ipsos grave odium natum est, aut quia graves ini-  
micitia inter eorum parentes exoriuntur, quæ facilè  
sedari non poterunt, si nuptiæ celebrentur. Non ta-  
men sponsalia rescindere licet, ob leves minas, ter-  
roresque, qui interdum jactari solent, quique fa-  
cilè concidunt celebratis nuptiis, ut patet experien-  
tia.

*Quo loco advertendum est*, non modo fas esse à spon-  
salibus resilire, quando mutatio gravis sponsalibus  
supervenit, sed etiam quando ea præcessit, in con-  
tractu tamen ignorata fuit. Quòd si tali mutatione  
cognita, sponsus sciens se habere jus resiliendi à  
sponsalibus, sponsam cognoscat, eo actu videtur re-  
nunciare juri suo, & sponsalia rata habere. Quare si  
eorum dissolutionem postea petat, Judex eum audi-  
re non debet, ut in simili dicemus infra de conjugæ,  
qui ad uxorem accedit, cognita sufficienti causa di-  
vortii, propter adulterium ab ea patratum.

RESOLUTIO VIII. *Quando quis est in mora, seu  
quando per ipsum stat, quominus sponsalia tempore debito  
completeatur, alter manet liber ab obligatione sponsalium.*  
UT hoc intelligas adverte, sponsalia duobus modis  
contrahi posse, primò ita ut nullum tempus eis præ-  
figatur, quo nuptiæ celebrandæ sint; & tunc etsi unus  
sit in mora, ex legitima causa, non propterea alter  
per quem non stat quominus matrimonium contra-  
harur, ab obligatione sponsalium liber remanet; si  
tamen dilatio sit tanta, ut ex prudenti judicio credi-  
bile non sit, alium voluisse ad eam se obligare, esto  
sit inculpabilis, poterit ille qui non est in mora, à  
sponsalibus resilire.

Alio

Alio modo celebrari possunt sponsalia, adjecto certo termino intra quem compleri debeant. Et hoc dupliciter fieri potest. Primò ita ut nisi intra tale tempus ineatur matrimonium, is per quem non stat, liber sit ab obligatione sponsalium. Et tunc certum est, elapso tali termino sponsalia dissolvi, ex parte illius qui non est in mora, seu per quem non stat, quin nuptiæ celebrentur. Unde potest resilire, si velit, saltem quando alter culpabiliter est in mora. Imò & ex probabiliori sententia, quando illius mora à culpa excusari potest. Quia sicut in aliis contractibus, ita & in isto contractu sponsalium, ut rescindatur sufficit, quòd conditio de qua partes mutuò conveniant, adjecta non sit etsi ex neutrius culpa id proveniat.

Secundò potest præfigi certus terminus sponsalibus, ea intentione ut eo elapso, qui est in mora possit cogi ad celebrandum nuptias; & tunc perspicuum est, statim post illum terminum assignatum, non manere liberum ab obligatione, eum per quem non stat, quominus compleantur sponsalia, sed tantum habere jus cogendi alium, ut stet promissis. Unde si requisitus tantum protrahat nuptias, ut probabiliter videatur sponsalibus renunciare, aut manifestè peccet mortaliter protrahendo sine causa, fas est alteri à sponsalibus resilire. Quod verò spectat ad eum qui est in mora, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, certum est eum non fieri liberum à fide data: atque adeò teneri contrahere, si alter qui habet jus rescindendi sponsalia cedat juri suo.

RESOLUTIO IX. *Quando sponsus in terras remotas se transfert, quia sponsalibus renunciare censetur, sponsa manet libera ab illo.* ] QUOD tamen aliqui limitant. Primò nisi ex consensu sponsæ discedat; sed adde, dummodo ex nimia sponsi mora, grave periculum incontinentiæ sponsæ non immineat, aut non urgeat alia necessitas contrahendi matrimonium cum alio. Nam in his casibus sponsa non censetur se

P

obligasse

obligasse ad fidem servandam, etsi sponso licentiam discedendi dederit.

*Limitant secundò*, nisi sponsus ex causa necessaria, diutius abesse cogatur: tunc enim ajunt sponsam debere expectare, donec impedimentum illud ablatum sit. Sed hoc falsum est, nisi supponas primò, nullum terminum sponsalibus fuisse appositum, ut patet ex antedictis. Item sponsam nullum ex ea mora grave incommodum incursum.

*Limitant tertio*, nisi sponsus existens intra provinciam, plusquam biennio absit; existens verò extra provinciam, intra triennium non redeat. Verum existimo sponsam non ita teneri toto illo tempore expectare, quin possit Judex Ecclesiasticus, spectatis circumstantiis omnibus, maximè verò damnis, aut periculis quibus sponsa ex longa mora, subesse potest, certum tempus præfigere, ut interim moneatur sponsus, quod nisi intra illud redeat, sponsa libera manebit ab obligatione cum illo contracta.

*Limitant quartò*, nisi spes sit eum brevi rediturum. Et hæc limitatio legitima est, tum quia in eo casu sponsus non censetur sponsalibus renunciare: tum quia ex brevi mora nullum sponsa incursum est damnum, propter quod rationabiliter à fide data resilire possit.

Porro quod dicimus de eo qui aliò se transfert, etsi rediturus sit, à fortiori dicendum de eo qui post sponsalia, in terras remotas domicilium suum transfert. Sponsa enim non tenetur eum sequi, nisi aliter inter eos conventum sit. Et multo minus si sponsus vagari velit: ea enim conditio est nimis dura, ut ad eam censetur sponsa se obligasse.

*De natura, & institutione Matrimonii.*

**R**ESOLUTIO I. *Matrimonium per se est res bona & licita, jurisque naturalis.* ] PRIOR PARS est de fide, contra non paucos veteres hæreticos, qui dicebant nuptias non esse à Deo, sed à Dæmone, earumque usum esse illicitum. *Probari autem potest*, tum quia ex *Genes. 1. & 9.* constat Deum tam ante, quam post peccatum Adæ matrimonium approbasse. Tum quia Christus *Matth. 19.* contra Judæos disputat de indissolubilitate matrimonii, eamque à Deo institutam docet verbis illis, *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Tum quia idem Christus interfuit nuptiis in Cana Galileæ celebratis, ut liquet ex *cap. 2. Joan.* Tum denique quia Paulus sæpe matrimonium laudat, et si virginitatem illi præferat, ut constat ex *2. Cor. 7. & ex cap. 13. epist. ad Hebræos:* ex quibus etiam locis Patres eandem passim veritatem confirmant.

*Accedit ratio:* nam negari non potest, quin propagatio naturæ humanæ sit res per se bona: non potest autem natura humana modo debito, & convenienti propagari sine matrimonio: si quidem ad legitimam illius propagationem requiritur, non tantum procreatio filiorum, sed etiam illorum nutritio & educatio, ad quod necessarium est, ut pater & mater, nexu quodam indissolubili, inter se sint conjuncti. Si enim tale vinculum inter illos tollatur, vel non rectè, ut par est, proles educabitur, vel si contingat, ita educari, hoc erit per accidens, & non ex vi alicujus obligationis, quæ inter virum & fœminam intercedat, qualis certè requiritur, ut in re tanti momenti, legitimæ proles educationi sufficienter provisum sit, eo modo quo ratio naturalis docet illi providendum esse.

*Posterior pars suadetur:* nam quoad præsens, illud dicitur juris naturalis, quod fit ipsa distante

natura, seu ad quod natura ipsa propendet. Atqui homines naturaliter propendent in matrimonium; ergo matrimonium secundum se est ex jure ipso naturæ. Probatum minor, quia quælibet res naturalis inclinatur ad conservationem sui, & si corruptioni obnoxia sit, ad conservationem suæ speciei, per generationem individuorum, & convenientem prolis educationem. Homo autem non potest convenienter naturæ suæ educari, nisi pater & mater perpetuo nexu inter se socientur, ut dictum est. Quare talis societas est secundum inclinationem hominis naturalem, & catenus ex jure naturæ.

Unde initio mundi tenebantur homines, ex præcepto naturæ, matrimonium inire; siquidem ex jure ipso naturæ tenebantur Deo famulari quoad propagationem generis humani. Hæc autem propagatio rectè fieri non poterat, nisi vir & fœmina matrimonio simul conjungerentur, ut dictum est. Quare talis conjunctio erat præcepta ex jure ipso naturali, seu citra omne præceptum Dei positivum.

RESOLUTIO II. *Matrimonium est verum novæ legi sacramentum.* EST de fide, definita in Concilio Trident. *sess. 7. de sacramentis in genere can. 1. sess. 24. can. 1.* Ex quibus locis constat 1. Matrimonium esse verum sacramentum. 2. Esse sacramentum novæ legis. 3. Illud à Christo esse institutum. Unde colligi potest, matrimonium ante adventum Christi, non fuisse verum sacramentum gratiam conferens.

Nonnulli contra hoc corollarium tria obijciunt. Primum illud Pauli ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, quod de conjugio Adæ & Evæ intelligi volunt. Respondent aliqui Apostolum agere dumtaxat de matrimonio Christianorum. Sed melius dicitur ibi sacramenti nomen latè sumi, pro signo conjunctionis Christi & Ecclesiæ, quod ad rationem sacramenti non sufficit, ut ex dictis satis superque intelligitur.

*Secundo obijciunt, Deum Genes. 2. benedixisse conjugio Adæ, & Evæ: Dei autem benedictio, cum efficax sit, gratiam confert. Quare matrimonio primorum parentum gratia collata fuit, & in eo aliis promissa. Unde apertè sequitur, matrimonium ab eo tempore esse sacramentum. Respondeo, si hoc argumentum quicquam probat, eo concludi non tantum conjugium primorum parentum, sed etiam aliorum animalium conjunctionem, gratiam habere adjunctam, & verum esse sacramentum. Sicut enim creatis primis parentibus Scriptura refert Deum benedixisse illis, & dixisse, Crescite, & multiplicamini. Ita productis reptilibus, & volatilibus, scribit Deum illis benedixisse, & dixisse, Crescite, & multiplicamini.*

*Tertio arguunt ex Leone magno, qui epist. 29. cap. 4. docet, nuptias sic ab initio fuisse institutas, ut haberent in se Christi, & Ecclesiæ sacramentum. Respondent aliqui, illud ab initio, non esse intelligendum de initio mundi, sed de ipso initio institutionis matrimonii factæ à Christo. Verum facilius & verius dici potest, significationem illam, quam Leo tribuit conjugio, non sufficere ad rationem sacramenti propriè dicti, quale nos in nova lege exigimus, ut ante dictum est.*

**RESOLUTIO III.** *Matrimonium iniri non potest inter Christianos, quin sit sacramentum, non est tamen sacramentum, quod ex dispensatione summi Pontificis contrahitur, inter baptizatum, & non baptizatum.*  
**PRIOR PARS** est communis Theologorum qui docent, rationem contractus civilis & sacramenti ita intimè in matrimonio novæ legis conjungi, ut impossibile sit baptizatos valide matrimonium contrahere, in ratione contractus, quin illud simul contrahant, sub ratione sacramenti. Fundamentum autem præcipuum sumitur ab autoritate Conciliorum Florent. & Trid. quæ cum definiant matrimonium fidelium verum esse sacramentum, eaque definitio



fit generalis, de omni matrimonio, inter baptizatos validè contracto, intelligi debet.

Hinc autem collige, matrimonium quod contrahitur per procuratorem, cum sit validum in ratione contractus, habere veram rationem sacramenti. Unde sequitur eos qui ita cōtrahunt, debere esse in gratia, quo tempore procurator eorum nomine contrahit. Quia aliàs indignè susciperent hoc sacramentum, quod pro vivis est institutum.

*Posterior pars ostenditur*, quia sicut in utroque conjugē non est nisi unum numero matrimonium, ita non est nisi unum numero sacramentum. Ergo si eorum alter est incapax hujus sacramenti, matrimonium in alio sacramentum esse non poterit. Porro cum baptisus sit janua aliorum omnium sacramentorum, certum est personam non baptizatam, nullum ex reliquis sacramentis valide suscipere posse.

*Dices*, hanc rationem supponere rem falsam; nimirum unum numero matrimonium esse in duobus, quod videtur impossibile, cum unum numero accidens non possit esse in duobus subiectis realiter distinctis. *Respondeo* matrimonium à nobis considerari, ut est ens aliquod morale, quomodo non repugnat esse unum in duabus personis. Sicut in omnibus Cardinalibus est unica potestas ad eligendum summum Pontificem. Oppositum autem intelligitur de accidente physico, quod repugnat esse simul idem numero in subiectis distinctis.

*Sed contra hoc*, sunt qui objiciunt illud Pauli 1. Cor. 7. Sanctificatus est enim vir infidelis, per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Ex quibus verbis colligunt, virum fidelem qui nubit infideli sanctificari per sacramentum Matrimonii, ipsumque jam sanctificatum, conjugem infidelem sanctificare.

*Verum* non loquitur Paulus hoc loco de sanctificatione per sacramentum, sicut neque de sanctificatio-

ne unius conjugis ab altero, ex opere operato. Ejusmodi enim sanctificatio imaginaria est, & omni fundamento destituta. *Sensus ergo est*, quod vir infidelis simul degens cum uxore sancta & fideli, illius exemplo, conversatione, & precibus paulatim ad justificationem disponi potest. Eo modo quo Valerianum à sancta Cecilia, & Adrianum à sancta Natalia conversos fuisse historiae testantur.

*Ubi adverte 1.* Jam dicta esse intelligenda de matrimonio, quod ex dispensatione summi Pontificis, contrahitur inter baptizatum, & non baptizatum. Nisi enim talis dispensatio habeatur, matrimonium erit nullum, etiam in ratione contractus; quia infidelitas ex consuetudine Ecclesiae, impedit jam matrimonium, quod fidelis cum infideli contrahere vellet, & contractum dirimit: licet initio nascentis Ecclesiae, oppositum esset in usu.

*Adverte 2.* Quando infideles baptizantur, matrimonium ab iis antea contractum, non fieri sacramentum. *Ratio est*, quia matrimonium spectatum, prout continet rationem sacramenti, essentialiter est contractus initus inter duos baptizatos. At in casu proposito, hoc reperiri non potest. Nam imprimis dum infideles baptizantur, nullus fit contractus de novo, neque fieri potest, cum nemo possit dare quod suum non est, & antea factus non existit. Deinde quando praecedens contractus fiebat, illi non erant baptizati; ergo in eorum matrimonio nunquam reperitur id totum, quod simul necessarium est, ut ad sacramenti dignitatem elevetur.

**RESOLUTIO IV.** *Consensus mutuus contrahentium verbis, aliisve signis externis expressus, habet rationem materiae, & formae in hoc sacramento. Ipsi vero contrahentes sunt ministri illius.* ] **PRIOR PARS** ita debet intelligi, ut consensus mutuus habeat rationem materiae, quatenus mutuam traditionem corporum complectitur: rationem vero formae, quatenus mutuam

accepta

acceptationem continet. Cum enim traditio sit quid incompletum, & indeterminatum, donec perficiatur per acceptationem, merito illa materia, hac formæ rationem obtinet.

*Confirmatur:* nihil enim est in matrimonio, cui cōmodius ratio materiæ, & formæ competere possit. Quod enim verba Sacerdotis, de quibus potest esse aliqua difficultas, non habeant rationem formæ, ex eo patet, quia ex communi sententia valere potest matrimonium, etsi Sacerdos non loquatur; cum tamen sacramentum stare non possit, absque forma sua essentiali.

*Accedit* quod forma proferri debet super materiam præsentem, & sufficienter applicatam: hoc autem interdum fieri non potest, quando nimirum matrimonium contrahitur per procuratorem inter absentes: tunc enim Parochus non est præsens, nisi uni eorum qui nubere volunt, & consequenter non potest proferre verba, supra materiam ab absente exhibitam. Quare dici non potest, quod forma essentialis hujus sacramenti in verbis Sacerdotis consistat.

*Posterior pars suadetur*, tum quia sacramentum Matrimonii essentialiter est contractus: at in contractu nullus alius assignatur minister, præter ipsos cōtrahentes, qui soli se mutuo obligant, & contractum efficiunt. Tum quia in Concilio Florent. *in instruct.* Armenorum sic habetur. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de præfenti expressus. Si autem Sacerdos esset minister hujus sacramenti, ipse esset causa efficiens matrimonii. Et in eadem instructione, etsi pro aliis sacramentis assignetur minister, non tamen pro matrimonio. Tum denique quia licet post Concilium Trident. præsentia Parochi sit necessaria, ad validitatem matrimonii: antea tamen valebat matrimonium, etsi Sacerdos non adesset, imò & nunc etiam valet in locis ubi Concilium illud non est receptum. At sacramentum

mentum non valet, sine ministro ad illud essentialiter requisito; ergo Sacerdos non est minister matrimonii.

*Neque refert 1.* quòd in dicta instructione statuatur, sacramenta tribus constare, rebus, verbis, & ministro. Sicut enim matrimonium ab ea regula excipitur, quantum ad verba, quorum loco alia signa substitui possunt, ita & quoad ministrum, à suscipientibus distinctum, excludi debet. Quanquam neque hoc sacramentum sine ministro peragitur, cum ipsi contrahentes sint ministri, ut dictum est.

*Neque refert 2.* quòd ex præscripto Concilii Trident. Parochus viro & muliere interrogatis, eorumque consensu audito, dicere debeat verba illa, Ego vos in matrimonium conjungo: ejusmodi enim verborum sensus non est, Ego efficio conjunctionem inter vos; sed, ego declaro, vel approbo conjunctionem vestram. Etenim cum soli conjuges contrahant, ii soli ad conjunctionem mutuam, ut illius causæ concurrunt. Unde singuli dicere possunt, Ego me tibi conjungo.

*Accedit* quòd si Sacerdos esset verus minister matrimonii, & verba illius essent de essentia confirmationis sacramenti, Concilium determinatè pro omnibus locis assignaret certa verba, ut patet in aliis omnibus sacramentis. Hoc autem non præstat, sed tantum jubet, ut Parochus proferat verba superius allata, aut alia, secundum consuetudinem Provinciæ. Quid, quòd etsi Parochus aliqua verba proferre debeat id tamen, ut infra dicemus, ad valorem matrimonii non requiritur.

RESOLUTIO V. *Consensus matrimonii ad eò debet esse liber, ut metus cadens in virum constantem matrimonium irritet.* ] RATIO EST, quia licet metus non cogat voluntatem, & quòd metu compulsi volumus, liberè velimus; quia tamen matrimonium est res maximi momenti, & in eo multa sunt onera ferèda, merito Ecclesia ad valorem illius exigit majorè, & pleniorè

niorem libertatem, quàm sit in consensu, qui extorquetur per metum, cadentem in constantem virum. Eò vel maximè quia ex matrimonio metu contracto, innumera mala oriri possunt.

Porro ad intelligentiam hujus resolutionis, nonnulla observanda sunt. Primò nos loqui de metu ab extrinseco, seu à causa libera incusso. Unde si quis metu inferni contraheret cum sua concubina, matrimonium esset validum. Quia nimirum metus tunc provenit ab intrinseco per modum naturæ, non autem ab agente libero matrimonium extorque.

Secundò adverte, prædicta esse vera, quando metus ab extrinseco incutitur, animo cogendi ad matrimonium: Si enim alia de causa metus incutiatur, contractus erit firmus. Hinc si quis capite plectendus, ob crimen aliquod à se patratum, ut pœnam illam evaderet, cum aliqua contraheret, matrimonium illius esset firmum & ratum: quia talis tunc non inducitur ab alio ad matrimonium, sed ipsemet sponte eligit medium illud, ut malum præsens evitet.

Tertiò ad irritandum matrimonium, requiritur ut metus, injustè incutiatur. Nam si metus justè sit incussus matrimonium non irritatur. Unde si quis minatur mortem per se, & privata auctoritate inferendam, dormienti cum filia, nisi eam accipiat in uxorem, conjugium inde secutum est nullum. Secus verò si tantum minaretur accusaturum coram iudice.

Quartò requiritur metus gravis, qualis dicitur ille qui communiter homines constantes graviter terret, eosque ad res magni momenti aggrediendas invitos compellit. Qualis est metus mortis, gravis infamiæ, aut notabilis amissionis bonorum temporalium, &c. de quibus prudenter judicandum est, spectatis omnibus circumstantiis, quæ res ut plurimum variare solent. Non sufficit autem  
levis

levis suspicio imminentis mali, sed moralis certitudo requiritur, ac præterea opus est ut alia via quam per matrimonium, malum illud vitari non possit. Sufficit autem sive nobis, sive parentibus, sive aliis, arctissimo amicitiae vinculo nobis conjunctis, immineat, quia parentum, & amicorum mala nostra reputamus.

**RESOLUTIO VI.** *Contractus initus sub conditione de futuro, valere incipit adveniente conditione, non ante.* ] **RATIO EST,** quia contrahentes verè intendunt contrahere, si talis conditio extiterit; unde, ea posita, eorum consensus est absolutus. Contra verò, si ea non adveniat, non intendunt contrahere: ergo in primo casu valet matrimonium; in secundo minime.

*Nota 1.* Conditionem honestam, quæ non est contraria substantiæ matrimonii, illud non irritare, ut si quis dicat, contrahe tecum, si modo te obliges, ad castitatem perpetuò servandam. *Ratio est,* quia dominium alicujus rei ab illius usu distinguitur. Quare cum per allatam conditionem non tollatur dominium, quod contrahentes sibi mutuò tradunt, in propria corpora, sed tantum usus illius domini impediatur; hinc fit, ut sub ea conditione valeat matrimonium, quod essentialiter consistit in mutuo corporum dominio.

*Nota 2.* Quando consensus matrimonii suspenditur, per conditionem de futuro, adveniente tali conditione, matrimonium fieri validum, sine novo ullo consensu; dummodo prior consensus in utraque parte habitualiter perseveret, & non sit retractatus, ut patet in aliis contractibus. Unde colligere potes, eum qui cum duabus contraxit de presenti, apposita conditione de futuro, esse maritum illius, cujus conditio primò advenit; etsi fortè cum illa posteriori loco contraxerit. Secus autem dicendum est, si utraque conditio simul impleatur, tunc quum neuter contractus tenet, quia perinde est, ac si

idem simul cum duabus contraxisset, in quo casu nullum est matrimonium.

*An autem in consensu conditionato, necesse sit ad valorem matrimonii, ut constet Parocho conditionem esse adimpletam, dubium esse solet inter authores, quorum alii affirmativam, alii negativam partem tumentur. Ego verò existimo, in iis locis in quibus Concilium Tridentinum est receptum, debere Parochum impletioni conditionis interesse, aliàs matrimonium non tenere, quod similiter de testibus affirmandum est. Et ratio est, quia alioqui contrahentes possent negare conditionem fuisse impletam, ac proinde resiliire in foro externo; unde sequerentur gravissima incommoda, ad quæ vitanda instituit Concilium, ut contractus ineatur coram Parocho, & testibus; quòd non solum intelligi debet, de contractu inchoato, sed etiam de perfecto & absoluto, qualis non est, ante conditionis adventum, si sit conditionalis.*

*Quæritur etiam, an matrimonium contractum sub conditione de futuro, valeat statim atque apponitur conditio, sive id innotescat contrahentibus, sive nò. Respondeo non valere, donec ipsis constet conditionem extare. Quia ut valeat matrimonium, debent contrahentes sibi, mutuo aliquo signo externo, significare determinatè consensum suum: at quando nondum sciunt conditionem appositam extare, signum quod adhibuerunt, non magis significat consensum, quàm dissensum illorum, ut patet, si hoc modo contraxerint, contraho tecum, si pater tuus hoc, vel illud fecerit, aut dixerit. Et si enim à parte rei conditio illa sit impleta, tamen quamdiu contrahentes id ignorant, verba prædicta non magis ipsis significant assensum, quàm dissensum: & ii quorum in præsentia fuerunt prolata, non magis intelligunt eos consentire, quàm dissentire. Quare quamdiu ignorantia illa durat, verba prædicta, aut similia, non sunt satis efficacia, ad matrimonium constituendum.*

RESO.

DE ORDINE ET MATR. CAP. IV. 349

RESOLUTIO VII. *Ut consensus matrimonii sit validus, debet coram Parocho, & testibus declarari, in iis locis in quibus receptum est Concilium Trident.* ] Quod ut clarius percipi possit: *Advertendum est primò, ad valorem matrimonii requiri proprium Parochum:* quo nomine intelligimus Parochum, in cujus Parochia contrahentes majori anni parte, domicilium habent constitutum. Quod si contrahentes in diversis Parochiis habitant, non opus est ad valorem matrimonii, ut utriusque Parochus matrimonio intersit: sed alterutrius presentia sufficit, sive ille assistat in propria Parochia, sive in Parochia contrahentis sibi non subditi, sive in Parochia omnino aliena. Sicut enim Parochus extra propriam Parochiam, potest sibi subditos validè absolvere à peccatis, ita eorum matrimonio validè interesse potest.

*Secundò adverte, non opus esse ut Parochus assistens matrimonio sit Sacerdos, quia hæc presentia non est actus ordinis. Potest autem Parochus non Sacerdos, validè exercere omnes actus, qui à potestate ordinis non pendent.*

*Tertiò nota, ex commissione, vel licentia Parochi, posse alium validè assistere matrimonio. Qui autem ita assistit, debet esse Sacerdos, ut colligitur ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrimonii: nõ tamen requiritur, ut ejusmodi Sacerdos ab Episcopo sit approbatus. Sicut autem potest Parochus matrimonio subditorum validè assistere, extra propriam Parochiam: ita & Sacerdos, cui facultas ab eo demãdata est, assistendi matrimoniis, quæ ab illius parochianis celebrabuntur.*

*Quartò adverte Parochum, vel alium ab eo deputatum, debere esse præsentem contractui matrimonii, non solum corporaliter, sed etiam moraliter, seu cum advertentia & usu rationis: quia alias non posset testari, matrimonium initum fuisse. Quæ etiam ratio est, cur debeat actu attendere, ad ea quæ*



peraguntur: si enim quamdiu fit contractus mente vagetur, quomodo testari poterit matrimonium rite peractum esse? Hoc certè perinde erit ac si dormiret, vel omnino abesset.

Porro quia ideo solùm requiritur Parochus, ad valorem matrimonii, ut de eo in foro externo, quoties opus fuerit testari possit: hinc fit ut matrimonium sit ratum, etsi Parochus videretur, & à fortiori, si dolo adducatur ad locum, ubi matrimonium celebratur, vel casu ibi reperiat, dummodo advertat quæ aguntur: quamvis graviter peccent, qui ita contrahunt.

*Quintò observandum est*, ad valorem matrimonii, præter Parochum, requiri tres, vel ut minimum duos testes, ut patet ex Concilio Trid. *lòco citato*: illi autem debent interesse humano & morali modo, ut de Parocho diximus. Unde infantes, stulti, ebrii, & similes invalidè assistunt. Debent etiam simul interesse cum Parocho, neque sufficeret assistentia successiva. Non tamen requiritur, ut sint testes omni exceptione majores, id est tales, ut nullum habeant vitium ex iis, ob quæ jure à testimonio ferendo repelluntur, & iis in foro externo fides minimè adhibetur. Unde excommunicati, infames, parentes, mulieres, servi, pueri ratione utentes matrimonio validè assistunt.

*Sextò ad matrimonium præmitti debent*, ex præcepto, denunciations, ut patet ex Concilio Trident. *sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* ita ut tam Parochus, quam contrahentes, eas sine dispensatione ordinarii, aut legitima causa omittentes, peccent mortaliter. Per denunciations autem intelliguntur monitiones quædam, quæ præmittuntur matrimonio, ut si quis novit impedimentum aliquod inter contrahentes, illud revelet. Et illæ monitiones fieri debent tribus diebus festis, qui se immediatè non consequantur, idque in Parochia utriusque contrahentis.

*Septimò*

*Septimò nota*, eum qui novit aliquod impedimentum inter contrahentes, teneri illud revelare Pastori: quod verum est, etiam si impedimentum sit occultum, & qui illud novit secreto, extra confessionem, illud audierit, & juramento addito promiserit se non revelaturum. Excipiendus est tamen casus, in quo revelanti grave aliquod damnum immineret, aut ea revelatio magnum scandalum paritura esset: vel si ille à quo impedimentum audivit, non esset fide dignus.

Statim autem ac Pastor audivit subesse impedimentum, moneat secreto contrahere volentes, ut à matrimonio desistant. Si renuunt, non interfuit eorum matrimonio, sed ad Ordinarium deferat eorum impedimentum. Ordinarius verò, si impedimentum legitime probetur, matrimonium impediatur. Quòd si impedimentum nihil est aliud, quàm peccatum mortale occultum, non potest Pærochus eos publice petentes repellere, ut facile est intelligere ex iis quæ diximus, de indignè accedentibus ad Eucharistiam.

**RESOLUTIO VIII.** *Matrimonium validè contrahi potest, in vitis parentibus.* Ita communiter Theologi post Trid. sess. 24. cap. 1. de reformat. matrimonii. Ratio est, quia omnia quæ spectant ad essentiam matrimonii adhiberi possunt, etsi parentes non consentiant, nempe materia, forma, & ministri, qui sunt ipsi contrahentes, ac præterea Pærochus, cum aliis duobus testibus: quare nulla est ratio, cur contractus matrimonii tunc non valeat. Quod si quidam canones exigunt parentum consensum, intelligendi sunt de exigentia ex honestate & decentia, non ex necessitate sacramenti. Si quæ vero leges tale matrimonium irritant, ea jure canonico sunt abrogata, ex communi sententia.

Ubi pauca advertenda sunt. Primo interdum esse peccatum mortale, non obedire parentibus, certum matrimonium præcipientibus, quando verbi causa,  
tale

tale matrimonium valde conducere, ad componendas graves inimicitias, ortas inter parentes eorum, qui nubere debent, & propter similes causas. Quod intellige, dummodo filius, cui imponitur tale præceptum, statum matrimonialem amplecti velit: si enim vult religionem ingredi, non tenetur parentibus obedire, nisi in casu, quo ipsi essent in magna necessitate constituti, & nullum esset medium aptum, ad sublevandam eorum indigentiam, præter matrimonium ab illis imperatum.

*Secundo nota*, aliquando excusari à peccato mortali filium, qui nuptias à parentibus oblatas, & præceptas rejicit, ut si parentes velint, eum contrahere cum foemina infami, vel impudica, aut leprosa, &c. Idemque dicendum est de eo, qui ex justa causa parentibus invitis, cum aliqua contrahit; ut quia verbi causa à parentibus nimis asperè tractatur, aut quia vigesimum quintum annum excessit, & parentes de quarendo ei uxore, nullo modo sunt solliciti.

*Tertio nota*, non posse parentes licitè saltem gravi metu injecto, compellere filios ad statum matrimonii amplectendum, aut ad contrahendum cum hac vel illa. Quia cum in eo statu quædam sit servitus perpetua, homo qui natura liber est, ad illum sponte obligari debet. Similiter peccant parentes, qui sine justa causa impediunt, quominus eorum liberi matrimonium ineant. Non tamen incurrunt Excommunicationem latam in Concilio Trid. *sess. 24. cap. 9. de reformat. matrimonii*: quia illa tantum fertur contra dominos temporales, & Magistratus, aliosque jurisdictionem in foro externo habentes, qui subditos, vel alios cogunt, ne liberè matrimonium contrahant.

**RESOLUTIO IX.** *Quando alter contrahentium sit è consensu, satis est ad valorem matrimonii, si ille solus postea verè, & ex animo consensum præbeat.* ] **RATIO EST**, quia ad valorem matrimonii requiritur, & sufficit

sufficit utriusque consensus : in casu verò prædicto consensus unius de novo ponitur: alterius vero consensus adhuc perseverat, ut supponimus. Ergo uterque consensus sufficienter concurrat, ad constituendum verum matrimonium.

*Deinde* si ille qui jam actu consentit, nullo pacto antea consensisset, validè contraheret cum alio cujus consensus moraliter perseverat. Quid ni ergo idem præstabit, etsi invalidè consenserit: Moneo tamen securius esse, si uterque consentiat, & ita consulendū, nisi periculum esset, ne qui consentit sciens alterum non consensisse, atque adeo matrimonium esse nullum, vellet resilire; aut inde sumpturus esset occasionem odio habendi vel spernendi eum qui non consentit. Hæc enim & similia accuratè, & cum magna prudentia expendi debent.

Hic autem *observandum* est, resolutionem intelligi in casu, quo matrimonium invalidè fuit celebratum, ex defectu consensus unius partis dumtaxat; si enim neuter contrahentium consentit, uterque debet novum consensum elicere, eumque signo aliquo externo exprimere.

Porro nonnulli authores ponunt discrimen inter priorem, & posteriorem, casum; quod in priori sufficiat, si ille qui prius fictè consenserat, interiùs consensum edat, nullo adhibito signo externo. In posteriori verò, requiratur novus utriusque consensus, signo externo manifestatus.

Verùm non capio ejusmodi discrimen : nam non minus in uno, quam in alio casu requiritur, ut signum externum à consensu interno procedat : signum autem priùs adhibitum ab eo qui fictè consentit, non poterat procedere à consensu futuro, & consequenter illud non poterat esse signum ejusmodi consensus. Quare de novo aliud signum, quo novus consensus exprimatur, adhibendum est. Unde si matrimonium fit per procuratorem non satis est quod ille qui fictè procuratorem constituit, interiùs fictionem

nem

nem revocet; sed præterea opus est, ut talis revocatio fiat signo aliquo externo, quod procuratori innotescat.

RESOLUTIO X. *Quando matrimonium fuit invalidum, ob aliquod impedimentum dirimens, requiritur novus utriusque consensus.* Explico, Titius contraxit cum Berta, existimans maritum illius mortuum esse. Elapsis aliquot mensibus vel annis, eorum alter certo scit, Bertam maritum fuisse superstitem, tempore quo initus fuit contractus, postea vero è vivis excessisse. In eo casu, cum prior ille contractus, ex parte utriusque conjugis invalidus fuerit, ob impedimentum dirimens, non tantum ab eo qui impedimentum novit, verum etiam ab alio conjugis, qui illius impedimenti non fuit conscius, consensus iterum est renovandus, ac signo aliquo externo exprimendus.

Quo loco observandum est primo, quando alter dumtaxat conjugum est conscius impedimenti, alium debere certiore fieri de nullitate prioris matrimonii, ut ambo de novo consentiant. Causa tamen nullitatis occultanda est, nisi conjuges ita se mutuo diligant, ut nullum sit periculum, si ea detegatur. Quod si probabiliter dubitatur, virum magnas turbas excitaturum, si sciat matrimonium antea contractum ob impedimentum aliquod dirimens, invalidum fuisse, satis est si mulier, cautè, & dissimulanter curet eum de novo consentire, & ipsa vicissim consentiat, ut si ita dicat. Me ne ita diligis, ut si nullum inter nos esset matrimonium, de novo tecum contraheres, & ex hoc vis meus esse maritus? Eo autem assentiente, mulier eodem modo consentiat.

Non sufficeret autem, si vir solum diceret vellem te ducere in uxorem, si nullum inter nos esset matrimonium, sed requiritur ut actu intendat contrahere, & dicat, volo tecum contrahere, si fortè matrimonium fuit invalidum, aut quid simile. Quia in priori casu

casu non ponitur voluntas contrahendi, sed esset ponenda sub conditione, quomodo nihil operari potest. In hoc tamen consensu exigendo, magna opus est uxoris prudentia, & Confessarius hae in re eam instruere debet.

*Rursus observandum est*, eos qui falsò existimant, impedimentum aliquod subesse, & eo stante, matrimonium validè contrahi posse, validè contrahere, si matrimonium simul incant. *Ratio est*, quia cum à parte rei nullum inter eos sit impedimentum, ut falsò arbitrantur, & aliunde verè intendat contrahere, nulla ratio est cur eorum consensus non sit ratus, Imò propter eandem rationem, etsi credant matrimonium validè contrahi non posse, cum eo impedimento quo se ligatos esse falsò opinantur, matrimonium inter illos ritè perficitur, si mutuos consensus edant quantum possunt.

*Præterea adverte*, consensum de novo elicitum ab illis qui invalidè contraxerunt, quique falsò existimant contractum ab illis celebratum ratum esse, nō sufficere ut inter illos verum matrimonium existat. *Cujus ratio est*, quia ille qui ita consentit, non vult de novo contrahere, sed priorem tantummodo contractum, quem ratum arbitratur, posteriori illo consensu approbare, & ratificare, quod fieri non potest; quia cum prior contractus sit nullus, ratificari non potest.

*Observandum denique*, quando matrimonium invalidè coram Parocho, & testibus propter impedimentum aliquod occultum, celebratum fuit, non opus esse, ut contrahentes iterum coram illis consentiant sed satis esse, si privatim mutuos consensus edant, & exterius exprimant. *Ratio est*, quia finis legis latae à Concilio Trident. de adhibendo Parocho & testibus, ad valorem matrimonii, non se extendit ad casum, de quo agimus. Quia cum matrimonium coram Parocho, & testibus celebratum fuerit, si quis contrahentiū refilire vellet, ab Ecclesia impediretur,  
cum

cum nullitas matrimonij sufficienter probari non possit, ut supponimus.

Contrà verò si impedimentum ratione cuius matrimonium invalidè contractum fuit, sit adeò notum, ut sufficienter quoad forum externum probari possit, debent contrahentes iterum coram Parocho & testibus, consensus mutuos exprimere. Quia cum ex una parte prior contractus irritari possit, propter probationes quibus innititur, ex alia vero posterior, si sine Parocho & testibus celebretur, in foro externo probari nequeat; posset ita contrahens, relicta uxore, cum qua secreto contraxit, alteri nubere; & ita sequerentur incommoda illa, quæ Concilium summo opere vitare intendit.

RESOLUTIO XI. *Mortuo uno conjuge, potest alter iterum nubere: non licet tamen nunc eidem viro, plures simul uxores habere, et si alias licuerit.* Priorem partem tradunt omnes Catholici, contra Montanistas, & Novatianos, qui secundas nuptias, ut illegitimas dånabant, quorum errorem amplexus est Tertull. ut liquet ex lib. de Monogamia quem ideò Hieron. cap. 1. ad Titum, hæreticum esse docet.

Hoc autem probatur apertissimis Scripturæ testimoniis. Ad Rom. 7. inquit Paulus, Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem dormierit vir ejus, soluta est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Et 1. ad Cor 7. Si dormierit vir ejus, liberata est à lege, cui vult nubat, tamen in Domino.

Ubi notandum est, Apostolum non dicere, si dormierit vir ejus primus, aut secundus, sed absolutè vir ejus, ut ostendat mulierem, mortuo primo viro, cum secundo posse contrahere; mortuo secundo, cum tertio, & sic deinceps. Quæ ratio est, cur Hier. in ep. 50. dicat, se concedere secundas nuptias, nec damnare trigamos; imò nec si dici possit, octogamos. Et Epist. 11. refert se Romæ vidisse virum, qui sepelierat viginti uxores, & qui tandem cōtraxit cum muliere,

quæ

quæ sepelierat viginti duos viros, neque tot nuptias damnat.

Quamquam negandum non est, esse aliquod incontinentiæ signum, multoties nubere. Unde Patres interdum paulo asperè agunt in eos, qui sapius nubunt; non autem quod secundas, aut tertias nuptias, ut malas & illicitas damnent, ut hæretici ipsis imponunt.

*Dices*, secundas nuptias ab Ecclesia non benedici, quod signum est ab illa non approbari. Egregia ratio, quasi vero Ecclesia pateretur, nuptias secundo contrahi, nisi ejusmodi nuptias approbaret. Non igitur ideo benedictionem denegat secundis nuptiis, quod eas damnet, aut non approbet; sed quia ille qui secundo contrahit, benedictionem in prioribus nuptiis accepit, & congruum non videtur, ut eadem res bis solènter benedicatur, ut patet in templo, altari, calice aliisque rebus sacris, quæ non nisi semel benedici solent.

Nihilominus in variis locis consuetudine receptum est, ut nuptiæ secundæ benedicantur, si mulier alias non nup sit, & vir tantum sit viduus. Imò Joan. XXII. statuit ut secundæ nuptiæ benedicerentur, quando unus contrahentium siue vir, siue mulier nunquam alias contraxit, ne alter propter alterum benedictionis gratia privetur.

*Posterior pars* est de fide, ut constat ex Concil. Trid. *sess. 24. can. 2.* his verbis. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum anathema sit. *Probat*ur autem *ex c. 19. Matth.* ubi Christus reducit matrimonium, ad primam illius conditionem, quam habebat, quando primi parentes matrimonium inierunt, & revocat facultatem Judæis concessam, dimittendi uxores, & pluribus nubendi. Unde Paulus *1. Cor. 7.* monet, ut unusquisque suam uxorem habeat, vitanda fornicationis causa, suam inquit, id est unam, non autem duas, aut tres, vel plures.

*Objicã*



*Objici solet aduersus posteriorē hanc partem, exemplum Valentiniani Imperatoris pii & Catholici viri, qui legem promulgavit, ut liceret unicuique plures uxores sumere, teste Socrate lib. 4. cap. 27. Respondet aliqui meritò Imperatorem illum reprehendi, quòd ausus fuerit legem à Christo latam abrogare, & contrariam statuere; quo facilius libidinem suam exple-  
re posset, ducendo aliam uxorem, primā ex qua Gratianum genuerat, superstite.*

*Alii dicunt, eam esse meram Socratis, hominis Ariani, calumniam: si enim Valentinianus tale edictū promulgasset, viri sanctissimi Damasus, Hieron. Ambrosius & Augustinus, qui circa illius tempora vivebant, totis viribus illi restitissent, & nefandam illius impudicitiam scriptis damnassent, quòd tamen minimè fecerunt. Quin eximia illius Imperatoris castitas, à variis authoribus celebratur.*

**RESOLUTIO XII.** *Matrimonium ratum & nondum consummatum dissolvi potest quoad vinculum, tum per professionem Religionis, tum per dispensationem summi Pontificis, non autem consummatum.* ] **PRIMA PARS** est definita in Concilio Trident. *sess. 24. can. 6.* in hunc modum. Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit.

*Ubi nota, dari à jure duos menses à tempore contractus, ut interim conjuges deliberent, an religionē ingredi velint, nec ne, & si intra illud tempus, unus eorum religionem ingreditur, tandem anno noviciatus expleto, in iis saltem locis ubi Concil. Trid. est receptum, & professione solemniter ab eo conjugē emissa, poterit alter qui in saeculo remansit, alias nuptias contrahere.*

*Adverte etiam, quòd etsi probabile sit, per illud bimestre posse conjuges sibi debitum denegare, etsi non cogitent de religione, contrarium tamē videtur probabilius. Quia cum statim à tempore contractus,*  
alter

alter habeat potestatem in corpus alterius, potest quilibet debitum exigere quando voluerit, & alter tenetur reddere, nisi in casibus à jure exceptis, qualis est ille duntaxat, in quo alter conjux cogitat de religione: tunc enim dantur duo integri menses, ut deliberet, an debeat ingredi, nec ne, & interim debitum denegare petenti. Quòd si de ea re non cogitat, tenetur reddere.

*Secunda pars manifesta constat experientia.* Nam sæpe videmus summum Pontificem in matrimonio rato dispensare, & illud dissolvere; ac multi authores fide digni, testantur suo tempore varios Pontifices in ea re dispensasse. Legatur Navarr. in *summa cap. 22. n. 21.* ubi affirmat, varios conjuges suo consilio petiisse dispensationem matrimonii rati, eamque obtinuisse à Paulo III. & Pio IV. Legatur etiam Henriquez *lib. 11. cap. 8.* ubi testatur Gregor. XIII. eadem die undecim matrimonia rata dissolvisse. Idem scribunt plures alii authores, de quorum fide dubitare non libet. Quis autem credat in re adeò gravi. Ecclesiam quæ à Spiritu sancto regitur, & illuminatur, errare?

*Tertia pars est de fide, definita in Concilio Trident. sess. 24. can. 3.* probaturque manifestè ex Scripturis: *Marc. 10.* Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliã duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur. Similiter *Luca 16.* Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur. Et *Rom. 7.* Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Quæ & similia non nisi de matrimonio consummato intelligenda sunt.

*Notandũ autem, hoc intelligi de matrimonio inito inter*

inter

inter baptizatos: nam matrimonia infidelium consummata, etsi dissolvi nequeant, quamdiu uterque conjunx permanet in infidelitate, aut quando uterque ad fidem convertitur; si tamen unus eorum ad fidem Catholicam convertatur, & baptismum suscipiat, & alter in infidelitate perseverans, cum eo habitare renuat, aut nolit habitare sine contumelia Creatoris, vel pertractatione ad peccatum mortale, potest fidelis cum alio nuptias contrahere, ut patet *ex cap. quanto, & ex cap. Gaudemus, de divortis*. Cum enim in eo casu fidelis teneatur vitare consortium infidelis, & Christus aliunde nolit obligare recens conversos ad fidem, ad perpetuam castitatem: quam non omnes capiunt, *Matth. 19.* hoc enim grave onus esset, & suavitati legis Evangelicæ parum consentaneum; congruum fuit, ut in favorem fidei, quæ conjugio præstat, possit fidelis matrimonium dissolvere cum priori conjuge, & alteri de novo contrahere.

## CAPUT V.

*De impedimentis Matrimonii.*

**R**ESOLUTIO I. *Quædam sunt impedimenta Matrimonii, quæ dicuntur impediunt tantum; quia scilicet impediunt, ne Matrimonium licite contrahatur, contractum tamen non irritant.* ] Ea his versibus comprehenduntur;

*Ecclesie vetitum, nec non tempus feriatum:*

*Atque Catechismus, sponsalia, juncto votum,*

*Incestus, raptus sponsata, mors mulieris,*

*Susceptus propria sobolis, mors presbyteralis:*

*Vel si peniteat solemniter, aut monialern*

*Accipiat, prohibent, hæc conjugium sociandum.*

Quid autem per singulas particulas intelligatur, paucis accipe. In primis per *Ecclesie vetitum*, intelligitur interdictum Episcopi, vel alterius potestatem habentis, quo prohibetur ex rationabili & legitima causa,

causa, ne intra aliquod tempus, matrimonium inter hos, aut illos ineatur.

*Secundò, per tempus feriatum*, intelligitur tempus Adventus usque ad Epiphaniam, & tempus Quadragesimæ, currens à feria quarta Cinerum, usque ad octavam Paschæ inclusivè. Incipit autem Adventus à media nocte, quæ præcedit primam diem Dominicam illius, & Quadragesima, à media nocte, quæ præcedit diem Cinerum.

*Tertio, per Catechismum* intelligitur cognatio olim contracta ab eo, qui tenebat puerum in Catechismo, id est, qui tenens puerum respondebat pro illo, ad interrogata Sacerdotis baptizantis. Verùm talis cognatio, ex probabiliore sententiâ, ablata est per Concilium Trident. *sess. 24. de matrim. cap. 2.* ubi expressè statuitur, cognationem spirituales non contrahi, nisi inter personas ibi enumeratas, in quarum numero non ponuntur ii, qui tenent in Catechismo, nisi iidem sint patrini.

*Quarto, per sponsalia* intelligimus promissionem futurarum nuptiarum alicui factam, ut constat ex supradictis. Qui enim cum aliqua sponsalia contraxit, non potest sine peccato mortali, cum alia matrimonium inire, nisi ex justa causa, promissionem priori factam dissolvat: nihilominus si matrimonium cum posteriori contrahat; sponsalibus legitime non solutis, illud validum erit; quia hoc impedimentum non dirimit contractum, sed tantum contrahendum impedit, sicut & alia de quibus nunc agimus.

*Quinto, per votum* intelligimus simplex castitatis votum: illud enim matrimonium contrahendum impedit, sed contractum non dissolvit. Et idem dicendum est de voto ingrediendi Religionem, aut suscipiendi ordines sacros; aut nunquam nubendi, quibus merito ab omnibus annumeratur, juramentum de his rebus.

*Sextò, per incestum* intelligimus copulam carnalem,

scilicet

scienter habitam à viro, cum consanguineis suæ uxoris, usque ad secundum gradum; vel ab uxore, cum consanguineis viri. Non incurritur tamen hoc impedimentum per incestum cum propriis consanguineis, neque etiam cum cognata legali, aut spiritali. Porro qui hoc impedimentum contrahunt, non possunt licitè mortuo conjugè, cum alio matrimonium inire. Si tamen secus faciant, matrimonium tenet.

*Septimò, per raptum sponsatæ* intelligimus, raptum sponsæ alienæ: ejusmodi enim raptus, copula subsecuta, impedit quominus raptor cum rapta, post mortem viri, aut cum alia quacunque matrimonium legitime inire possit, nisi præhabeat dispensationem. Et similiter, sponsa raptui assensum præbens, non potest sive raptori, aut alteri nubere. Cæterùm hæc pœna non extenditur ad fœminam, alieni sponsi raptricem, quia jura tantum loquuntur de raptu sponsæ alienæ, neque considerant extraordinarios casus, qualis est, quod fœmina virum rapiat.

*Octavò, per mortem mulieris,* intelligimus interfectionem propriæ uxoris, non quidem animo cum alia contrahendi factam: per illam enim dirimitur matrimonium contractum, ut infra dicetur; sed ex ira, vel odio, aut vindicta ob patratum adulterium. Quamvis enim juxta leges civiles, qui uxorem in adulterio deprehensam, propria authoritate interficit, nulla pœna plectatur; quia tamen peccat mortaliter, à jure canonico, imponitur illi pœna, ut ad alias nuptias transire non possit.

*Nonò, per susceptum propria sobole,* intelligitur levatio proprii filii de sacro fonte, facta animo insidiandi matrimonio, id est, privandi alterum conjugem debito conjugali, ratione affinitatis spiritalis ex ea susceptione inter eos orta. Qui enim eo animo filium suscipit, justè meretur, ut si uxori supervixerit, ad alias nuptias transire non possit.

*Decimò, per mortem presbyteralem,* intelligitur occi-

sio

fito presbyteri, privata auctoritate, & injustè facta: qui enim ita interficit presbyterum, ad quem spectat matrimonio interesse, meritò illi interdicitur matrimonium: dummodo convictus sit criminis in iudicio, quia jura convictionem exigunt, quæ non habet locum nisi in foro contentioso; cum in foro pœnitentiæ accusator, & testes externi defint, & solus pœnitens sustineat personam rei, accusatoris, & testis.

Undecimò, pœnitentia solemnis impediēbat olim matrimonium, quamdiu durabat; nunc vero, quia non amplius est in usu, illud impedimentum cessavit.

Duodecimò, qui matrimonium init cum moniali professâ, quam talem esse non ignorat, non solum invalidè cum illa contrahit, sed etiam illicitè cum quacunque alia, quamquam non invalidè.

Notandum, hoc loco, prædicta impedimenta, exceptis interdicto, sponsalibus, & voto, communiter non observari, ut recentiores aliqui advertunt. Quare iis innodati non peccant, etsi matrimonium ineant, sine dispensatione.

RESOLUTIO II. *Alia sunt impedimenta matrimonii, quæ dirimentia appellantur, eo quod non tantum impediunt, ne matrimonium licitè contrahatur; sed etiam irritant contractum; ita ut contrahentes separari debeant, nisi iterum validè contrahant.* ] Ea verò sequentibus versibus, comprehenduntur.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.*

*Si sis affinis, si fortè coire nequibus:*

*Si Parochi, & duplici desit præsentia testis,*

*Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta,*

*Hæc faciēda verant connubia, facta retractant.*

Primum impedimentum est error, quo nomine intelligitur error personæ, qui tunc contingit in matrimonio, quando una persona supponitur pro alia, verbî causa, Lia pro Rachèle. Tunc autem matrimonium non valet, quia vir non intendit ducere Liã præsentē, sed Rachelē absentē, quæ promissa fuerat. Secus

dicendum, quando error cadit in solam qualitatem personæ, ut si contrahas cum Rachele paupere, quã divitem existimabas: tunc enim validum est matrimonium, nisi consenseris tantum sub illa conditione, si dives es: quia deficiente conditione, deficit consensus sub ea elicitus.

*Secundum* impedimentum est *conditio servilis*, cujus ignorantia irritat matrimonium, quando liber contrahit cum serva, quam putabat liberam: aut vice versa, libera cum servo, quem liberum esse existimabat. Excipe, nisi servus per contractum fiat liber ex concessione domini, aut etiam nisi servitus brevi finienda sit, quia parum pro nihilo reputatur.

*Tertium* impedimentum est *votum solemne castitatis*, in religione approbata emissum: per illud enim irritari matrimonium postea contractum, statutum est in Concilio Trident. *sess. 24. can. 9.* & satis constat ex praxi Ecclesiæ, & cõmuni piorum omnium sensu.

*Quartum* impedimentum est *cognatio*, quæ triplex est, carnalis, spiritualis, & legalis. Carnalis reperitur inter consanguineos, & irritat matrimonium, usque ad quartum consanguinitatis gradum inclusivè: spiritualis contrahitur in administratione Baptismi, & Confirmationis, ut patet ex supradictis, solvitque matrimonium inter personas, quæ ejusmodi cognationem contraxerunt. Legalis verò oritur ex adoptione perfecta, qua quis extraneum eligit in filium, aut filiam: nepotem, aut neptem. &c.

Ubi observandum est, triplicem esse cognationem ex adoptione ortam, nimirum paternitatem legalem, fraternitatem legalem, & affinitatem legalem: quarum prima habet locum inter adoptantem, adoptatum, & adoptati filios, & nepotes usque ad quartam generationem. Secunda inter filios naturales, & legitimos adoptantis, & adoptatum ipsum, quæ durat tantum, quamdiu filius naturalis, & adoptivus manent sub potestate patris. Quò fit ut ea solvatur mortuo patre, aut alterutro ex filiis emancipato. Tertia inter  
adopta-

adoptantem, & uxorem adoptati, item inter adoptatum, & uxorem adoptantis. Arque hæc cognatio est perpetua, sicut & prima, quantumvis adoptio solvatur; ita ut adoptans nunquam possit nubere uxori adoptati, neque adoptatus, uxori adoptantis.

*Quintum* impedimentum est *crimen*, quod duplex est, homicidium & adulterium. Porro ut homicidium inducat hoc impedimentum, requiritur primo, ut occidatur conjux, sive vir, sive foemina. Secundo, ut ii qui post mortem conjugis simul nubere volunt, in eam necem simul conspiraverint, nisi homicidium, conjunctum sit cum adulterio: tunc enim satis est unus conspiratio. Tertio, ut conjugem occiderint eo animo, ut inter se postea matrimonium contraherent, aut saltem alter eorum hoc intenderit.

Adulterium etiam, ut prædictum impedimentum inferat, nonnullas condiciones exigit, vel ut adulterans occidat propriam conjugem, vel ut eo vivente, per verba de presenti, ducat illum cum quo adulteravit, vel certe promittat se, post mortem conjugis, cum ducturum. Simplex enim adulterium, si cum altero ex illis peccatis conjunctum non sit, non impedit quominus matrimonium, inter adulteros contractum, valeat.

*Sextum* impedimentum est *cultus disparitas*, quando scilicet baptizatus, sive Catholicus sit, sive hæreticus, matrimonium init cum non baptizata, aut vice versa: matrimonium enim inter illos contractum, nullius est roboris; etsi persona nondum baptizata, sit Catechumena & fidelis, ut omnes probant ex antiquissima traditione, & praxi Ecclesie.

*Dixi sive Catholicus sit, sive hæreticus*: nam non tantum Catholicus, sed ille etiam, qui postquam baptismum suscepit, fidem Catholicam abjicit, subditus est Ecclesie legibus. At verò Ecclesia irritat matrimonium contractum inter baptizatum, & non baptizatam; quare si hæreticus contrahat cum non baptizata, dubium non est, quin illius matrimonium irritum sit.



*Neque obest* quod Ecclesia non habeat potestatem in hominem non baptizatum: satis enim est, quod baptizatus illius subdatur legibus. Quia eò ipsò quod eum inhabilem reddit, ad validè contrahendum cum non baptizata, irritatur matrimonium; quippe quod non potest consurgere, nisi inter duos habiles ad contrahendum.

*Sed quid dicemus*, de matrimonio Catholici cum hæretica? *Respondeo breviter primò*, tale matrimonium esse validum, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quæ non declarat illud esse irritum, neque matrimonio conjunctos jubet separari. Quod si contrarium in quibusdam locis juris canonici videretur innui, dicendum est, ibi tantum prohiberi ejusmodi matrimonium, non irritari.

*Respondeo secundò*, Catholicum contrahentem cum hæretica, peccare mortaliter, per se loquendo, eò quod in re gravi violat præceptum Ecclesiæ, quæ iusta de causa vetat tale matrimonium, tum ne conjux fidelis subvertatur, tum ne proles in hæresi educetur. Ex consuetudine tamen variis in locis recepta, & à summis Pontificibus tolerata, qualis viget in nostra Gallia, probabile est tale matrimonium sine peccato contrahi posse.

*Septimum impedimentum est vis, seu coactio liberæ voluntatis*, ad validitatem matrimonii necessariæ, repugnans. Verùm de hoc impedimento satis superque à nobis actum est capite præcedenti, resolutione 5. qui locus consulendus est.

*Octavum impedimentum est Ordo sacer*, de quo notandum est, ejusmodi ordinem irritare matrimonium postea contractum, ut statuitur in variis locis juris canonici, ac novissimè in Concilio Trident. *sess. 24 de matrim. can. 9.* Quod generatim intelligendum est tam de Latinis, quam de Græcis, apud quos semper matrimonium post sacrum ordinem contractum, irritum fuit. Quanquam in eo discrepant Græci, à Latinis, quòd illi si post matrimonium, ordinem

sacrum.

facrum suscipiant, possunt licite matrimonium, extra tempus quo altari deserviunt. Isti vero, si post matrimonium valide contractum, ad Ordines sacros ascendant, ab usu matrimonii perpetuo abstinere debent.

*Nonum impedimentum*, quod vocatur *ligaminis*, confurgit ex matrimonio legitime contracto: qui enim cum una valide contraxit, non potest aliam, priore vivente, ducere. Quod ita intellige, ut neque liceat secundam ducere, neque si ducatur, matrimonium cum ea initum valeat, etsi prius matrimonium ratum sit duntaxat.

Hic porro *duo observanda sunt*; primo ob nullam mariti absentiam, etiam si de illius morte dubitetur, post se uxorem alteri nubere. Jus enim civile statuens, feminam posse cum alio contrahere, postquam maritum, de cuius vita dubitat, quadriennio, vel quinquennio expectavit, à jure canonico correctum fuit, tum quia in dubio, melior est conditio possidentis, tum quia periculum est, ne secundo nubens, adulterium perpetret, & sacramentum invalidè usurpet; nullum autem tale est periculum, si diutius expectet, neque de novo contrahat.

*Observandum secundo*, si contingat mulierem, postquam matrimonium cum secundo contraxit, certo scire, proprium maritum vivere, eam debere abstinere à consortio alterius: ita ut neque petere, neque ei debitum reddere liceat, quamvis per sententiam Judicis ad hoc impellatur. Si vero probabiliter dubitet eum vivere, debitum quidem petere non potest, etiam si post adhibitam moralem diligentiam, dubia remaneat: at tenetur illud reddere, nisi petens in simili dubio versetur. Quod si id suspicetur sine ullo rationis fundamento, debet suspicionem deponere, & cum eo, cui de novo nupsit, ut cum vero conjugē, quoad petitionem, & redditionem debiti, se gerere.

*Decimum impedimentum est publica honestas*, quæ nihil aliud est, quam propinquitas ex sponsalibus

proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione, propter honestatem ejus. Æquum enim est, & honestati congruum, ut quia in sponsalibus matrimonium inchoatur, non possit qui cum aliqua sponsalia inchoat, per verba de futuro, cum illius consanguineis matrimonio copulari. Quare Ecclesia statuit, ut ejusmodi sponsalia essent sufficiens impedimentum, ad dirimendum subsequens matrimonium, contractum inter sponsum, & consanguineas sponsæ, etiamsi sponsa moriatur, antequam matrimonium per verba de præsentibus celebraverit. Et idem dicendum de sponsa, respectu consanguineorum sponsi. Qui tamen sponsalia tantum promittit, non incurrit hoc impedimentum.

*Notandum est autem primo ex Concilio Trid. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 3. tolli impedimentum publicæ honestatis, quoties sponsalia invalidè celebrantur, quacumque ex causa proveniat ejusmodi invaliditas. Secundo, quando sponsalia validè fiunt, impedimentum illud extendi tantum, usque ad primū gradum. Unde sequitur Titium, si invalidè cum Berta sponsalia, per verba de futuro contraxit, posse jam validè nubere consanguineis Bertæ, etiam in primo gradu constitutis, nimirum matri, aut filiæ, aut sorori illius. Si verò sponsalia validè contraxit cum Berta, potest validè matrimonio copulari, cum omnibus consanguineis illius, iis exceptis, quæ in primo gradu constitutæ sunt.*

Porro si sponsalia validè contracta, de consensu utriusque partis solvuntur, censentur invalida, ut declaravit sacra Congregatio Cardinalium. Quare tunc non inducitur impedimentum publicæ honestatis, & consequenter potest Titius validè contrahere, etiam cum aliqua ex consanguineis Bertæ, in primo gradu.

*Dices, quid fiet si Titius, postquam sponsalia de futuro cum Berta contraxit, cum illius sorore matrimonium de præsentibus contrahat? Nam quatenus validè cum Berta sponsalia contraxit, non potest cum*  
illius.

illius sorore validè matrimonium inire, propter impedimentum publicæ honestatis. Quatenus verò cū sorore matrimonium contraxit, non potest propter idem impedimentum, ipsi Bertæ nubere. Quid ergo faciet Titius?

*Respondeo cum distinctione* : nam vel Titius matrimonium consummavit cum sorore Bertæ, vel non, si non consummavit, tenetur fidem servare Bertæ, & cum ea contrahere: matrimonium enim cum sorore Bertæ initum, non potuit inferre impedimentum publicæ honestatis, dirimens sponsalia præcedētia, ut dictum est. Quin potius vi sponsaliorum præcedētium, matrimonium subsequens nullius est valoris.

Si autem Titius matrimonium consummavit, cū neutra matrimonium validè inire potest. Non cum Bertæ ipsa, quia jam affinitatem, quæ est impedimentum dirimens, cum ea contraxit, ob copulam quam habuit cum sorore illius: at neque etiam sorori Bertæ validè nubere potest, propter impedimentum publicæ honestatis, ex sponsalibus cum Bertæ initis, ortum.

*Undecimum* impedimentum est *affinitas*, quæ nihil aliud est quàm propinquitas orta inter Titium, & consanguineos Bertæ; & vice versa, inter Bertam, & consanguineos Titii, idque ob carnalem copulam inter utrumque habitam: cū enim per hanc copulam Titius, & Bertæ fiant quodammodo una caro, consequenter consanguinei unius contrahunt cognationem quandam affinitatis cum alio, quo fit ut omnes consanguinei Bertæ, sint affines Titio, in eodem gradu, in quo consanguinitatem cum Bertæ participant. Et è contrà consanguinei Titii sint affines Bertæ, in eodem gradu, in quo sunt consanguinei ipsi Titio.

*Ubi nota* r. ex jure novo, hoc impedimentum non extendi ultra quartum gradum; ita ut sicut potest Titius validè contrahere cum propria consanguinea, in quinto gradu, ita & mortuâ uxore, cum consanguineis illius, in eodem gradu, matrimonium inire potest. Imò si affinitas orta est ex copula fornicaria, in-

ter Titium, & consanguineas Bertæ, potest ille validè, & licitè cum earum aliqua contrahere, in tertio gradu, ex Concilio Trid. *sess. 24. de reformat. matrim.* ubi impedimentum affinitatis, ex fornicatione contractum, restringitur ad eos qui in primo, aut secundo gradu conjunguntur. Quod ita intelligendum, ut non modo affinitas illa non irriter matrimonium, in tertio gradu postea contractum; sed etiam ut neque contrahendum impediatur, ut declaratum fuit à Pio V. in motu proprio, qui incipit, ad Romanum Pontificem.

*Nota 2.* Illud esse discrimen, inter eum qui cognoscit consanguineam propriæ uxoris, in tertio gradu, & illum qui cognoscit consanguineam, in eodem gradu, illius cum qua fornicatus est, quod prior committit incestum, non posterior. Ratio discriminis est, quia non potest aliquis validè matrimonium inire, cum consanguinea uxoris in tertio, aut quarto gradu, potest autem cum consanguinea tertii gradus, illius quam fornicariè cognovit. Ex eo autem quod non potest quis, matrimonium inire cum sibi affini, accessus ad eam specialiter prohibetur, & constituit speciem luxuriæ, à simplici fornicatione distinctam, non autem eo præcisè quod sit affinis. Cum ergo non possit quis validè contrahere, cum consanguinea uxoris, intra quartum gradum, possit autem in tertio & quarto, cum consanguinea alterius, cum qua fornicatus est, hinc fit ut copula cum priori habita, sit incestus, non autem habita cum posteriori.

*Nota 3.* Affinitatem dirimere duntaxat matrimonium postea contractum: nam si matrimonium præcedat, & postea contrahatur affinitas cum conjugè, per copulam sequentem, habitam cum consanguinea illius, in eo casu non dirimetur matrimonium, antea validè contractum; adulter tamen non poterit licitè debitum petere à conjugè, sive incestus sit occultus, sive publicus, nisi præhabita dispensatione, quam Episcopus dare potest.

Dno.

DE ORDINE ET MATR. CAP. V. 371

*Duodecimum* impedimentum est, *impotentia*, quæ si sit perpetua, sequens matrimonium dirimit, undecumque proveniat. Dicitur autem perpetua, quando nulla humana arte, aut citra periculum vitæ, aut sine peccato, aut sine evidenti, & extraordinario miraculo tolli nequit. Qualis non est quæ tollitur per Exorcismos, vel Oraciones Ecclesiæ ad hoc destinatas. Quod si impotentia sit temporalis, per eam matrimonium superveniens non irritatur, spectato jure naturæ. Quanquam ex jure Ecclesiastico, Matrimonia impuberum irritantur, ob impotentiam temporalem. Dixi impotentiam perpetuam dirimere sequens matrimonium? si enim matrimonio superveniat, illud non dirimit, etsi ratum tantum sit. In dubio autem, an impotentia præcesserit, an non, judicandum est præcessisse, si proveniat ab intrinseco: secutam vero esse, si ex maleficio, aliave causa extrinseca oritur. Quia quod à natura inest, semper esse præsumitur, non autem quod advenit ab extrinseco, nisi oppositum probetur.

*Decimum tertium* impedimentum est, *defectus præsentia Parochi, & duorum testium*, in iis saltem locis, ubi receptum est Concilium Trid. Verum de isto impedimento *cap. præcedenti resol. 6.* sufficienter actum est, neque hic aliquid de novo, ibi dictis adjiciendum occurrit.

*Decimum quartum* impedimentum est, *raptus mulieris*, ut liquet ex Concilio Trident. *sess. 24. de matrim. cap. 6.* ex quo loco quatuor colliguntur. Primo matrimonium irritum esse, si raptor contrahat cum rapta quamdiu ipsa manet in illius potestate; secus, si ei nubat, quando est ab illo separata, & in loco tuto, ac libero constituta. Secundo, raptorem sive raptam ducat, sive non, esse ipso jure excommunicatum: Itemque auxilium, consilium; & favorem præbentes. Tertio, eos omnes per sententiam Judicis, declarandos esse perpetuò infames, & dignitatum omnium incapaces, & si clerici sint, à proprio gradu dejiciendos.

Quartò, raptorem per sententiam iudicis cogendū, ut raptā, juxta illius conditionem, sufficienter dotet.

Ut autem ista locum habeant, *requiritur primò* ut raptor fœminam rapuerit, eo animo ut ipsemet cum illa matrimonium contrahat. Quare si eam rapuit, solius fornicationis causa, & postea mutuo consensu simul contrahant, matrimonium valet, & raptor dictas pœnas non incurrit, ex eo communiori sententia. Quia pœnæ illæ inducuntur à Trid. contra raptos, violantes libertatem matrimonii. At ille, qui ob simplicem fornicationem, fœminam abducit, non censetur officere libertati matrimonii.

*Secundò* requiritur, ut raptor ipse velit cum raptā contrahere. Unde si eam rapiat ea intentione, ut quidam alius de re non cogitans, aut certè nullo modo per se, aut per alios cooperans, illam ducat in uxore pœnas illas non incurrit; & si raptā consentiat in matrimonium illius, cujus gratia raptus factus est, nuptiæ sunt firmæ & validæ, eo quòd non sunt contractæ inter raptorem, & raptam. Si tamen ex mandato illius, fœmina raptā fuisset, matrimonium esset nullum; quia jam ille communi iudicio, vetus raptor censetur, esto physicè ad raptum non concurrisset.

*Tertiò* requiritur, ut fœmina nolens, & renitens abducatur: nam ubi abductio violenta non est, raptus locum non habet. Unde si è domo extrahatur volens, & raptui consentiens, aut dolo circumventa, aut precibus inducta, raptor dictas pœnas non incurrit, & matrimonium inter eos contractum valet, si aliunde nihil obstat illius valori. Si tamen fœmina consentiat, & parentes, vel alii, sub quorum est potestate, dissentiant, matrimonium nō tenet; quia etiam tunc raptus verè locum habet, eò quòd infertur vis potestati, quam parentes habent in raptam. Quòd si parentes id ignorant, tunc matrimonium valet; quia cum desit violentia, abductio fœminæ consentientis raptus dici non potest.

*Quartò*

*Quartò non refert, qualis foemina sit quæ abducitur, an virgo, an corrupta, an conjugata, an soluta, &c. Decretum enim de qualibet foemina rapta procedit, si excipias sponsam de futuro, quæ volens è domo parentum, à proprio sponso abducitur: talis enim raptus jure communi, quod Tridentinum non correxit, à dictis pœnis liberatur, cap. penult. De raptoribus, modo fiat animo contrahendi matrimonium: ad hoc enim spõsus jus aliquod acquisivit, per spõsalia.*

*Tandem illud decretum, ex communi sententia nõ intelligitur de foemina virum rapiente, tum quia leges non respiciunt casus rarissime advenientes; tum quia in odiosis foemininum sub masculino non continetur. At Concilium Trid. meminit solius raptoris, ut ex textu allato patet. Unde validum erit matrimonium inter raptricem, & raptum, etsi hic sit in illius potestate constitutus; dummodo cœtera, ad validitatem matrimonii necessaria, adsint.*

**RESOLUTIO III.** *Potest summus Pontifex validè dispensare in impedimentis omnibus, quæ jure Ecclesiastico matrimonium dirimunt.* ] **RATIO EST,** quia Princeps potest validè dispensare in sua lege. At summus Pontifex est Princeps, & superior totius juris Ecclesiastici: ergo in eo validè dispensare potest, atque adeò in impedimentis, ex solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimentibus.

*Quo loco duo notanda sunt. Primò, ut Pontifex validè dispense in illis impedimentis matrimonii (idem dic de aliis omnibus quæ ad legem Ecclesiasticam pertinent) non requiri rationabilem causam dispensationis, quia lex aliqua non aliter obligat, quam Legislator eam ferens velit illam obligare. Quare si Pontifex nulla rationabili causa inductus velit ut quis, non obligetur ea lege Ecclesiastica, qua matrimonium cum tali impedimento dirimitur, ille à tali obligatione immunis erit.*

*Ut autem legitima sit dispensatio, justa aliqua causa eam concedendi necessaria est, & Pontifex aliter*



dispensans, peccat contra justitiam distributivam, quæ postulat ut onera æqualiter distribuantur, inter partes ejusdem reipublicæ (in cujus commodum ea potestas illi à Deo concessa est) nisi justa de causa aliquis dispensari debeat. Utens etiam tali dispensatione, peccat contra legem naturæ, secundum quam partes toti se conformare debent, nisi certa ratio aliud exigat. Eorum tamen peccatum non est mortale, nisi per accidens, ratione scandali aut gravis alterius incommodi, inde orti.

*Secundo nota illud esse discrimen inter summum Pontificem, & eos qui ab illo habent potestatem dispensandi, in impedimentis dirimentibus matrimonii, quod ille valide, illicitè tamen, sine rationabili causa dispensat, in ejusmodi impedimentis, ut dictum est. At verò alii, non modo illicitè, sed etiam invalidè in illis dispensant, nisi justa causa adsit. Cujus ratio est, quia sicut Pontifex non potest, sine culpa, dispensare in impedimentis prædictis, quando nulla rationabilis causa intervenit, ita non potest alteri licitè dare facultatem dispensandi, sine justa causa. Quare nisi aliud apertè constet, semper credendum est Pontificem non concedere alicui, facultatem illam dispensandi, nisi rationabilis causa occurrat; ac proinde eum, cui potestas dispensandi demandata est, invalidè cæteri, si nulla justa dispensationis causa interveniat.*

**RESOLUTIO IX.** *Non potest Episcopus ordinariè in impedimentis dirimentibus matrimonii dispensare.* **RATIO EST,** quia non potest inferior ordinariè dispensare in lege superioris; impedimenta autem prædicta sunt inducta, vel à summis Pontificibus, vel à Conciliis generalibus. Quare Episcopus, qui est illis inferior, in dictis impedimentis dispensare nequit.

*In causa tamen necessitatis, concedunt communiter Authores, Episcopum in impedimentis dirimentibus, in foro interno dispensare posse, si nimirum impedimentum sit occultum, & matrimonium publicum, bonæque fide contractum, & conjuges sine gravi scandalo*

dalo separari nequeant, vel non sit facilis aditus ad Pontificem. *Et ratio est*, quia verisimile est, Pontificē in eo casu, nō sibi reservare potestātē dispensandi; in impedimētis matrimonii, cum talis reservatio, ob legitimā & suāvem Ecclesię gubernationē, fieri debeat.

*Dixi; & bona fide contractum*, nam si mala fide contractum sit, ita scilicet, ut quis non modo sciat, se verbi causa, accessisse ad consanguineam illius, quam postea duxit in uxorem; sed etiam ex ea copulā, ortum fuisse impedimentum, dirimens sequens matrimonium, Episcopus in eo impedimento dispensare nequit, ut manifestē constat ex Concilio Trid. *sess. 23. de marr. 5.* Sufficit tamen bona fides alterius conjugum, quia æquum non videtur, ut ob alterius peccatum, innocens puniatur.

## CAPUT VI.

*De obligationibus Matrimonii.*

**R**ESOLUTIO I. *Conjuges non tenentur per se loquendo debitum petere, tenentur tamen reddere ex iustitia.* ] **RATIO PRIORIS PARTIS EST**, quia liberum est unicuique juri suo renunciare, *ex cap.* Si de terra, de Privilegiis, quod saltem verum est, quando tali renunciatione nulli alteri fit injuria: at conjuges non petendo debitum, nulli faciunt injuriam, quia etsi tali juri renuncient, tenentur alteri conjugi debitum reddere, quod satis est. Per accidens tamen contingere potest, ut conjux debitum teneatur petere, si nimirum putat, illud moraliter esse necessarium ad vitandam incontinentiam in alio conjugē.

*Ratio posterioris partis est*, quia ex iustitia tenetur quisque alteri reddere, quod suum est; at corpus uxoris ad virum pertinet, in ordine ad usum matrimonii; & vice versa corpus viri ad uxorem: Ergo uxor tenetur debitum reddere viro petenti, & vir uxori. Hinc illud Pauli 2. Cor. 7. uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor, viro, &c.

Quo loco *observandum est primò*, hanc resolutionem procedere, non modo quando debitum expresse, sed

fed etiam quando signis petitur, ut si mulier; præ pudore, non audeat verbis debitum exigere. Ea enim est petitio tacita, seu interpretativa, quam omnes dicunt sufficere, ut alter teneatur reddere.

*Secundo* observandum est, obligationem reddendi debitum esse gravem, & obligare sub peccato mortali, ex genere suo. Quamquam ex levitate materiæ, interdum vitari potest peccatum, saltem mortale, non reddendo; ut si multoties reddere solitus una aut altera vice debitum denegeret: nisi exigens in periculo incontinentiæ versetur, aut aliud grave incommodum timeatur.

*Hinc collige*, à jejuniis excusari eum, qui si jejundet, non potest uxori debitum solvere. Quia præceptum naturale reddendi debitum, magis obligat, quam præceptum jejunandi, quod est Ecclesiasticum. Uxor etiam, quæ jejunando deformis efficitur, & minus à marito diligitur, vel ei exosa redditur, non tenetur jejunare. Imò et si tale incommodum non sequitur, si maritus præcipit uxori, ut non jejunet, à jejuniis excusatur, quando prævidet illum, nisi obediat, graviter laturum. Quia præceptum jejunii non obligat, cum dispendio amoris, & pacis quæ inter conjuges servari debet.

RESOLUTIO II. *Varias ob causas excusatur conjux à redditione debiti.* ] PRIMA EST, quando probabiliter reddere nequit, sine gravi detrimento, aut periculo salutis. Ratio enim naturalis exigit, ut prius qui salutis suæ consulat, conservando proprium individuū, quàm generationi prolis vacare teneatur. Ordo etiā charitatis postulat, ut quis primò, suæ incolumitati vacet, ac deinde aliis, si potest, satisfaciat. Ac denique, qui matrimonium contrahunt, non intendunt se obligare ad usum conjugii, cum gravi suo incommodo. Hinc collige; conjugem excusari à reddendo debito, quando periculum est ne lepra, morbo Neapolitano, seu Hispanico, aliove simili inficiatur.

*Secunda causa*, propter quam debitum negare licet, est, ad vitandum grave aliquod nocumentum in bonis fortu.

fortuna, aut notabile augmentum rei familiaris comparandum. *Ratio est*, quia conjuges dum inter se matrimonium contrahunt, sibi mutuò pollicentur industriæ communionem, ad rectam domus gubernationem, & rei familiaris utilitatem. Quare quoties in hunc finem necesse est ut vir, etiam per longum tempus, absit à propria domo & consequenter debitum reddere non possit, licitè potest discedere, etiam uxore renitente; quia irrationabiliter est invita. Et ita videmus passim observari à viris timoratis, qui uxores suas vehementer diligunt.

*Tertia causa*, sufficiens ad negandum debitum, est quando non suppetunt facultates, ad filios alendos. *Et ratio est*, quia non tenemur id solvere, quod sine gravi incommodo nostro, solvere non possumus: at in dicto casu, non potest conjux, sine magno suo incommodo, debitum conjugale solvere. Videns enim se plures habere filios, quàm alere possit, eosque fame confici, mirum in modum torquetur, vitam acerbam ducit, ac interdum in desperationem adducitur. Adeò ut durissimum sit, ejusmodi conjugem obligare ad reddendum debitum, saltem si in alio non sit evidens periculum incontinentiæ: Et quamvis nonnulli in hoc aliter sentiant, illud tamen apud omnes certum est, si uterque conjux ab usu matrimonii, ob dictam causam, communi consensu abstinere velit, neutrum peccare, cum nemini injuriam abstinendo inferant.

*Quarta causa*, propter quam debitum negari potest, imò debet, juxta nonnullos, est quando exigens petendo, peccat; sed malim distinguere: nam quando debitum petitur cum aliqua circumstantia, quæ actum ipsum reddit illicitum, ut si sit periculum abortus, tunc debitum reddendum non est; si verò nulla sit circumstantia, qua actus ipse in se fiat illicitus, sed tantum petitio, ut si petens vovit castitatem, tunc debitum reddendum est: eò quòd exigens non petit, nisi quod suum est, esto erga Deum peccet. Dico, quod suum est: nam si petens, jure petendi privatus esset, alter non teneretur reddere.

*Quinta*

*Quinta causa*, propter quam debitum negare licet, est, quando conjux priori bimestri, ante matrimonium consummatum, cogitat de ingressu Religionis, ut supra diximus. *Sexta vero est illa*, propter quam licet celebrare divortium, de qua agitur inferius.

**RESOLUTIO III.** *Conjux habens votum castitatis, tenetur illud servare, quantum potest, sine praejudicio alterius.* ] **EXPLICATIO:** Castitatis votum emitti potest à conjuge vel ante matrimonium contractum, vel matrimonio contracto, ante illius consummationem, vel denique consummato matrimonio. Si primo modo emittatur, notandum est eum qui post votum castitatis, matrimonium contraxit, nunquam licite posse debitum exigere, ante obtentam dispensationem; ita ut toties peccet lethaliter, quoties petit. Quia nimirum, ratione voti, tenetur ab omni actu venereo abstinere; à qua obligatione non liberatur, per matrimonium superveniens; quoad petitionem debiti cum per contractum illius non obligetur ad petendum debitum. Si tamen petat, alter tenetur reddere, ut supra dictum est.

Si votum emittatur secundo modo, id est, post matrimonium ratum, non consummatum, duo notanda sunt. Primo, si fiat votum non petendi debitum, illud valere, adeo ut ita vovens, etiam sine licentia alterius conjugis, non possit licite debitum exigere; nequidem si secundo matrimonium ineat, nisi intendat se tantum obligare pro praesenti matrimonio.

Notandum secundo, si conjux absolutè castitatem vovet, animo ingrediendi Religionem, & putans illud unicum esse medium, ad castitatem servandam, tale votum valere, & voventem teneri ingredi, antequam matrimonium consummet. Quòd si dum vovet castitatem, de Religione non cogitat, non tenetur ingredi; sed debet castitatem servare, quantum potest, sine injuria alterius ita scilicet, ut nunquam possit petere, reddere verò, non nisi, quando alter jus petendi habet.

Tan-

DE ORDINE ET MATR. CAP. VI. 379

Tandem si conjux castitatem vovet tertio modo post consummatum matrimonio, vel imprimis id facit sine consensu & alterius. tunc votum non valet, nisi quoad obligationem illud servandi, sine præjudicio alterius, nimirum quoad obligationem, nunquam petendi, & tunc tantum reddendi, quando alter exigendi jus habet.

Vel secundo vovet, alio quidem consentiente, sed sine mutuo pacto, & sic etiam non tenet votum nisi quatenus servari potest, sine injuria consentientis, qui etiam licentiam concedat vovendi, non propterea censetur sibi velle præjudicium eo voto inferri, nisi aliud constet ex verbis illius. Unde & petere potest, & qui vovet, ex consensu illius, tenetur reddere. Vel tertio ita vovet, ut uterque conjux, mutuo consensu, & pacto renunciet juri, quod alter habet in corpus alterius: & tunc neutri licet debitum petere, aut reddere ut perspicuum est. Idem autem communis sententia statuit, quando ambo conjuges, ex mutuo consensu, castitatem vovent. Quia uterque tunc intendit se obligare ad omnimodam castitatem servandam, abstinendo à petitione, & redditione debiti; quæ voluntas includit virtualiter, mutuam renunciationem juris, quod alter conjux habebat in alterum. Non enim potest se obligare ad non reddendum, nisi ille qui habet petendi facultatem, jus suum ei remittat.

RESOLUTIO IV. *Ut rectus sit usus matrimonii, servari debet modus, finis, vitatio damni, solutio debiti, locus, tempus, aliæque ejusmodi circumstantiæ, his duobus versibus comprehensæ.*

*Sit modus, & finis, sine damno, solve, cohare*

*Sit locus, & tempus, tactus, ne spernito votum.*

*Quæri hic potest an licitus sit usus matrimonii, quando dubitatur de valore illius. Pro explicatione nota, aliud esse scire matrimonium nullum esse: aliud verò ex scrupulo moveri ad credendum esse invalidum. Quo posito, tria statuenda sunt. Primo, conjugem qui certo scit matrimonium nullum esse, non posse debitum*  
petere,

petere,

petere, aut reddere. *Ratio est*, quia talis copula, ex parte scientis nullitatem matrimonii, esset formaliter fornicaria, ut patet ex c. Inquisitioni, de sent. excommunicationis.

*Statuendum secundo*, eum qui ex crudelitate probabili, & discreta dubitat de validitate matrimonii, teneri quamprimum moralem adhibere diligentiam, ut certior fiat de rei veritate. Quia aliàs conjicit se in periculum peccandi. Interim autem non potest debitum postulare, reddere tamen tenetur: Quia ex duobus malis, quorum alterum necessario eligi debet, eligendum id quod minus; At si ille petat, periculum est ne fornicetur, ex eo autem quod petat, nullum tale periculum oritur: similiter si debitum neget, periculum est ne injustitiam gravem committat, contra fidem matrimonii datam; at vero si reddat, periculum est tantum, ne materialiter fornicetur, quod minus malum est. Ille igitur debitum petere non potest, & reddere tenetur, ut etiam sumitur ex cap. citato.

*Tertio statuendum est*, illum qui ex mere scrupulo, & sine ullo fundamento timeret, matrimonium esse invalidum, debere ad consilium sui pastoris, scrupulum deponere, & liberè uti matrimonio. Quod patet ex capite citato, Inquisitioni, ubi decernitur, eum qui ex credulitate levi, & temeraria dubitat de valore matrimonii, ad sui Pastoris consilium, conscientia levis, & temeraria crudelitatis explosa, licitè posse non solum reddere, sed etiam exigere debitum conjugale. Quod autem ibi dicitur de pastore, intelligi potest de confessario perito, ac de quovis alio homine docto & timorato.

**RESOLUTIO V.** *Potest mater, in periculo vitæ constituta, sumere pharmacum directè tendens ad ipsius curationem, etsi probabiliter abortus inde sit secuturus.* ] Ut hoc clariùs intelligatur, *Dico in primis*, non licere tribuere matri pharmacum, quo directè foetus ex illius utero expellatur, sive ante, sive post animationem; etsi hoc necessarium putetur, ob curationem matris, quæ in periculo versatur.

*Ratio*

DE ORDINE, AD MATR. CAP. VI. 381

*Ratio prioris partis est*, quia si non licet ob sanitatem, directè procurare pollutionem, quia hoc est contra naturam generationis, multò minus licet, ob talem finem, foetum ante animationem expellere, cum hoc magis repugnet generationi.

*Ratio posterioris*, quia non licet directè occidere innocentè, ut alius incolumis servetur. Unde etsi mors tam matri, quam foetui sit certa, nisi talis medicina adhibeatur, & probabile sit fore, ut mater sanitatem recuperet, si eam sumat, non potest eam sumere; quia nunquam licet tale quid procurare directè.

*Dico secundò*, si foetus nò sit animatus, potest mater sumere pharmacum, directè tendens ad curationem illius, etsi probabile sit, abortum inde secuturū; quia illa dat operam rei licitæ, & jure suo utitur. Quare si abortus sequitur, hoc est præter illius intentionem, adeoq; per accidens: Sicut si ex sumptione medicamenti, ad sanitatem necessarij, & ad eã directè relati, pollutio sequatur. Sed quid, si foetus animatus sit.

*Dico tertio*, etiam tunc licitum esse matri, uti medicamento per se, & directè ad sanitatem ei restituendã confecto, etsi verisimile sit abortus periculū. Tū quia abortus præter intentionē matris, & omnino per accidēs sequitur, ut jam dictū est; tum quia etsi directè innocentè occidere nunquã liceat, licet tamen interdū per accidēs, & præter intentionē eū interimere, ut patet, dū in justo bello Urbs aliqua diruitur, in qua sunt multi innocētes, quos necesse est cū alijs perire.

**RESOLUTIO VI.** *Parentes tenentur, ex lege naturali, filios alere.* ]ILLA enim obligatio oritur ex ipsa inclinatione naturali, quam videmus brutis, cum hominibus esse communem. Excipe nisi parentes ex justa causa, à tali obligatione liberentur, qualis causa est, si filius habeat unde decenter, spectato ipsius statu, sustentari possit; aut non possit parens eum alere, sine vitæ periculo, ut si foemina eum procreavit ex adulterio. Potest enim tunc eum hospitali alendum exponere, ea conditione, ut expensis satisfaciat, & rectam

rectam



rectam illius institutionem curet. Item possunt parentes alimenta negare filiis, ob eas omnes causas, propter quas possunt eos exheredare.

Quod intellige, nisi filii alimētis simpliciter indigeant, ita ut nec aliunde victum habeant, nec sufficienti robore, arte, aut industria præditi sint, ad victum sibi cōparandum. Si enim extrema, aut gravis necessitas adsit, nullo jure excusari possunt à debito eos alēdi. Unde si decoquant id quod ipsis ad sustentationē, à parentibus assignatum est, aut renuncient, etiā adhibito juramento, juri quod habent exigendi alimēta necessaria à parentibus, si nihilominus simpliciter egent, parentes eos alere tenentur. Atque hoc totum æquè procedit de filiis illegitimis, ac de legitimis.

Tenentur etiam parentes curare, ut eorum filii bonis moribus instituātur, atque adeò ut probos magistrōs habeant, occasiones peccandi fugiant, præcepta Dei, & Ecclesiæ observent, bonis litteris imbuantur, juxta cujusque conditionem, & cū deliquerint, moderatè corripiantur, &c. Porro quia hæc facilia sunt, & omnibus nota, in iis amplius nō immoramur.

**RESOLUTIO VII.** *Licitum est divortium inter conjuges, ob varias causas.* ] **PRIMO** ratione adulterii, ut patet ex *Matth. 19. 7. Cor. 7.* & ex *Innocent. 32. quæst. 6.* per varia capita. Hinc enim colligitur, maritum divertere posse ab uxore adulterante, & vicissim posse uxorem relinquere virum adulterantem: quia ubi par est ratio, par debet esse judicium; ut nempe frangenti fidem, fides frangatur eidem.

*Excipiuntur* tamen aliqui casus, in quibus non potest conjux ab adultero divertere. 1. Est si etiam ipse patravit adulterium. 2. Si in alterius adulterium consensit, verbi causa, uxorem prostituendo. 3. Quando adulterans non peccavit, ut si fœmina putans maritum esse mortuum, cum alio contraxit, 4. Si conjux innocens adulteranti injuriam condonat, sive verbis, sive admittendo ad usum matrimonii.

*Secundò* licitum est divortium inter conjuges,  
ob

ob fornicationem spirituales, hæresim nempe, vel apostasiam à fide. *Probatur ex cap. Idololatria, & ex cap. Non solum, 28. q. 1.* quibus locis aperte docetur, uxorem infidelem, & quæ simulacrum facit, dimitte-  
 tendam esse, quia talis spiritualiter mœchatur. Idem autem dicendum de conjugē in hæresim labente, quia etiam hæc est spiritualis fornicatio.

*Ubi observandum est,* Catholicum qui à conjugē infideli propria autoritate divertit, non posse Religionem ingredi; quia divortium illud est temporale, & finitur per resipiscentiam conjugis derelicti, qui habet jus repetendi conjugē, à quo dimissus fuit. Quare etsi ille in Religione professus sit, tenetur redire ad conjugem à se dimissum, si post resipiscentiam ab eo revocetur: nisi ab illo obtinere possit, ut liberè consentiat, se manere in novo statu quem suscepit. Quia nimirum professio illius est irrita, cum ab eo emissa fuerit sine consensu conjugis, vel Ecclesiæ. Unde etsi nunquam possit à conjugē debitum petere, aut eo mortuo, alteri nubere, quia votum tenet in præjudicium ipsius; tenetur tamen reddere debitum, quoties alter petens habebit jus exigendi.

Quod si separatus fuit à conjugē hæretico: per sententiam Ecclesiæ, potest, si velit, profiteri in Religione, neque ei fas est ab eo statu resilire, etsi alter resipiscat, & ab eo revocetur. Imò etsi dimissus resipiscat, antequam dimittens Religionem ingressus sit, non potest impedire, quominus ille ingrediatur, si velit. Neque tamen tenetur dimittens Religionem ingredi, ut à resipiscente separatus manere queat; sed potest in sæculo manens, eum ad suum consortium non admittere, ut aperte colligitur ex cap. Finali, de conversione conjug.

Ille verò qui ab hæresi reversus est, non potest Religionem ingredi, sine consensu Catholici in sæculo manētis, quia non potest statū mutare, in præjudiciū illius. Unde si professionem emittat, ea est irrita, & professus à Catholico revocari potest. Tenetur tamē  
 castita-

castitatem servare quantum potest abstinendo à petitione, nō à redditione debiti. Verū profiteri potest, cū consensu dimittentis, etiam si ille sine voto, in sæculo maneat & sine cōsensu, si dimittēs professus sit.

*Tertiò*, certum est, uxorem à marito divertere posse, propter illius sævitiam, si talis sit, ut sine gravi damni corporalis periculo, cū eo habitare nequeat, nisi ipse maritus uxori sufficientem securitatis cautionem exhibeat. Ita omnes ex cap. Litteras. de restit. spol. & cap. Ex transmissa, eodem tit.

Quo loco *observandum est*, quando ratione sævitiz conjugis, celebratur divortiū ad tempus, ut experimento constet, num mutet ingenium, aut sufficientē cautionem exhibeat, divertentē nō posse religionem ingredi, sine licētia conjugis relicti. Secus si nulla spe correctionis existente, absoluta divortii sententia celebretur. Quia in hoc casu, jus conjugale per sententiā deperditur, in illo verò tantum suspenditur quoad executionem. Quare in casu illo absoluti divortii, conjux relictus professum revocare non poterit, etsi corrigatur, aut de sufficiēti cautione providere velit.

*Ultimò certum est*, posse conjuges, ex mutuo consensu, toro separari, etsi non voveant continentiam, Possunt etiam toro separari, castitatem vovere, ex mutuo consensu, etsi neuter Religionem ingrediatur. Quod tamen non facillè permittendum est, propter periculum incontinentiæ. Item ex consensu mutuo, potest uterque Religionem ingredi, & profiteri. Viro autem ingrediente ex consensu uxoris, tenetur illa similiter ingredi, nisi sit vetula, ac de incontinentia minimè suspecta: tunc enim satis est, quod castitatem in sæculo voveat. Et idem dic à fortiori, si vir Religionem non ingrediatur, sed tantum sacros ordines suscipiat. Atque hæc tandem de Sacramentis in genere, & in specie, in gloriam Jesu Christi Sacramentorum authoris, Matrisque ipsius purissimæ, satis.

F I N I S.



# INDEX

## LIBRORVM

## ET CAPITVM

hujus Index.

---

### LIBER I.

De Sacramentis in genere, ac speciatim de  
Baptismo & Confirmatione.

CAP. I.	<b>D</b> E natura Sacramenti in genere. pag. 1.	
II.	De institutione Sacramentorum in va- riis statibus.	8.
III.	De causa principali Sacramentorum.	15.
IV.	De causa ministeriali Sacramentorum.	18.
V.	De administratione, & susceptione Sa- cramentorum.	27.
VI.	De gratia Sacramentali.	37.
VII.	De caractere Sacramentali.	45.
VIII.	De Sacramentalibus.	50.
IX.	De natura Baptismi.	52.

X. De

## INDEX LIBRORUM

- X. *De institutione & necessitate Baptismi.*  
58
- XI. *De causis externis Baptismi efficiente,  
& subjectiva.* 66
- XII. *De effectibus & caremoniis Baptismi.*  
74
- XIII. *De essentia sacramenti Confirmationis.* 82
- XIV. *De causis, effectibus, & caremoniis Con-  
firmationis.* 87

### LIBER II.

## DE EUCHARISTIAE SACRAMENTO. & Sacrificio Missæ.

- CAP. I. **D**E Eucharistia secundum se. pag. 93
- II. *De materia sacramenti Eucha-  
ristia.* 98
- III. *De forma sacramenti Eucharistia.* 104
- IV. *De reali presentia Christi in Eucha-  
ristia.* 112
- V. *De modo quo Christus est in Eucha-  
ristia.* 132
- VI. *De speciebus sacramentalibus.* 143
- VII. *De ministro hujus Sacramenti.* 150
- VIII. *De modo & necessitate suscipiendi Eu-  
charistiam.* 155
- IX. *De dispositionibus requisitis ad sumptio-  
nem Eucharistia.* 161
- X. De

ET CAPITUM.

- X. De effectibus sacramenti Eucharistia. 168  
XI. De Eucharistia ut est sacrificium. 176  
XII. De quibusdam circumstantiis, & cere-  
monis ad hoc sacrificium spectan-  
tibus. 189
- 

LIBER III.

DE POENITENTIA  
ET EXTREMA.  
Vnctione.

- CAP. I. **D**E sacramento Pœnitentia secun-  
dum se. 199  
II. De prima parte sacramenti Pœnitentia:  
quæ est contritio. 205  
III. De secunda parte sacramenti Pœnitentia:  
quæ est confessio. 215  
IV. De tertia parte sacramenti Pœnitentia:  
quæ est satisfactio. 234  
V. De ministro sacramenti Pœnitentia. 246  
VI. De effectu Pœnitentia quoad mortalium:  
remissionem. 265  
VII. De quibusdam aliis effectibus Pœniten-  
tia. 281  
VIII. De sacramento Extrema vnctionis. 295

LIBER.

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.


---

LIBER IV.


DE ORDINE,  
ET MATRIMONIO.

CAP. I.	<b>D</b> E iis quæ spectant ad essentiam Ordinis.	312
II.	De causis & effectibus Ordinis.	321
III.	De sponsalibus ad Matrimonium requisitis.	328
IV.	De natura, & institutione Matrimonii.	339
V.	De impedimentis Matrimonii.	360
VI.	De obligationibus Matrimonii.	375

F I N I S.







PETRUS A  
S. JOSEPH  
de sacramentis.

Th

2396